DOCTORIS MEDICI
D. GASP. BRAVO
DE SOBREMONTE
RAMIREZ,

MAGNORUM PHILIPPI IV. ET CAROLI II.
Potentiſſimorum Hiſpaniarum & Indiarum
Regum Archiatri,

SVPREMI SENATVS S. INQVISITIONIS MINISTRI,
ET MEDICI PRIMARII;

OLIM IN ARCHIGYMNASIO VALLISOLETANO
Artium Cathedræ, Chirurgicæ, Methodicæ Veſpertinæ, Primariæ Hippocratis,
& Primariæ Avicennæ Moderatoris:

OPERUM MEDICINALIUM
TOMUS QUARTUS,

TRES DISPUTATIONES COMPLECTENS,

In quarum prima de Vita, & Morte, & de cauſis mortis repentinæ agitur: In ſecunda verò de Mixtorum proprietatibus ratione miſcibilium, coctione, fermentatione, & putredine diſſeritur: Tertia tandem Miſcellaneas aliquot Reſolutiones exhibet.

NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT.



Sancte Marie LUGDUNI, de Scala urbis

Sumptibus LAURENTII ARNAUD, PETRI BORDE,
JOANNIS, & PETRI ARNAUD.

M. DC. LXXIX.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

AD LECTOREM BENEVOLUM.

QUATUOR jam vicibus fremuit ſub prælo Tomus noſter primus Reſolutionum Medicarum : bis fremuit ſecundus, & ſemel tertius. Contendit hic quartus inſequi priores ; & nos in illo intendimus diſputare de Vita, & Morte, & de cauſis mortis repentinæ, & in Rempublicam Medicam coadunare, quæ ſparſim ab aliis ſunt diſperſa de illis. Probabilia propono, non à cunctis admittenda offero. Varia eſt ingeniorum propenſio, varia ſcientiarum doctrina, nulla cunctis coaptata credulitas, invaluit ſemper opinionum diverſitas. Pythagoras jam in veritatis diffidentiam pervenerat, & quodlibet aſſerebat poſſe dirimi per oppoſitas opiniones : ideo ſe non Sophum, ſed Philoſophum, id eſt ſapientiæ amatorem eſſe fatebatur. Inter Juniores Author in fide ſuſpectus ſuſpectas habuit omnes ſcientias, & de earum vanitate librum conſcripſit : ſed minùs de illis promittit Sanchez Toloſanus, contendens per tres libros probare, quod nihil ſcitur : & ſi nihil ſcitur, nec ab eo ſcitur quod intendit ſuadere. Scimus plures veritates revelatas à Deo, à Chriſto Domino, & per Apoſtolos: aſſentimur primis ſcientiarum principiis, dubii & incerti manentes in proſequutione opinionum, quæ offeruntur ſub illis, in quibus hæſitamus ; in ultimum enim illas proſequi denegatur humano intellectui : exterminavit enim Dei inſcrutabilis providentia illas ultra metas humanæ capacitatis. Nec inde tibi mirari ſubeat, ſi hoc Opuſculum determinatum ad cognitionem vitæ, & mortis, nec minimam, nec evidentem illarum cognitionem attingat. Illud tamen tibi offero, ut ultra hoc leve fundamentum, opus in finem perducas : nec tunc tamen forſan conſequi tibi dabitur, ut omnibus placeas, quia ut novit Botinus, *Nullus unquam ſcripſit quod omnium judicio comprobetur.* Non enim hoc ſperandum ; nam nec Deus omnibus pacet, licèt omnium bonorum largitor. Sic protulit Scaliger *lib. 3. epidorpid.*

Qui ſevit, ab alto pluviam ſatis precatur:

D. Gaſp. Bravo Tract. Miſcell.

At iter faciens imbribus imprecatur atris.
Non ſæpe Deus placet, & tu placere credis?

Non igitur cunctis tentandum eſt placere, ſed rationi conſonum tentandum eſt proferre: quod doctiſſimus Clemens Alexandrinus docuit *ſtrom. lib.* 1. *Nullam igitur exiſtimo ſcripturam adeò fortunatam procedere, cui nullus omninò contradicat: ſed illam exiſtimandum eſt eſſe rationi conſentaneam, cui nemo jure contradicit.* Simul & ego illam fortunatam judico, quæ pervenit ad captum prudentis Lectoris: nam ut inquit Terentius,

Pro captu Lectoris habent ſua fata libelli.

SERIES DISPUTATIONUM, SECTIONUM, RESOLUTIONUM, ET PARAGRAPHORUM,

Quæ in hoc Tomo quarto continentur.

DISPUTATIO PRIMA.

De vita, & morte, & de cauſis mortis repentinæ. *pag.* 1

SECTIO I.

De vita. ibid.

RESOL. I. *VTRUM vita competat omni enti.* 2

§. j. *Proponitur dubitatio, & ſancitur pars affirmativa.* ibid.

ij. *Denegatur vita cælis, elementis & mixtis animâ non informatis.* ibid.

iij. *Solvuntur argumenta primò adducta.* ibid.

II. *Quid ſit vita, & quotuplex.* 3

§. j. *Variæ vitæ acceptiones, & deſcriptiones proponuntur.* ibid.

ij. *Traditur generica vitæ definitio.* 4

iij. *Proponitur vitæ diviſio.* ibid.

III. *Quid & quotuplex ſit actio vitalis.* 5

§. j. *Traditur quidditas actionis vitalis.* ibid.

ij. *Proponitur diviſio actionum vitalium.* ibid.

IV. *Vbinam ſint animæ quæ præſtant vitam ſublunaribus.* 6

§. j. *Ratio dubitandi, & variæ opiniones proponuntur.* ibid.

ij. *Modus quo educuntur formæ de potentia materiæ, præter rationalem.* 7

iij. *Elucidatur modus, quo formæ & animæ poſſunt dici eſſe in elementis.* ibid.

iv. *Traditur modus, quo omnes animæ ſunt in Deo.* 8

V. *Vtrum brutorum vita ſit corporea.* ibid.

§. j. *Pars affirmativa proponitur, & fulcitur.* ibid.

ij. *Nec ignis, nec aliqua illius ſubſtantia eſt brutorum forma.* ibid.

iij. *Solvuntur rationes invalidæ primò adductæ.* 9

VI. *Vtrum humana vita ſit brevis.* ibid.

§. j. *Proponitur pars affirmativa.* ibid.

ij. *Traditur animæ rationalis perpetua duratio.* ibid.

iij. *Vita corporea hominis cur dicatur brevis.* 10

VII. *Per quas ætates percurrat vita hominum.* ibid.

§. j. *Medica contemplatio in ætatum decurſu.* ibid.

ij. *Proponitur communis Medicorum doctrina.* ibid.

iij. *Senectutis admittuntur aliquæ differentiæ.* 11

VIII. *Vtrum vita humana ſub qualibet ætate ſit ſubdita variis miſeriis.* ibid.

§. j. *Pars negativa quibus apparet tenenda.* ibid.

ij. *Corporalis vita hominis multis ſubdita eſt miſeriarum generibus.* 12

iij. *Quid dicendum de felicitatibus hominis.* 13

IX. *Vtrum omnium miſeriarum hominis ſit terribilior mors.* ibid.

§. j. *Quàm terribilis ſit mors impiorum.* ibid.

ij. *Mors corporalis non omnibus apparuit terribilis.* ibid.

X. *Vtrum poſſit Medicina prolongare vitam humanam.* 14

§. j. *Negantium variæ ſortes proponuntur.* ibid.

ij. *Prorogandi vitam hominis traditur modus.* 15

iij. *Nequit prorogata mors omninò impediri.* 16

XI. *Vtrum vita humana conſtituta in ſenectute*

poſſit retrotrahi ad præteritas ætates. ibid.
§. j. *Proponitur pars affirmativa, & ejus tutelares.* ibid.
ij. *Firmatur impoſſibilitas retrotrahendi ætates.* 17
RESOL. XII. *Vtrum per unam numero animam, ſeu radicale principium fiat vita omnium viventium.* 18
§. j. *Proponuntur opinantes tenentes partem affirmativam.* ibid.
ij. *Homo non vivit per ſolam animam ſenſitivam, aut per ſolam animam communem.* 19
iij. *Sancitur forma per quam homo recipit vitam.* ibid.
iv. *Solvuntur primò poſita rationes dubitandi.* 20
XIII. *Vtrum anima rationalis exiſtens intra unam determinatam corporis partem præſtet vitam reliquis.* ibid.
§. j. *Aliqua proponuntur ſortes opinantium.* ibid.
ij. *Variæ partes noſtri corporis enumerantur.* 21
iij. *Quæ ſunt partes noſtri corporis, in quibus reſidet anima informans illas.* ibid.
iv. *Partes ſecundi gradus non informantur anima in aliquo gradu vitæ.* 22
v. *Partibus generationi dicatis, & ornatui deſtinatis denegatur vita.* 23
vj. *Solvuntur fundamenta primæ opinionis.* 24
vij. *Solvuntur fundamenta opinantium animam informare cunctas corporis partes.* ibid.
XIV. *Vtrum anima in omnibus partibus quas informat, præſtet omnes gradus vitæ.* 25
§. j. *Enumerantur gradus vitæ, & dubitandi ratio proponitur.* ibid.
ij. *Acquieſcimus primæ opinantium ſorti.* ibid.
X V. *Vtrum animæ tribuentes vitam fiant à ſolo Deo.* 26
§. j. *Variæ opinantium proponuntur ſortes.* ibid.
ij. *Anima rationalis, & hominis vita non fiunt ex traduce, & vi ſeminis.* ibid.
iij. *Traditur communis cauſa efficiens omnium animarum vitam præſtantium.* 27
iv. *Animarum creatio non ſimul facta fuit à Deo.* ibid.
X VI. *Vtrum valeat anima dici in corpore ſine omni cibo vitam præſtare.* 28
§. j. *Alimenti traditur diviſio pro deciſione.* ibid.
ij. *Vitam poſſe ſine alimento craſſo ſervari aſſeritur.* 29
iij. *Sine cibo vaporoſo ſaltem nequit in homine diu vita permanere.* ibid.
iv. *Non cuilibet pro nutritione ſufficit vaporoſum, ſeu aereum alimentum.* ibid.
X VII. *Vtrum vita poſſit permanere in homine ſine circulatione ſanguinis.* 30
§. j. *Ratio hujus difficultatis proponitur.* ibid.
ij. *Neceſſitas circulationis ſanguinis proponitur.* 31
X VIII. *Vtrum ex occultatione teſticulorum in viris impediatur vitæ propagatio in filios.* 33
§. j. *Quid ſint teſtes, quot in viris, & qualis locus deſtinatus pro illis.* ibid.
ij. *Traditur numerus teſticulorum viris à natura deſtinatus.* 34
iij. *Quid, & quotuplex ſit teſtium occultatio in viris.* ibid.
iv. *Sancitur quod occultatio teſticulorum in viris ſit poſſibilis naturaliter.* 35
v. *Proponuntur partis affirmativæ tutelares.* 36
vj. *Firmatur potentia ad generandum in occultatione teſticulorum ab arte.* 37
vij. *Non denegatur viris potentia generandi ob occultationem teſticulorum à natura.* 40
viij. *Solvuntur fundamenta R. P. Duval.* 41

SECTIO II.

De Morte. ibid.

RESOL. I. *Quid ſit mors.* 42
§. j. *Variæ mortem ſignificantia referuntur.* ibid.
ij. *Traditur mortis in communi definitio.* ibid.
iij. *Proponitur definitio mortis corporeæ hominis.* ibid.
II. *Quot ſint mortis differentiæ.* 42
§. j. *Proponitur generica mortis diviſio.* ibid.
ij. *Homini duplex poteſt ſupervenire mors.* ibid.
iij. *Corporeæ mortes duæ poſſunt ſupervenire.* 43
iv. *Mortis violentæ ſuperadduntur aliæ differentiæ.* ibid.
v. *Superadditur repentinæ mortis diviſio ex modo quo fit.* ibid.
vj. *Proponuntur diverſi gradus mortis repentinæ occultæ propriè ſumptæ.* ibid.
III. *Vtrum omnis mors ſit neceſſaria unicuique hominum.* 43
§. j. *Ponitur neceſſitas mortis animæ per peccatum originale.* ibid.
ij. *Qualiter ſuperveniat animæ mors per peccatum actuale.* ibid.

iij. *Mors*

iij. *Mors corporis à cauſa violenta non eſt neceſſaria omni homini.* 44
iv. *Mortis naturalis corporea qualis neceſſitas.* ibid.
IV. *Vtrum poſſit aſſignari numerus cauſarum mortis violentæ manifeſtæ, ac repentinæ.* ibid.
§. Unicus. *Proponitur latitudo cauſarum mortis repentinæ manifeſtæ.* ibid.
V. *Vtrum aliqua mors poſſit dici naturalis homini.* 49
§. j. *Proponitur ratio pro parte negativa.* ibid.
ij. *Ex quodam præſuppoſito deducitur reſolutio.* ibid.
iij. *Proponitur vera ratio, ob quam mors dicitur naturalis communiter à Medicis.* 50
iv. *Solvuntur rationes primò propoſitæ.* ibid.
VI. *Vtrum omni homini, cui non accidit mors violenta, ſit inevitabilis mors naturalis.* 51
§. j. *Pars negativa proponitur, & aliqua fundamenta.* ibid.
ij. *Sancitur neceſſitas in homine mortis, ſaltem naturalis.* ibid.
iij. *Solvuntur rationes dubitandi primò poſita.* 52
VII. *Quænam ſit cauſa neceſſaria, & inevitabilis mortis naturalis.* ibid.
§. j. *Proponitur dubitandi ratio & fundamenta.* ibid.
ij. *Proponitur communis opinio Authorum.* 53
iij. *Solvuntur fundamenta contrariorum.* 54
VIII. *Vtrum res præternaturales coadjuvent ad cauſandam mortem naturalem.* 55
§. j. *Partis negativæ ponuntur fundamenta.* ibid.
ij. *Supponitur fundamenti ratio, & admittitur pars affirmativa.* ibid.
iij. *Solvuntur argumenta primò poſita.* ibid.
IX. *Vtrum res non naturales poſſint eſſe cauſæ coadjuvantes mortis naturalis.* 56
§. j. *Proponuntur dubitandi aliqua fundamenta.* ibid.
ij. *Proponitur modus, quo res non naturales coadjuvant ad mortem naturalem.* 57
iij. *Solvuntur rationes primò propoſita.* ibid.
X. *Vtrum aer ſit cauſa neceſſaria mortis naturalis.* 58
§. j. *Suadetur pars negativa aliquibus fundamentis.* ibid.
ij. *Proponuntur cauſæ ob quas aër coadjuvet cauſas mortis naturalis.* ibid.
iij. *Solvuntur primò poſitæ rationes dubitandi.* 59
XI. *Vtrum aſtra & cæli ſint neceſſaria cauſa mortis naturalis.* ibid.
§. j. *Proponitur pars affirmativa, & ejus fundamenta.* ibid.
ij. *Orbes cæleſtes & aſtra coadjuvant ad interitum naturalem.* 60
iij. *Fundamenta aſtrologorum primò poſita ſolvuntur.* ibid.
XII. *Vtrum ſpiritus vitales ſint inevitabilis cauſa mortis naturalis.* 61
§. j. *Proponuntur aliqua fundamenta partis affirmativæ.* ibid.
ij. *Poſſunt vitales ſpiritus eſſe cauſa coadjuvans mortis naturalis.* ibid.
iij. *Solvuntur primò poſita dubitandi rationes.* ibid.
XIII. *Vtrum in mixtis non viventibus ſit cauſa interitus naturalis commixtio partium materialium elementorum.* 62
§. j. *Proponitur fundamentum Reſolutionis* ibid.
ij. *Calor partium miſcibilium quid agat ad corruptionem viventium.* ibid.
iij. *Mixtorum non viventium ponitur cauſa naturalis interitus.* 63
iv. *Solvuntur fundamenta adducta ex Durando.* ibid.
XIV. *Vtrum per mortem corporis corrumpantur omnes formæ viventes.* 63
§. j. *Proponuntur variæ ſentiendi modi, & opinantes.* ibid.
ij. *Qualiter hæc veritas lumine naturali fuerit cognita.* 64

SECTIO III.

De morte repentina, & de primis illius gradibus, lipothymia & ſyncope. 66

Resol. I. *Quid ſint lipothymia, & ſyncope.* ibid.
§. j. *Quid protulit Galenus pro explicandis iis affectibus.* ibid.
ij. *Animi deliquii, ſeu lipothymiæ ponitur definitio.* ibid.
iij. *Proponitur definitio ſyncopis ex Avicenna & aliis.* 67
II. *Quæ ſint cauſæ lipothymiæ, & ſyncopis.* ibid.
§. j. *Proponitur proxima cauſa lipothymiæ & ſyncopis.* ibid.
ij. *Proponuntur cauſæ remotæ genericæ lipothymiæ & ſyncopis.* ibid.
III. *Qualia ſint ſigna lipothymiæ & ſyncopis.* 68
§. j. *Proponantur ſigna, per quæ diſtinguuntur lipothymia & ſyncope ab aliis affectibus.* ibid.
ij. *Proponuntur ſigna per quæ lipothymia & ſyncope inter ſe differunt.* ibid.

IV. *Vtrum*

I V. *Vtrum ſint aliqua ſigna cauſarum lipothymia, aut ſyncopis.* 68

§. Unic. *Proponuntur aliqua ſigna cauſarum harum affectionum.* ibid.

V. *Vtrum ſit aliqua certa prognoſis lipothymia & ſyncopis.* 70

§. Unic. *Pars affirmativa proponitur, & fulcitur.* ibid.

V I. *Vtrum aliqua indicationes curativa poſſint deſumi in lipothymia & ſyncope.* 70

§. j. *Proponuntur aliqua indicationes curativa lipothymia, & ſyncopis.* ibid.

ij. *Ex Galeno & Avicenna ponuntur occaſiones remediorum.* 71

SECTIO IV.

De morte repentina, & illius cauſa immediata. 72

Resol. I. *Qvid ſit mors repentina, & quot illius acceptiones.* ibid.

§. j. *Proponuntur varia acceptiones mortis repentina.* ibid.

ij. *Traditur definitio mortis repentina propriè dicta.* 74

I I. *Vtrum mors repentina ab univerſalibus tantùm fiat cauſis.* ibid.

§. j. *Proponuntur aliqua opiniones affirmantes.* ibid.

ij. *Qualiter repentina mortes poſſunt à Deo cauſari.* ibid.

iij. *Per cauſas ſecundas, Deo ſimul concurrente, plures fiunt repentina occulta mortes.* 74

I I I. *Vtrum omnis mors repentina, qua fit à cauſis ſecundis occultis, fiat laſo corde.* ibid.

§. j. *Proponitur diverſitas partium principum individui.* ibid.

ij. *Cor praſtantior pars habenda pro vita conſervanda.* ibid.

iij. *Cor poteſt infeſtari omni morborum genere.* 75

iv. *Varios etiam morbos per conſenſum vales cor pati.* ibid.

I V. *Quot ſint facultates, qua reperiuntur in corde.* 75

§. j. *Proponitur dubitandi ratio, & illarum numerus.* ibid.

ij. *Qualis ſit praſtantior inter cordis facultates.* 76

V. *Quid ſit potentia dicta vitalis cordis.* ibid.

§. j. *Proponitur quale eſt in corde principium vita radicalis.* ibid.

ij *Proponitur potentia praſtantior vitalitatis in corde.* 77

iij. *Proponuntur alia cordis facultates, qua etiam dicuntur vitales.* ibid.

V I. *Vtrum mors repentina proveniat ex ſolius caloris vitalis cordis extinctione.* 78

§. j. *Proponitur ratio propoſita difficultatis.* ibid.

ij. *Proponuntur differentia caloris naturalis in noſtro corpore.* ibid.

iij. *Deciditur cujus caloris extinctio ſit cauſa mortis repentina.* 79

iv. *Fit ſatis ad rationem pro Tyrillo adductam.* ibid.

SECTIO V.

De cauſis mediatis mortis propriè dictæ repentinæ. 80

Resol. I. *Qvot ſunt genere diverſa cauſa ſubita extinctionis caloris vitalis in corde.* ibid.

§. j. *Tyrilli proponitur modus opinandi.* ibid.

ij. *Proponuntur genera cauſarum mediata mortis repentina.* ibid.

I I. *Vtrum ſint varia cauſa impedientes vitalium ſpirituum generationem repentè.* 80

§. j. *Tres proponuntur cauſa mortis repentina, quia ſpiritus non generantur.* ibid.

ij. *Proponuntur vitia, ob qua impeditur concoctrix cordis repentè ab ſpirituum generatione.* 81

iij. *Proponitur viarum impedimentum, ob quod defectu materia ex qua, non fiunt ſpiritus.* ibid.

iv. *Licèt materia pro ſpiritibus feratur ad cor, poteſt ſubſequi mors repentina.* ibid.

I I I. *Vtrum cordis coctio poſſit repentè aboleri ex omni morborum genere, & mors ſubſequi repentina.* 82

§. j. *Ratio dubitandi aperitur, & proponitur pars negativa.* ibid.

ij. *Vita ſuperſtite plures morbi admittuntur in corde.* ibid.

iij. *Solvuntur rationes dubitandi primò adducta.* 83

I V. *Vtrum defectus alimenti pro ſpiritibus generandis ſit cauſa extinctionis caloris vitalis, & mortis repentina.* ibid.

§. j. *Aperitur difficultas, & ſuadetur pars negativa.* ibid.

ij. *Proponitur, & fulcitur pars affirmativa.* ibid.

iij. *Solvitur Zimara poſitum fundamentum.* 84

V. *Vtrum aër ſua pravitate fiat ineptus pro ſpiritibus generandis.* ibid.

§. j. *Proponitur pars negativa, & fulcitur.* ibid.

ij. *Proponitur qualis aër fiat ineptus pro ſpiritibus generandis.* ibid.

iij. *Aer*

iij. *Aër ut inepta materia pro ſpiritibus, & ut cauſa illos corrumpens, ſit cauſa mortis repentinæ.* 85

iv. *Solvitur ratio dubitandi primò adducta.* 86

VI. *Utrum defectui aëris pro materia ſpirituum, an defectui ventilationis tribuenda mors repentina in obſtructis viis pectoris.* ibid.

§. j. *Proponitur dubitationis fundamentum.* ibid.

ij. *Defectus aëris pro ſpiritibus generandis præfertur neceſſitati ventilationis.* 87

iij. *Solvitur ratio dubitandi primò adducta.* ibid.

VII. *Utrum ſuffocatio qualibet impediens aëris ingreſſum cauſet mortem repentinam.* 87

§. j. *Proponitur difficultatis fundamentum.* ibid.

ij. *Traditur cordis ſtructura naturæ ſolertiâ.* 88

iij. *Obſtructiones in cordis cavitatibus, & vaſis accidunt.* ibid.

iv. *Occluſiones viarum cordis, & intra illud factæ per conſenſum cum aliis partibus repentè potentes occidere.* 90

v. *Solvitur ratio dubitandi primò adducta.* 91

VIII. *Utrum inter vitia inſtrumentorum, ex quibus provenit mors repentina, annumerandu ſit obſtructio nervi à cerebro, per quem influit illuſtratio in cor.* ibid.

§. j. *Pars affirmativa proponitur ab aliquibus.* ibid.

ij. *Sennerti, & communis præfertur opinio.* ibid.

iij. *Fit ſatis pro ratione dubitandi.* 92

IX. *Utrum defectus alimenti in quanto, aut quali pro ſpiritibus generandis apti, ſit cauſa mortis repentinæ.* ibid.

§. j. *Proponitur pars negativa, & fulcitur.* ibid.

ij. *Qualis alimenti defectus ſit cauſa mortis repentinæ.* ibid.

iij. *Pravitas humorum impedit ex illis generari ſpiritus.* 93

iv. *Solvuntur argumenta in principio propoſita.* ibid.

X. *Utrum pharmacum ſelectivum ſanguinis valeat trahendo illum cauſare mortem repentinam.* 94

§. j. *Proponitur ratio dubitandi, & pars negativa.* ibid.

ij. *Si cognoſceretur hæmagogum, poſſet cauſari ab illo mors repentina.* ibid.

XI. *Utrum ſanguinis miſſio uſque ad animi deliquium debeat poni inter cauſas mortis repentinæ.* 95

§. j. *Proponitur ratio dubii, & pars negativa.* ibid.

ij. *Sanguinis miſſio uſque ad animi deliquium inter cauſas poteſt poni mortis repentinæ.* ibid.

iij. *Solvuntur rationes in principio poſita.* 96

XII. *Utrum ex variis cauſis poſſint diſſipari jam geniti ſpiritus vitales, unde proveniat mors repentina.* ibid.

§. j. *Aliqua cauſa proponuntur, à quibus valent ſpiritus vitales jam geniti diſſipari.* ibid.

ij. *Reſolvunt etiam frequenter ſpiritus animæ paſſiones.* 97

XIII. *Utrum animæ paſſiones valeant reſolvendo ſpiritus vitales cauſare mortem repentinam.* ibid.

§. j. *Ratio dubitandi, & aliqui philoſophandi modi ponuntur.* ibid.

ij. *Traditur ratio cur movetur appetitus per phantaſmata.* 98

iij. *Proponitur per quid in animæ paſſionibus cauſetur mors repentina.* 99

iv. *Proponitur cauſa, à qua in paſſionibus animæ pro materiali commoventur ſanguis & ſpiritus.* ibid.

v. *Solvitur ratio dubitandi primò propoſita.* ibid.

XIV. *Utrum ira valeat cauſare mortem repentinam reſolvendo ſpiritus jam genitos.* 99

§. j. *Proponitur iræ definitio, & diviſio, & pars negativa.* ibid.

ij. *Ira vehementiſſima qualiter fiat cauſa mortis repentinæ.* 100

iij. *Ab ira pro materiali ſumpta immediatè fieri poteſt cauſa proxima mortis repentinæ.* 101

iv. *Solvuntur fundamenta primò poſita.* ibid.

XV. *Utrum gaudium poſſit eſſe cauſa mortis repentinæ.* 101

§. j. *Gaudium quid, & quotuplex; & quod non apparet eſſe cauſam repentinæ mortis.* ibid.

ij. *Gaudium ponitur inter cauſas valentes cauſare mortem repentinam.* 102

iij. *Solvitur ratio dubitandi primò propoſita.* 103

XVI. *Utrum riſus poſſit eſſe cauſa mortis repentinæ.* ibid.

§. j. *Definitur riſus, & dividitur, poniturque pars negativa.* ibid.

ij. *Riſus verus ponitur inter cauſas valentes cauſare mortem repentinam.* 104

iij. *Solvitur ratio dubitandi primò propoſita.* ibid.

XVII. *Vtrum metus & metum concomitantia valeant cauſare mortem repentinam.* 104

§. j. *Quid metus, quæ illum concomitentur, quotuplex, & ponitur pars negativa.* ibid.

ij. *Contingere poteſt quod metus, & illum concomitantia cauſent mortem repentinam.* 105

iij. *Solvitur dubitandi ratio primò adducta.* ibid.

XVIII. *Vtrum caliditas reſolvendo ſpiritus ſit cauſa mortis repentinæ.* 105

§. j. *Pars negativa proponitur, & fulcitur.* ibid.

ij. *Pars affirmativa præfertur, & fulcitur.* 106

iij. *Proponitur ſolutio pro poſitis argumentis.* ibid.

XIX. *Vtrum frigiditas extinguendo ſpiritus poſſit eſſe cauſa mortis repentinæ.* 106

§. j. *Proponitur pars negativa, & fulcitur.* ibid.

ij. *Ingentiſſima frigiditas ponitur inter cauſas mortis repentinæ.* 107

iij. *Solvuntur fundamenta partis negativæ.* 108

XX. *Vtrum potus frigidiſſimus poſſit cauſare mortem repentinam.* ibid.

§. j. *Agitur de potu, & variis infrigidandi modis, & ſuadetur pars negativa.* ibid.

ij. *Quantum proſit potus aquæ frigidæ in febribus ardentibus.* 109

iij. *Qualiter potus frigidus valeat eſſe cauſa mortis repentinæ.* ibid.

iv. *Solvuntur fundamenta partis negativæ.* 110

XXI. *Vtrum paſſivæ qualitates poſſint eſſe cauſa mortis repentinæ.* 111

§. j. *Qualis mors poſſit fieri à qualitatibus paſſivis.* ibid.

ij. *Ex humida intemperie cordis non provenit mors repentina.* ibid.

iij. *Siccitas non ponitur inter cauſas mortis repentinæ.* ibid.

XXII. *Vtrum venenum ponatur inter cauſas mortis repentinæ.* ibid.

§. j. *Quid & quotuplex ſit venenum.* ibid.

ij. *Sunt venena potentia repentè cauſare mortem.* 112

iij. *Referentur cauſæ ex parte virtutis, & ex parte diſpoſitionis, à quibus ex venenis properatur mors.* 113

XXIII. *Vtrum nimium exercitium poſſit eſſe cauſa mortis repentinæ.* 114

§. j. *Proponitur, & fulcitur pars negativa.* ibid.

ij. *Immoderatus localis motus poteſt eſſe cauſa mortis repentinæ.* ibid.

iij. *Quid dicendum pro primò adductis fundamentis.* 115

XXIV. *Vtrum veneris nimius uſus ſit inter cauſas mortis repentinæ.* ibid.

§. j. *Pars negativa proponitur & fulcitur.* ibid.

ij. *Nimius veneris uſus poteſt eſſe cauſa mortis repentinæ.* ibid.

iij. *Traditur ſolutio pro argumentis adductis.* 116

XXV. *Vtrum ſympathia, aut antipathia poſſint eſſe cauſa mortis repentinæ.* ibid.

§ j. *Antipathia, & ſympathia quid ſint, & variæ harum ſortes.* ibid.

ij. *Adventi ſympathiæ, & antipathiæ, quod valeant quandoque cauſare mortem repentinam.* 117

XXVI. *Vtrum ruptio vaſorum in pectore, aut abſceſſuum, poſſit eſſe cauſa mortis repentinæ.* ibid.

§. j. *Proponitur ratio dubitandi, & explicatur.* ibid.

ij. *Proponuntur aliquæ viæ, quibus vaſa pulmonis liberantur ab infarctu.* 118

iij. *Repletio cavitatis pectoris poteſt eſſe cauſa mortis repentinæ.* ibid.

iv. *Ex ruptura vaſorum pulmonis fit repentina mors.* 119

XXVII. *Vtrum vaſorum repentina occluſio in pulmonibus valeat eſſe cauſa mortis repentinæ.* 120

§. j. *Proponuntur vaſa pulmonum quæ poſſunt occludi.* ibid.

ij. *Vaſorum pulmonis obturatio ponitur inter cauſas mortis repentinæ.* ibid.

XXVIII. *Vtrum thoracis, muſculorum, aut nervorum ablata actio ſit cauſa mortis repentinæ.* 121

§. j. *Muſculorum thoraci deſervientium uſus, & numerus.* ibid.

ij. *Muſculi thoracis variis modis neceſſarii ſunt pro reſpiratione.* ibid.

XXIX. *Vtrum repentina mors poſſit ſubſequi ex interceptione arteriæ carotidis.* 122

§. j. *Delineantur arteriæ dictæ carotides.* ibid.

ij. *Carotidum interceptio ponitur inter cauſas mortis repentinæ.* ibid.

XXX. *Vtrum ex ventriculi affectibus mors repentina accidat.* 123

§. j. *Proponuntur ventriculi varii uſus, morbi, & conſenſus cum aliis partibus.* ibid.

ij. *Inter cauſas mortis repentinæ ſunt ventriculi affectiones.* ibid.

XXXI. *Vtrum ab uteri affectibus poſſit fieri mors repentina.* 124

§. j. De

§. j. *De utero, & variis ejus ſymptomatibus.* ibid.
ij. *Ex uteri conſenſu mortes repentinæ contingunt.* ibid.
XXXII. *Utrum mors repentina poſſit præcognoſci à Medico.* 125
§. j. *Quid dicendum de morte repentina quæ fit ab externis cauſis.* ibid.
ij. *Mortes repentinæ à Deo immiſſæ non poſſunt prævideri.* 125
iij. *Quid ſentiendum de morte repentina à morboſis internis cauſis.* ibid.

SECTIO VI.

De poſtpraxi in morte repentina. 127

Resol. I. *Utrum mors repentina poſſit ſtatim cognoſci.* ibid.
§. j. *Pars negativa aliquibus apparet fulciri.* ibid.
ij. *Proponuntur communiora ſigna mortis repentinæ.* 128
iij. *Traduntur ſolutiones pro argumentis primò adductis.* ibid.
II. *Utrum in morte repentina ſtatim corpus ſepelire liceat.* 129
§. j. *Pars affirmativa proponitur, & fulcitur.* ibid.
ij. *Quid de mortuis apparente fœtore dicendum.* ibid.
iij. *Qui ex ſyncope apparent mortui, quando ſepeliri poſſunt.* 130
iv. *In reliquis mortuis ex ſimilibus affectibus eſt tertia expectanda dies.* ibid.
v. *Solvuntur primò poſita argumenta.* ibid.
III. *Quid ſepultura, quid ſepulchrum, & quotuplex.* 131
§. j. *Definitur ſepultura, & ſepulchrum.* ibid.
ij. *Quot modis cadaveribus ſepulturam veteres parabant.* ibid.
IV. *Utrum cadavera tradantur ſepulturæ ratione vivorum, an ratione mortuorum.* ibid.
§. Unicus. *Traditur ratio ſepeliendi cadavera in omni ætate.* ibid.
V. *Utrum omni ſorti gentium placuerit idem ſuos ſepeliendi mos.* 131
§. j. *Proponuntur varii gentium mores in ſuis ſepeliendis cadaveribus.* ibid.
ij. *Quis præſtantior ſepeliendi modus.* 132
VI. *Quæ ſint aptiora loca pro ſepulturis.* 133
§. j. *Varia loca pro ſepulturis antiquorum uſitata.* ibid.
ij. *Determinatur qualis locus aptior pro ſepultura.* 134
iij. *Præſtantior patrius locus ſepulturæ apparet.* ibid.
VII. *An priſcorum ſepulchrorum majeſtas laudanda, & quæ præſtantiora.* 135
§. j. *Majeſtas priſcorum ſepulchrorum laudanda.* ibid.
ij. *Proponuntur varia mundi miracula in ſtructura ſepulchrorum.* ibid.
VIII. *Utrum aliqua ſit habenda cura mortuorum antequam traduntur ſepulturis.* 137
§. j. *Negat barbara aliquorum ethnicorum opinio.* ibid.
ij. *Oſculandi mortuos cauſa & conſuetudo.* ibid.
iij. *Claudendi oculos, & componendi alias corporis partes qualis fuerit mos.* ibid.
IX. *Utrum conclamatio, lotio, & aliæ functiones exercendæ pro mortuis.* 138
§. j *Conclamare mortuos cur fuerit ex uſu antiquis.* ibid.
ij. *Lavare mortuos abiit in conſuetudinem plurium.* ibid.
iij. *Plura alia mortuos ornantia erant ex uſu pro cadavere.* 139
X. *Utrum liceat pro mortuis triſtari, & deflere.* ibid.
§. j. *Quid ſit deflere, & à quibus ſit ex uſu pro mortuis flere.* ibid.
ij. *Mors qualibet lugenda ob humanam conditionem.* 140
iij. *In chriſtiana pietate pro quibus mortuis plorandum.* ibid.
iv. *Si lugendum cogat humanitas, quantum lugendum ſit.* ibid.
v. *Solvuntur ſuprà poſita argumenta.* 141
XI. *Quali pompa licet mortuos ferri ad ſepulturam.* ibid.
§. j. *Qualis & quotuplex apparatus pro ſepeliendis mortuis.* ibid.
ij. *Quibus competat mortuos ferre in ſepulchrum.* 142
iij. *Pro funere quæ fuerint ex uſu Muſica inſtrumenta.* ibid.
iv. *Coopertum, veſtitum tamen feratur cadaver.* ibid.
XII. *Utrum pro ſepultis aliqua licuerint antiquis.* 143
§. Unicus. *Plura poſt funera fuerunt antiquis uſitata.* ibid.
XIII. *Utrum pro cadavere incorrupto conſervando proſint medicamina.* 144
§ j. *Proponitur pars negativa, & fulcitur.* ibid.
ij. *Per varia medicamenta arcentur à corruptione cadavera.* ibid.
iij. *Solvuntur rationes primò propoſitæ.* 146

DISPUTATIO SECUNDA.

De mixtorum proprietatibus ratione miſcibilium, coctione, fermentatione, & putredine.

SECTIO I.

De Coctione. 147

RESOL. I. *VTrum elementa ſint prima principia, ex quibus fit mixtum.* ibid.

§. j. *Varia opinantium proponuntur ſortes.* ibid.

ij. *Rejicitur opinio Epicuri, & Democriti.* ibid.

iij. *Spagyricorum principia pro mixti generatione impugnantur.* 148

iv. *Sancitur communis doctrina principiorum mixti.* 149

II. *Qualiter elementa remaneant in mixtis.* ibid.

§. j. *Proponuntur variæ Philoſophorum, & Medicorum opiniones.* ibid.

ij. *A mixto rejicienda forma elementorum.* 150

iij. *Admittitur in mixti forma virtualis continentia elementorum.* ibid.

iv. *Admittuntur in mixtis materia omnium elementorum.* 151

III. *Quid ſit coctio in communi, & de ejus variis differentiis.* ibid.

§. j. *Traditur definitio coctionis in communi.* ibid.

ij. *Coctionis prima proponitur diviſio.* ibid.

iij. *Elixationes & aſſationes, quæ fiunt in ordine ad uſum alimentorum, & nutritionem dividuntur.* 152

iv. *Coctio eorum quæ perficiuntur in corpore triplex apparet.* ibid.

IV. *Vtrum definitio Ariſtotelis pro coctione tradita ſit bona, & omnibus differentiis aptata.* 153

§. j. *Coctionis definitio improbatur ex Argenterio.* ibid.

ij. *Definitio Ariſtotelis traditur pro maturatione.* ibid.

iij. *Definitio Ariſtotelis licèt non omnimodè, ſuo tamen modo convenit elixationi, & aliis differentiis.* ibid.

iv. *Argenterii objectiones ſolvuntur.* 154

V. *Vtrum per coctionem uniantur oppoſita paſſibilia.* ibid.

§. j. *Proponitur ratio propoſitæ difficultatis.* ibid.

ij. *Tuemur veram Philoſophorum, & Medicorum communem doctrinam.* ibid.

VI. *Vtrum cujuſlibet coctionis ſit cauſa calor.* 156

§. j. *Præcipuæ ſpecies coctionis aſſignantur, & pars negativa proponitur.* ibid.

ij. *Sancitur quod omnis coctio ſit à calore.* ibid.

iij. *Requiritur in calore pro coctione, quod ſit naturalis.* 157

iv. *Proponitur quod concoquens calor poſſit eſſe proprius rei concoquendæ.* ibid.

VII. *Qualis ſit perfectio quæ acquiritur per coctionem.* 158

§. j. *Proponitur ratio hujus dubitationis.* ibid.

ij. *Proponitur qualis perfectio acquiratur per maturationem in vivente.* ibid.

iij. *Proponitur principalis cauſa, quæ medio calore unit oppoſita paſſibilia in maturatione.* 159

iv. *Proponitur cauſa, quæ medio calore unit oppoſita paſſibilia in elixatione.* ibid.

VIII. *Vtrum coctio ſit perfectio tantum conſiſtens in unione in oppoſitis paſſibilibus.* 160

§. j. *Pars negativa apparet ſuaderi ex Carreiro.* ibid.

ij. *Duplex miſcibilium unio admittenda.* ibid.

iij. *Solvuntur propoſita fundamenta.* ibid.

IX. *Vtrum quæ coquuntur calidiora evadant.* 161

§. j. *Ponuntur argumenta pro parte negativa.* ibid.

ij. *Communis ſancitur opinio, & fundamenta.* ibid.

iij. *Solvuntur argumenta primò adducta.* 162

X. *Vtrum quæ coquuntur evadant craſſiora.* ibid.

§. j. *Qualiter Ariſtotelis doctrina intelligenda.* ibid.

ij. *Proponuntur & ſolvuntur aliquæ objectiones.* ibid.

XI. *Vtrum à ſola perfecta coctione proveniat craſſities in re quæ coquitur.* 163

§. j. *Ponuntur variæ coctionum differentiæ.* ibid.

ij. *Omni coctioni competit incraſſare.* ibid.

XII. *Vtrum poſſint cocta incrudari.* 163

§. j. *Cruditatis variæ acceptiones referuntur.* ibid.

ij. *Quod ſemel coctum, nequit ad prægreſſam cruditatem regredi.* 164

SECTIO II.

De fermentatione. 164

RESOL. I. *Quid nominis, quid rei, & quotuplex ſit fermentatio.* 165.

§. j. *Proponuntur variæ fermentationis acceptiones.* ibid.

ij. *Fermentatio in communi deſcribitur.* ibid.

iij. *Traditur diviſio fermentationis per ſuas differentias.* ibid.

iv. *Traditur ex dictis propria fermentationis definitio.* 166

II. *Vtrum fermentatio differat à coctione, & putredine.* ibid.

§. j. *Pars negativa confuſè complectitur ab aliquibus.* ibid.

ij. *Differt fermentatio à coctione & putredine.* 167

iij. *Solvuntur argumenta primò poſita.* ibid.

III. *Vtrum fermentatio accidat omni ſublunari enti.* 167

§. j. *Sublunarium qualis diverſitas.* ibid.

ij. *In commixtis elementis apparet fermentatio.* 168

iij. *Ad medicamenta ſuo modo extenditur fermentatio.* ibid.

iv. *Naturalis ac propria fermentatio quibus adaptetur.* 169

IV. *Vtrum in fermentatione partes materiales elementorum poſſint commoveri.* ibid.

§ j. *Pars negativa videtur ſuaderi.* ibid.

ij. *Commotio partium materialium admittenda in vera fermentatione.* 170

iij. *Reſpondetur pro primò adductis fundamentis.* ibid.

V. *Vtrum miſcibilia quaſi compacta poſſint in mixtis inveniri.* 171

§. j. *Pars negativa qualiter poteſt ſuaderi.* ibid.

ij. *Poſſunt aliqua mixta compacta reddi ultra debitum modum, & indigere fermentatione.* ibid.

iij. *Ad rationem dubitandi reſpondetur.* ibid.

VI. *Vtrum à quovis calore fiat fermentatio.* 171

§. j. *Quotuplex calor valeat alterare mixta.* ibid.

ij. *Suadetur quod non fiat fermentatio à calore.* 172

iij. *Aciditas, & acrimonia, & externus calor qualiter agant pro fermentatione.* ibid.

iv. *Cauſa interna vera fermentationis ponitur.* ibid.

v. *Solvuntur primò adducta argumenta.* 173

VII. *Vtrum ſaltem mediatè omnis fermentatio excitetur ab acido.* ibid.

§. j. *Proponitur dubitandi ratio, & variæ opiniones.* ibid.

ij. *Proponitur qualiter juvet fermentationem acidum.* 174

SECTIO III.

De putredine. ibid.

RESOL. I. *Vtrum putredo rectè definiatur ab Ariſtotele, & Galeno.* 174

§ j. *Ponuntur definitiones ab illis traditæ, & pars negativa ſuadetur.* ibid.

ij. *Definitio Ariſtotelis rectè deſcribit putredinem.* 175

iij. *Galeni putredinis admittitur deſcriptio.* ibid.

iv. *Traditur modus quo hæ duæ deſcriptiones adaptantur putredini.* ibid.

v. *Tradimus eſſentialem definitionem putredinis.* 176

vj. *Argumentis in contrarium primò oppoſitis ſatisfit.* ibid.

II. *Vtrum eſſentia putredinis ſtet in deunione miſcibilium.* 177

§. j. *Pars negativa proponitur, & fulcitur.* ibid.

ij. *Secunda qualitas conficta à junioribus, non eſt ratio eſſentialis putredinis.* 178

iij. *Ratio generica eſſentialis putredinis adaptatur deunioni in oppoſitis patibilibus.* ibid.

iv. *Solvuntur fundamenta contrariorum.* 179

III. *Vtrum in putredine detur cauſa, à qua fiat deunio aquei humoris à terreo.* ibid.

§. j. *Pars negativa proponitur, & fulcitur.* ibid.

ij. *Pars affirmativa eligitur, & probatur.* ibid.

iij. *Solvitur ratio dubitandi hæſitantium.* 180

IV. *Vtrum interitus proprii caloris ſit immediata cauſa putredinis & deunionis miſcibilium.* 181

§. j. *Pars negativa aliquibus apparet ſuaderi.* ibid.

ij. *Interitus caloris naturalis eſt proxima cauſa deunionis in putredine aquei à terreo.* ibid.

iij. *Solvuntur argumenta primò adducta.* 182

V. *Vtrum interitus nativi caloris pro putredine ſemper petat fieri à calore ex-*

tra rem putreſcentem orto. ibid.
§. j. *Ratio dubitandi, & varia opinantium ſententia.* ibid.
ij. *Ab ambientis aeris calore urente non fit putredo.* 183
iij. *Ab aëris ambientis putredinali, externoque calore majori ex parte provenit putredo.* ibid.
iv. *A calore innato interno nequit fieri putredo.* ibid.
v. *Denegatur quod ab interno partium calore, adhuc præternaturali, fiat putredo.* ibid.
vj. *Humores putreſcunt in corpore ſemper à cauſa externa.* 184
vij. *Fit ſatis pro argumentis in principio propoſitis.* ibid.
VI. *Vtrum dum putreſcunt humores in morbo ſalubri, ſimul coquantur.* 185
§. j. *Primi opinantes partem negativam amplectuntur.* ibid.
ij. *Per omnia tempora febris putridæ fit putredo.* 186
iij. *Proponitur pars materialis coctionis & putredinis in febribus putridis.* 187
VII. *Vtrum in febre putrida ſalubri compatiatur, quod ſit mistio in ſtatu cum intenſiori putredine.* 188
§. j. *Pars negativa quibus appareat ſuaderi.* ibid.
ij. *Pars affirmativa præfertur, & fulcitur.* ibid.
iij. *Solvuntur argumenta primò poſita.* ibid.
VIII. *Vtrum ſit in corpore determinatus locus pro foco putredinis humorum.* 189
§. j. *Proponitur quid ſit focus putredinis.* ibid.
ij. *Varia opinantium ſortes proponuntur.* ibid.
iij. *In qua parte redundat humor, ſolet fieri focus putredinis.* 190
iv. *Communis putredinis focus febrium humoralium proponitur.* ibid.
v. *In perniciosis febribus intermittentibus qualis ſit focus putredinis.* ibid.
vj. *Traditur focus putredinis, qualis ſit in febribus lentis.* ibid.
IX. *Vtrum à frigiditate poſſit provenire putredo.* 191
§. j. *Proponitur frigiditas pro putredinis cauſa.* ibid.
ij. *Pars negativa proponitur, & ſuadetur.* ibid.
iij. *Solvuntur dubitandi rationes primò poſita.* ibid.
X. *Vtrum per putredinem calor intendatur à forma rei putreſcentis.* 191
§. j. *Pars negativa proponitur à Iunioribus.* ibid.
ij. *Proponitur cauſa intenſionis caloris rei putreſcentis.* 192
XI. *Vtrum humiditas ſit efficiens putredinis cauſa.* ibid.
§. j. *Proponitur pars affirmativa, & fulcitur.* ibid.
ij. *Humiditas coadjuvat ad putredinem cauſandam.* ibid.
iij. *Humiditas nequit eſſe cauſa efficiens putredinis.* 193
XII. *Vtrum medicamentum purgans in principio febris putridæ ad putredinem impediendam debeat propinari.* ibid.
§. j. *Pars affirmativa videtur ſuaderi.* ibid.
ij. *Humor putreſcens commixtus ſanguini non purgandus in principio.* ibid.
iij. *Si in principio putreſcens humor cacochymus urget, petit ſtatim purgari.* 194
iv. *Purgationi in principio non ſemper obſtat interna inflammatio.* 196
v. *Solvuntur rationes in principio propoſita.* ibid.

DISPUTATIO TERTIA.

De variis Miſcellaneis Reſolutionibus. 196
RESOL. I. *VTRVM ſexus transmutatio permittatur naturæ.* 197
§. j. *Pars affirmativa fovetur ab aliquibus.* ibid.
ij. *Denegatur naturæ, poſſe jam factum virum mutare in fœminam.* 198
iij. *Denegatur naturæ, quod poſt productam fœminam illam transmutet in virum.* ibid.
iv. *Solvuntur fundamenta credentium eſſe poſſibilem mutationem unius ſexus in alterum.* 199
II. *Vtrum vagitus uterinus naturaliter ſit poſſibilis.* 200
§. j. *Pars negativa proponitur, & fulcitur.* ibid.
ij. *Proponuntur cauſæ ſecundæ vagitus uterini.* 201
iij. *Vagitus uterinus poteſt ſine miraculo fieri.* ibid.
iv. *Fatendum poſſe vagitum eſſe portentum.* 202.
v. *Solvuntur fundamenta contrariorum.* ibid.
III. *Vtrum dentur arbores metallicæ, ſeu auriferæ.* 202
§. j. *Aperitur ratio dubitandi, & proponitur*

nitur pars negativa. ibid.
ij. *Pars affirmativa ſancitur, & falcitur.* 203
iij. *Solvuntur rationes dubitandi primò poſita.* 204
IV. *Vtrum chryſopœia ſit ars vera factiva auri.* 205
§. j. *Proponitur pars affirmativa; & falcitur.* ibid.
ij. *Verum aurum nequit fieri, niſi à ſola natura.* 206
iij. *Solvuntur fundamenta contrariè opinantium.* 208
V. *Vtrum lux inſit in omnibus mixtis corporibus.* 209
§. j. *Lucis proprium ſubjectum, & quidditas aperitur.* ibid.
ij. *Denegatur mixtis corporibus quod lucem igneam contineant.* 210
iij. *Admittitur intra mixta corpora ignea lux.* ibid.
iv. *Solvuntur argumenta primò poſita.* 211
VI. *Vtrum bruta habeant ſuas loquutiones.* ibid.
§. j. *Ratio dubitandi proponitur, & pars affirmativa.* ibid.
ij. *Loquelam brutis denegavit natura.* 213
iij. *Solvuntur argumenta contrariorum.* ibid.
VII. *Vtrum ira ſit affectus curabilis.* 213
§. j. *Ira traditur notio, & ponitur pars negativa.* ibid.
ij. *Varii admittuntur modi curationis in ira.* 214
VIII. *Vtrum vinum nutriat.* 215
§. j. *Proponitur quid vinum, ejus utilitates, & noxa.* ibid.
ij. *Vinum eſſe noſtri corporis alimentum ſancitur.* 216
iij. *Solvuntur fundamenta à Mercuriali adducta.* ibid.
IX. *Vtrum morbus Gallicus ſit ab Indis ad Europam tranſmiſſus.* 217
§. j. *Morbi Galliei quid nominis, quid rei, & qua ſint illius ſymptomata.* ibid.
ij. *Opinantium varia proponuntur placita.* ibid.
iij. *Morbi Gallici in Europa prima origo.* 218
iv. *Ad fundamenta contrariorum reſpondetur* 220
X. *Vtrum liceat inebriari ſanitatis cauſa.* ibid.
§. j. *Proponitur quid nominis, & quid rei ebrietatis.* ibid.
ij. *Proponitur quàm turpis ſit ebrietas formalis.* 221
iij. *Sanitatis causâ qualiter liceat ebrietas.* ibid.
XI. *A qua cauſa fiant operationes occulta.* 223
§. j. *Quid ſit facultas, & qua ſint facultatum operationes.* ibid.
ij. *Quid ſentiant plures de operationibus occultis.* ibid.
iij. *Admittuntur operationes occulta, qua à nullis fiunt cognitis facultatibus.* ibid.
iv. *Operationes occulta ab occultis proveniunt facultatibus, qua ſunt propria ſuis formis.* 224
v. *Qualiter juvat temperamentum ſubſtantificum pro occultis operationibus.* ibid.
vj. *Pro ſympathia, & antipathia qua juvent.* 225
vij. *Poſt corruptas formas qualiter fiant operationes occulta.* ibid.
XII. *De loco mittendi ſanguinem in puerperis.* 225
§. j. *Ratio dubitandi proponitur, & aperitur.* ibid.
ij. *Proponuntur varii opinandi modi.* 226
iij. *Quid ſentiendum ex doctrinis Claſſicorum.* 227
iv. *Proponitur ſolutio pro contrariè opinantibus.* 228

SUMMA

SUMMA PRIVILEGII Regis Chriſtianiſſimi.

CAUTUM eſt authoritate Regis, ne quis in Regno ſuo, aliiſve locis ſuæ ditioni ſubjectis, Librum qui ſic inſcribitur, *Doctoris* GASPARIS BRAVO, *Regis Catholici Medici Archiatri omnia Opera Medica*, abſque PETRI BORDE, Bibliopolæ Lugdunenſis conſenſu imprimat, aut divendat, intra decem annos à die publicationis horum Exemplarium: qui ſecus fecerit, mulcta indicta, prout ampliùs in Diplomate Regio continetur, coërcebitur. Datum Pariſiis die 16. Octobris 1671.

De mandato Regis

Signatum CADET.

Deſiit hujus editionis prælum 30. *Septembris* 1679.

DOCT.

DOCT. MED.
D. GASP. BRAVO DE SOBREMONTE RAMIREZ,
TRACTATUS MISCELLANEUS
Duas complectens Diſputationes.

DISPVTATIO PRIMA.
De Vita, & Morte, & de Cauſis Mortis repentinæ.

SECTIO PRIMA.
De Vita.

OMNE ens vel eſt à ſe, vel ab alio: à ſe, ſolus Deus; ab alio, id eſt à Deo, omnia poſſibilia. Horum alia ſunt accidentia ſub novem categoriis contenta: alia ſunt ſubſtantia; & hæc alia ſpiritualis, ut Angeli, dæmones, & anima rationalis; alia eſt materialis, quæ ex forma & materia completur. Ens ſic compoſitum, aut eſt ſimplex, ut cœli, & elementa; aut eſt mixtum, quod ex quatuor fit elementis: & hoc aut eſt non vivens, aut vivens. Vivens quodlibet mixtum, aut eſt vegetabile, aut ſenſitivum, aut rationale. Cuicumque horum communis eſt vita per animam informantem eius organicum corpus; & mors, dum illa deficit, ſiue per corruptionem, ſive per ſeparationem à materiali organo: de quibus ſeorſim à nobis agendum venit.

A De vita, & viventium diverſis gradibus
agunt Philoſophi eum Ariſtotele *in lib.*
de Anima, ſimul & de illis quibus ſuper-
venit anima, quæ eſt principium vivendi.
De vitæ ſtatibus, in quibus homines fiunt
apti pro variis exercendis muneribus,
agunt Politici. De vitæ humanæ felici,
aut infelici ſorte in exitu illius, & de mo-
ribus inſtruendis in illa agunt Philoſophi
Morales. De variis eventibus vitæ nar-
rant plura Hiſtorici. De vita regulanda
intra divina præcepta agunt Theologi.
De vita tamen corporali hominis, prout
B ab inſitis habet eſſe, & in illo per varias
decurrere ætates, & variis in illis valet
ſubjici morbis, & tandem in inevitabilem
pervenire mortem, diſputant Medici, &
nos cum illis in hac Sectione diſputatio-
nem de vita percurrere tentabimus.

Resolutio Prima.

Utrum vita competat omni enti.

§. I.

Proponitur dubitatio, & ſancitur pars affirmativa.

NOn dubitatur de ſubſtantiis ſpiritualibus per ſe ſubſiſtentibus, quod ſint radicale principium vitalium operationum, ob quod vita illis competit: nec dubitatur, quod non competit vita accidentibus, quæ non ſunt entia per ſe, ſed in alio, à quo denominantur accidentia viventium, aut non viventium; ſed de ſubſtantiis materialibus dubitamus, an omnibus illis competat vita; elementis; inquam, lapidibus, & mineralibus; an aliis tantùm mixtis diſtinctis ab illis.

Videtur quod vita competat omni enti phyſico compoſito ex materia, & forma, ſive ſimplici, ſive mixto. Et primò, quod corpora ſimplicia cœleſtia vivant, & informentur quadam anima quaſi rationali, tenebant plures Philoſophi præclariſſimi, inter quos adnumeratur Plato, & illius diſcipuli, quibus aſſentire dicitur Ariſtoteles, & ex illorum conſenſu tenuere Ægyptii, Hebræi, Aſtrologi antiquiores: nec diſplicuit hæc doctrina aliquibus antiquorum Patrum, præcipuè palam illam profeſſus fuit Origenes.

Secundò elementa apparent vivere. Nam potentia generativa eſt potentia gradus vegetativi, à vegetativa anima proveniens, ut conſervet ſpeciem generando ſibi ſimile. Sed elementa habent generare ſibi ſimile: ergo ſaltem competit illis vivere per animam vegetativam.

Tertiò lapides & metalla vivunt ſaltem vitâ vegetativâ; nam nutriuntur: ergo competit illis vivere vitâ vegetativâ, & informari animâ vegetativâ, à qua pullulat nutritiva facultas. Probatur conſequentia. Metalla, & lapides continuò reſolvuntur à proprio calore, cùm ſint mixta calore prædita, cujus actio nequit impediri, ſicut nec in viventibus: ergo cùm in ſuo eſſe conſerventur, neceſſe eſt quod continuò renutriantur.

Quartò apparet, quod lapides, & metalla continuò generent ſibi ſimilia in cavernis, in quibus non dantur aliæ cauſæ, à quibus valeant generari: ergo vivunt ſaltem vitâ vegetativâ, à qua proveniet virtus generandi ſibi ſimile.

A

§. II.

Denegatur vita cœlis, elementis, & mixtis animâ non informatis.

REſolvendum, quod non competit vita cœlis, elementis, nec mixtis non informatis formâ vivente, ut lapides, metalla, & alia ſimilia.

Probatur primò, quod cœlis non competat vita, ex ſecundo Concilio Conſtantinopolitano celebrato ſub Agapeto Pontifice, & Juſtiniano Imperatore, in quo contra Origenem, & alios ſectatores ſic ſancitum: *Si quis dixerit cælum, ſolem, & lunam, & ſtellas, & aquas quæ ſupra cælos ſunt, animatas eſſe, ſit anathema.* Ergo apud Catholicos denegandum eſt quod illis vita competat.

B

Probatur ſecundò de elementis, lapidibus, metallis, & aliis mixtis hujuſmodi. Solùm competit vita illis entibus, ſeu corporibus conſtantibus ex materia & forma, quibus competit informari animâ. Sed enumerata non informantur animâ: ergo non competit illis vita. Probatur minor ex Ariſtotele *lib. 2. de Anima*, ubi definit animam, quod ſit *Actus corporis phyſici, & organici.* Sed neutrum horum competit cœlis, aſtris, elementis, metallis, lapidibus, & aliis mixtis inanimatis: ergo non competit vita illis omnibus. Probatur minor: nam hæc omnia ſunt homogeneæ naturæ ſecundùm omnes ſuas partes; nec aliquam habent organicam partem, in qua poſſint diverſæ animæ facultates reſidere.

C

Probatur tertiò ex eodem Ariſtotele *lib. 2. citato de Anima*, ubi definit animam per ordinem, aut reſpectum ad ſuas actiones vitales, quod ſit id *quo vivimus, ſentimus, movemur, & intelligimus:* ſed nulla ex iis vitalibus actionibus apparet in entibus enumeratis: ergo nulli illorum competit vita. Minor apparet ſenſibus.

D

§. III.

Solvuntur argumenta primò adducta.

AD primum reſpondetur, quod opinio Origenis & reliquorum, qui vitam tribuebant cœlis, damnata eſt in Concilio Conſtantinopolitano: & non vivere, patet ex definitionibus animæ traditis ab Ariſtotele.

E

Ad ſecundum reſpondetur, quod generatio largo modo ſumpta, ex Ariſtotele *lib. 1. de generat.* eſt *mutatio huius totius in hoc totum, nullo ſenſibili manente.* Et hæc eſt communis viventi, & non viventi; & iuxta illam

illam elementa dicuntur generare ſua ſimilia per ſolam alterationem primarum qualitatum, ſine facultate generatiua vitali. Alia eſt viventium generatio à cauſa univerſali, quæ etiam fit ſine generativa facultate animæ vegetativæ: alia verò fit à perfectioribus viventibus, & hæc perficitur medio ſemine, & media facultate generativa ſub vegetativo gradu, quæ arguit principium vitale, à quo fiat talis generatio.

Ad tertium reſpondetur, quod lapides, & metalla, & plura hujuſmodi quæ apparent augeri, ſi quando augeantur, eſt per juxtapoſitionem, non per alimentum intus ſumptum, & coctione elaboratum, & nutritione aſſimilatum: nec talis actio in non viventibus fuit neceſſaria pro inſtauratione ejus quod deperditur, ſicut in viventibus; quia viventia ob inſtantandum humidum radicale, quod continuò abſumitur à calido innato, & ob reſolutionem aſſiduam partium heterogenearum indigent hac inſtauratione; non tamen mixta non viventia, quæ tale humidum non habent, nec heterogeneas partes, ſed homogeneas & ſimiles, inter quas non eſt contraoperantia quæ illas adhuc per longa tempora abſumat.

Ad quartum reſpondetur, quod lapides & metalla non generantur à ſuis ſimilibus, ſed à cauſis univerſalibus, dum à cauſis ſecundis ponitur hæc, aut illa miſcibilium unio, quæ coaptata pro forma hujus, aut illius mixti, ipſa producitur à cauſa univerſali, ſicut forma vivens, dum materia eſt coaptata per organizationem ad recipiendam illam.

Resolutio Secunda.

Quid ſit vita, & quotuplex.

§. I.

Variæ vitæ acceptiones, & deſcriptiones proponuntur.

De vita plura in omni ætate protulerunt Scriptores, qui in ejus determinanda eſſentia diſcordes, varias illius protulerunt acceptiones. Philotheus conjugium vocat novam vitam, id eſt novum vitæ ſtatum. Alii mores vocant vitam, & dum illos mutant, dicuntur mutare vitam. Sic & alii dicuntur vivere vitâ Philoſophorum, id eſt juxta illorum mores. Solet vocari vita locus in quo vivitur: ſic aqua dicitur vita, id eſt locus piſcium. Sed nos de A vita loquimur cui mors opponitur, ſeu quæ morte terminatur, de qua Ariſtoteles *lib. de vita, & morte*. Hæc ſumitur aliquando pro operationibus vitalibus animæ: nos accipimus illam pro vita eſſentiali, à qua illæ proveniunt; ſeu pro radicali illarum principio, quod eſt anima.

De animæ ſubſtantia, ſeu eſſe, in qua ponimus eſſe vitæ, concertant veteres. Alii illam eſſe corpoream tenebant: alii eſſe incorpoream contendunt. Qui judicant eſſe corpoream, etiam ſunt diſcordes: alii B tenent eſſe ſubſtantiam per ſe exiſtentem, & immortalem: alii eſſe formam accidentalem: alii animas ponebant vagantes in hoc mundo, & ab uno corpore in aliud tranſeurrentes. Manichæi omnes animas ex Dei ſubſtantia decerptas in corpora tranſmittebant. Origeniſtæ à mundi origine fuiſſe in uniuerſo creatas affirmabant, in corpora intromitti, & in morte ſeparatas in univerſo permanere. Qui incorpoream eſſe animam judicabant, inter ſe etiam diſſentiebant. Galenus non diſtinguebat aniC mam à temperamento: Dicæarchus contendebat eſſe quandam armoniam: Nemeſius ferè ſub ente rationis conſtitnebat: Empedocles judicavit animam non diſtingui à ſanguine: alii dicebant eſſe aërem, alij eſſe ignem, alii aquam, alii conflari ex atomorum concurſu, alii eſſe telam, judicantes corpus eſſe ſtamen, animam illius ſubtegmen. Epicurei componebant illam ex quodam calido flatuoſo, & aëreo: Peripatetici tenent cum Ariſtotele, animam eſſe actum corporis phyſici, & orgaD nici potentiâ vitam habentis, cui aſſentiuntur omnes Scholæ, & nos cum illis.

Sed licèt ſic animam conſtituant, & illam eſſe vitæ principium fateantur, nondum tamen unanimi aſſenſu confirmarunt in quo conſiſtat formalis ratio vitæ. Ariſtoteles varius extitit in hoc determinando; nam *lib. de juventute & ſenectute*, vitam conſtituit in permanſione animæ in calido innato: *lib. 2. de anima*, vitam dicit eſſe E *vegetare, ſentire, & moveri: lib. 1. Phyſicor.* ait, *eſſe actionem, non factionem: lib. de vita, & morte*, eſſe *moram vegetativæ facultatis cum calore: lib. 1. Metaph.* tenet *eſſe conjunctionem animæ, ſeu colligationem cum corpore.* Galenus tenet vitam eſſe diſpoſitionem factam à facultatibus vitalibus naturali, & animali. D. Bernardus dicit, quod vita eſt *permanſio animæ vegetativæ in calore.* Argenterius, quod eſt *eſſentia, ſubſtantia, ſive permanentia rerum animatarum.* Ludovicus Vives, quod eſt *conſervatio inſtrumentorum, quibus anima utitur.* Fernelius, quod eſt *pro-*

pria, & inſeparabilis actio animæ. Areyes, quod eſt *actus primus animæ, ſeu ipſa anima, vel quid modaliter diſtinctum ab illa.* Carreirus ait, quod eſt illud, *per quod aliquid conſtituitur in eſſe viventis.* Sed id eſt quod dubitatur, quid ſit id per quod vivens conſtituitur in eſſe viventis? Tenent aliqui, quod conſtituitur in eſſe viventis quodlibet per hoc, quod tribuit illi eſſe principium motus à ſe: quod etiam diſplicet aliis, quia etiam gravia & levia moventur à ſe, & per gravitatem, & levitatem, quæ ſunt potentiæ illis inſitæ, motus recipitur in illis: & naturæ etiam competit, quod ſit principium motus & quietis ejus in quo eſt; & non ſemper competit illi vivere.

§. II.

Traditur generica vitæ definitio.

RESolvendum primò, quod vita eſt principium radicale vitalium actionum.

Dicitur actio vitalis, quæ provenit à C principio vitali vitaliter operante in determinato gradu vitæ.

Probatur primò veritas hujus definitionis ex D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 179. *art.* 1. *ad* 1. §. *Ergo dicendum, quod propria forma uniuſcujuſque, faciens ipſum eſſe in actu, eſt principium operationis propriæ ipſius: & ideo vivere dicitur eſſe viventium, eo quòd viventia, per hoc quod habent eſſe per ſuam formam, tali modo operantur.* Ex quibus manifeſtè conſtat, quod vita eſt forma, ſeu anima viventis, non ut informat; hoc enim eſt D commune formis viventibus, & non viventibus; ſed ut dat eſſe vivens, & radicale principium vitalium actionum.

Probatur ſecundò. Tum quia datur per proprium genus, & differentiam. Particula *Principium*, includit etiam potentias, quæ excluduntur per ly *Radicale*. Particulæ *Actionum vitalium*, explicant proprium conſtitutivum vitalitatis. Tum quia per actiones vitales cognoſcimus quâ vitâ vivens fruatur. Tum quia per operationum vitalium defectum cognoſ- E cimus defectum vitæ. Tum in fœtu humano gradus vitæ diſtinguimus per operationes quæ demonſtrant ſuum radicale principium, ſimul & in aliis viventium ſpeciebus. Tum quia vita corporalis & ſpiritualis diſtinguuntur in anima rationali penes hoc, quod ſit in homine principium actionum, quæ fiant cum dependentia potentiarum materialium, non verò in ſtatu A ſeparationis. Tum quia cùm vivere in homine ſit ab anima, hoc debet eſſe ut informat, vel ut eſt principium actionum vitalium: non ut informat, hoc enim eſt commune formis non viventibus, & deſineret vita in anima rationali dum ſeparata à corpore non informat, quæ adhuc vivit, quia remanet in illa radicale principium actionum vitalium. Tum quia radicale principium vivendi non debet tantùm modaliter eſſe, ſed quid realiter entitativum: unde licèt ratio informandi, & ratio principii vitalium actionum ſint unum B entitativè in anima corporali; per rationem tamen informandi conſtituitur in eſſe formæ quæ dat eſſe rei: per hoc verò quod ſit principium operationum vitalium, conſtituitur in eſſe vitæ, & juxta has diverſas rationes formales realiter diverſas, licèt ſit una entitativè, realiter tamen formaliter eſt diverſa; & formaliter prout eſt anima, differt à forma. Tum quia ſi eſſentialis ratio vitæ in communi deberet conſtitui in anima penes hoc quod informaret, in Angelis non daretur vita: ergo ratio vitæ C in anima diverſum conceptum realem, & entitativum ſuperaddit ab ejus reali entitate, prout informat. Et ſimiliter in viventibus ſpiritualibus eſt diverſus conceptus ſui eſſe entitativi, & ſui ineſſe principii ſuarum actionum.

§. III.

Proponitur vitæ diviſio.

RESolvendum ſecundò, quod vita alia eſt à ſe, qualis eſt Dei vita, quæ ſtat D pro famoſiori: illa enim eſt per ſe talis: alia eſt vita ab alio, qualis eſt vita creaturarum, quæ per analogiam, & participationem vocatur vita. Vita ab alio alia eſt ſpiritualis, qualis eſt vita Angelorum; alia eſt vita corporalis, qualis eſt vita eorum quæ conſtant ex materia & anima. Hujuſmodi vita, alia eſt infima, qualis eſt vita vegetabilium; alia media, qualis eſt vita animalium; alia eſt perfectior, & ſuperior reliquis, qualis eſt vita rationalium: & hæc alia eſt quaſi E corporea, dum dat eſſe corporeum homini; alia ſit omnino ſpiritualis, qualis eſt vita animæ rationalis ſeparatæ à corpore dum ſolas rationales exercet operationes.

Resolvtio Tertia.

Quid, & quotuplex ſit actio vitalis.

§. I.

Traditur quidditas actionis vitalis.

CUm vita definiatur per hoc, quod ſit principium actionum vitalium, reſtat examinare quid ſit actio vitalis? Et dupliciter illa ſumitur: uno modo ratione finis, quatenus ſpecialiter eſt à natura deſtinata in conſervationem vitæ animalium perfectorum; & ſic à Medicis ſpecialiter vocatur actio vitalis actio facultatis pulſificæ. Alio modo actio à Phyſicis vocatur vitalis ratione principii, quæ à principio fit vitali, ad differentiam actionum, quæ fiunt à principio, ſeu à forma naturali, ut motus gravium, aut levium. In hac acceptione agimus de illa cum Philoſophis, qui tenent communiter, quod actio vitalis eſt, *quæ provenit à principio vitali vitaliter operante in determinato gradu vitæ.*

Sed communiter opponitur huic definitioni, quod debent ſpecificari à ſuo termino: ergo actio vitalis potiùs debet tradi per ordinem ad illum, quàm per ordinem ad ſuum principium. Cùm igitur actiones non ſolùm habeant ſpecificari à termino, ſed ſimul prout reſpicit principium à quo, ut colligitur ex D. Thom. *de potentia q.6. art.8. §. Dicendum quod actio aliqua ex duobus ſpeciem naturalem accipere videtur, ſcilicet ex agente, & termino: calefactio enim ab infrigidatione differt, quia una earum ex calore procedit, & ad calorem terminatur; alia à frigore, & ad frigus.* Ex quo infertur, quod actio recipit à termino ſuam ſpecificationem, & à principio quod ſit naturalis. Sic actio viventis habet à principio quod ſit vitalis, licèt quod ſit talis, habeat à termino intra vitalitatis ſpeciem.

Reſolvendum tamen, quod actio vitalis eſt quæ provenit à principio vitali, media facultate determinati gradus vitæ tendente in uſum ſibi deſtinatum pro tali gradu.

Patet; nam cùm actio vitalis ſit actio proveniens à vita, debet à principio vitali oriri, in quo ſtat ratio vitæ: & cùm illud ſeipſo non operetur, ſed per ſuas facultates, debet actu provenire media ejus facultate; & cùm habeat operari per naturales & vitales facultates, ut actio ſit vitalis, debet progredi media facultate vitali:
A ideo motus deorſum in vivente non eſt vitalis, quia non fit ab illo media facultate vitali; & hæc debet operari tendendo ad terminum deſtinatum illi pro uſu illius gradus viventis, à quo pullulat, & per quem talis potentia ſpecificatur.

§. II.

Proponitur diviſio actionum vitalium.

CUm actiones vitalès ſint diverſæ penes diverſas facultates vitales, à quì-
B bus proveniunt, juxta diverſa illarum genera diverſa etiam vitalium actionum genera enumerant. Sunt qui quinque eſſe tenent; nam animæ facultates genere diverſæ ſunt quinque, ex Ariſtotele, quæ vegetandi, ſentiendi, intelligendi, appetendi, & locomovendi vim habent, à quibus quinque actiones vitales genere diverſæ debent provenire.

Alij verò, cùm Ariſtoteles doceat *lib. 2. de anima*, quod quadruplex ſit genus viventium; primum eorum quæ vegetativa
C ſunt, & per intus ſumptionem utuntur alimento; ſecundum eorum quæ habent vim & naturam ad ſentiendum tantùm, non ad movendum localiter, ut apparet in oſtreis, quæ non moventur perfecto motu; tertium, quod habet ſenſum & motum perfectum, ex imaginatione, & appetitu ſequutum, ut apparet in perfectis animalibus; quartum genus eſt eorum quæ habent naturam ad intelligendum; juxtà hæc quatuor viventium genera, quatuor genera actionum videntur admittenda.

D Reſolvendum tamen, quod genericè diverſum triplex genus actionum vitalium debet admitti in his inferioribus, ultra actiones vitales entium omnino ſpiritualium: actio vegetativa; actio ſenſitiva, ſub qua eſt cognoſcitiva, & locomotiva actio; & actio animæ rationalis, ſub qua eſt intellectio, & volitio.

Probatur. Actio vitalis, ut diximus, eſt quæ provenit à principio vitali in determinato gradu vitæ, & per potentias talis gradus: ſed triplex eſt principium vitale, ve-
E getativum, ſenſitivum, & rationale, ad quæ reducuntur omnes potentiæ vitales: ergo genericè triplex tantùm genus vitalium actionum poteſt admitti, ſub quorum quolibet diverſæ ſpecie ſunt aliæ vitales actiones.

Dices, quod actio facultatis pulſificæ ſub nullo genere ex adductis poteſt poni; cùm ſit motus perfectus localis; & nequit eſſe ſub gradu ſenſitivo, cùm non fiat cum præcedente cognitione. Sed quia longam

exigit hæc dubitatio diſputationem, videatur in noſtro primo tomo, diſputatione de Arte Sphygmica.

Resolutio Quarta.

Ubinam ſint animæ, quæ præſtant vitam ſublunaribus.

§. I.

Ratio dubitandi, & varia opiniones proponuntur.

Viventia fuiſſe ab æterno, ipſumque mundum, avidè conatus fuit ſuadere Ariſtoteles *lib.* 8. *Phyſicorum*, & *in lib. Metaph.* contra quem non ſolùm operam navarunt Catholici, ſed & Ethnici deviarunt ab ipſo. Triſmegiſtus, Muſæus, Linus, Epicharmus, Orpheus, Heſiodus, Homerus, Anaxagoras, Zoroaſtes, Meliſſus, Empedocles, Phereeides, Philotheus, Democritus, Zicreta, & alii. Et licèt, ut tenet D. Thomas 2.*part. quæſt.* 46. & *lib.* 2. *contra gentes, cap.* 38. Capreolus *in* 2. *diſt q.*1.*art.*1. & D. Gregorius *homilia in Ezechielem*, admittant, mundum non fuiſſe ab æterno, non poſſe phyſicis rationibus convinci, convincit tamen orthodoxa doctrina, & ſacra Pagina 1. *Geneſis*: nec ex ejus errore imminuitur ratio dubitandi; pro tota enim illa æternitate dubitamus, ubinam animæ extiterint.

Pythagoras formas omnes viventes, & reliquas tenuit fuiſſe creatas à prima mundi origine, ipſaſque non corrumpi, ſed migrare de ſubjecto in ſubjectum, ita ut ſemper permaneant, & conſerventur in diverſis ſubjectis. Diſplicuit tamen ſemper hic modus philoſophandi. Tum quia cùm præter rationales, reliquæ ſint formæ corruptibiles, neceſſe eſt ut pereant, deficiente corpore quod informant, & per cujus ſubſiſtentiam, & exiſtentiam permanent. Tum quia ſi ſubjectum corrumpitur, ut illi ſuperveniat forma, nequit ſuperveniens forma ſine novo actu perficiente illud in illo recipi, & conſervari. Tum quia anima quæcunque nequivit ſuas elicere operationes in corpore pro alia anima organizato. Tum quia anima hominis in corpore canis lattabit, & anima canis in corpore hominis ratiocinabitur, ob organa ad has actiones proportionata. Tum quia debet aſſignari movens, quod mutet animas ab uno corpore in aliud. Nec licet immorari in iis, quæ repugnant Fidei.

Plato tenuit dari in rerum natura, ſi Ariſtoteli credendum, quaſdam ideas ſpecificas omnium rerum, ſeparatas ab individuis, & ab illis infundi formas ſubſtantiales & viventes, & per has viventia fieri talia. Hæc opinio ſatis manet refutata ab Ariſtotele *lib.* 1. *Metaph. cap.* 4. & *lib.* 7. & aliis in locis.

Avicenna *lib.* 1. *ſufficientiæ, cap.* 10. & *lib. Metaph. tract.* 9. *cap.* 4. aliiſque in locis conſimilem confingit errorem, dicens quod datur intelligentia quædam in rerum natura generatrix mundi ſublunaris, à qua in materiam diſpoſitam ab agente Phyſico, omnes formæ Phyſicæ & viventes introducuntur, quam ideo formatricem vocat. Contra hanc opinionem diſputat D. Thomas 3. *contra gentes, cap* 69. aliiſque in locis.

Paracelſus pro formarum, & animarum loco fingit eſſe in rebus quaſdam ſpirituales eſſentias, quantitatis expertes, omni dimenſione liberas, vndequaque penetrantes, quæ ex tribus principiis, ſale, ſulphure, & mercurio perſonam aſſumunt, & rerum ſpecies adimplent, & conſervant, donec iterum redeant in abyſſum, ibique quietæ diu iterum permaneant. Hoc figmentum, ſeu errorem refutat Freztagius *in ſuis noctibus Medicis*, & irridet miſerandam illarum eſſentiam, ſeu conditionem; ſi enim ſunt corpora ſpiritualia, & clarificata, cur deſcendunt in corruptibilem naturam? quomodo, ſi incorporeæ, fiunt corporeæ? qualiter valent ſpeciem mutare? qualiter ſemel peractâ tragœdiâ ſub hac vita, iterum ſe colligunt ad ſuum eſſe perfectiſſimum: & liberæ ſtant in ſua abyſſo? A quo moventur de loco in locum? a quo trahuntur, & iterum retrotrahuntur? Si ſunt incorruptibiles, ſicut anima rationalis, ſuas exercere deberent operationes, & ſeparatæ à corpore, ſua fruerentur gloria, aut damnatione. Si conflarentur ex principiis corporeis, eſſent corporeæ: & unum corpus componeret aliud, & fieret ens per accidens.

Sennertus vir in Medicina peritus, quærens locum ex quo educuntur formæ viventes, tenet formas materiales educi de potentia materiæ, animam verò rationalem educi ex traduce ex ſemine: ſimul cum hoc aſſerit, quod anima rationalis eſt immortalis, quantumvis non fiat per creationem. Ex quo ſui primi erroris convincitur à Zachias, & contra Luciferianos, qui priùs conati ſunt probare animam rationalem propagari ex ſemine, falſitatem demonſtrarunt plures. Damnatur error hic in Decretis, 32. *q.* 2. *cap. Moyſes*, & ut talis damnatur

ab

ab Auguſtino *in lib. de hæreſibus*. D. Thomas A *2. contra gentes, cap.*86. *& in 1. part. q.*118. *art.*2. palam profitetur hunc errorem eſſe hæreſim, quia ex illo convincitur, quod anima rationalis deberet eſſe mortalis. Conimbricenſes ex eo convincunt, quia nulla virtus activa agit ultra ſuum genus: ſed anima rationalis, cùm ſit ſpiritualis, excedit genus naturæ corporeæ: ergo non valet attingi virtute corporea, & per illam virtute ſeminis ex traduce derivari ex ſemine. Tum quia ſi alicujus generatio eſt cauſa ut aliquid ſit, ejus diſſolutio eſt cauſa ut pereat: B ſed diſſolutio animæ rationalis à corpore non eſt cauſa, ut illa pereat, cùm maneat immortalis: ergo nec traductio ex ſemine per generationem potuit eſſe cauſa animæ rationalis. Tum quia omne agens naturale id tantùm attingit, quod ſit dependens à materia: ſed anima rationalis eſt ens independens à materia: ergo nequit ab agente naturali ex traduce generari. Tum quia falſitas hujus erroris confutatur à pluribus Patribus agentibus de animæ origine, & Zachias doctè C proſequitur illius confutationem.

§. II.

Modus quo educuntur formæ de potentia materiæ, præter rationalem.

RESolvendum cum Ariſtotele, quod animæ vitam præſtantes, præter rationalem, educuntur de potentia materiæ, nullibi priùs actu exiſtentes. Rationalis verò à Deo creatur ex nihilo ſui.

Patet hæc doctrina admittendo cum D Philoſophis, quod duplex eſt admittenda potentia in rebus: alia naturalis, quæ eſt ordo, proportio, inclinatióve cuique rei inſita ad id quod ſibi conſentaneum eſt, qualem habet materia ad formam ſibi coaptatam, intellectus ad intelligendum, virtus oculi ad videndum. Alia eſt potentia obedientialis, quæ eſt aptitudo, ſeu non repugnantia, quam habet aliqua res ad obtinendum aliquid ab eo, cui vel præter, vel ſupra naturæ modum obedire apta eſt, qualis eſt potentia ligni ad recipiendam E formam ſtatuæ. Ex iis concluditur, quod formam educi de potentia materiæ, ſtat in hoc quod duæ concurrant conditiones in materia prima: vna, quod inſit illi naturalis potentia, aliàs eductio non eſſet naturalis: altera, quod forma quæ educitur, ſine illius adminiculo nequeat effici, nec permanere, id eſt, quod forma pendeat in fieri, & conſervari à materia: & defectu hujus conditionis anima rationalis, quæ poteſt conſervari ſeparata à materia, non dicitur educi de illius potentia. Hanc doctrinam receptam ex Ariſtotele docuerunt D. Thomas *1. part. quæſt.*45 *art.*8. Henricus Gand. *quodlib.*4. *q.*14. Scotus *2. diſtinct.*18. *quæſt. unica*, Durandus *quæſt.* 2. Hatvæus *tract. de unitat. format.* & tenent Peripatetici.

§. III.

Elucidatur modus, quo formæ, & Animæ poſſunt dici eſſe in elementis.

RESolvendum ſecundò, quod formæ viventes materiales latent tanquam in ſuis ſeminariis in elementis ob obedientiales eorum potentias ad recipiendas formas ſubſtantiales mixtas.

Probatur primò ex D. Auguſtino *lib.* 3. *de Trinitate, cap.*6. *&* 8. ubi docet, omnium quæ ad oculos noſtros prodeunt, occulta quædam ſemina ex elementis mundi latère, per quæ alia quæ in occulto erant, in apertum progrediuntur.

Probatur ſecundò ex Conimbricenſibus, qui per rationes ſeminarias dicunt nihil aliud intelligi, niſi potentias naturalium cauſarum, ſeu agentium, ſeu patientium. Dicuntur, inquiunt, latère formæ in elementis, non quaſi in ipſis actu ſint, ſed potentiâ. Ex quibus conſtat, qualiter formæ viventes dicantur eſſe in elementis, & reliquæ mixtæ, ſicut formæ elementorum in materia prima.

Probatur tertiò ratione fundamentali, ex eis quæ diximus *tom.*1. *Reſolut. Medicor. diſput.* 2. *ſect.* 2. ubi demonſtravimus, formas viventes, & reliquas mixtas non eſſe aptas vt recipiantur in materia prima proximè; ſed requiri materiam primam priùs fuiſſe ſub formis elementorum, ex quorum commixtione reſultet quædam mixtio qualitatum, & materiarum ipſorum elementorum, quæ ſit coaptata pro forma ſubſtantiali mixta recipienda in tali mixta proportione materiarum elementorum: ſicut nec forma ut vivens, poteſt recipi in materia, niſi in tali proportione organizationis requiſitæ pro illa: & ſic formæ elementorum educuntur ex materia prima tantùm: formæ ut mixtæ educuntur ex materiis quæ fuerint ſub formis elementorum commixtis pro illarum conſervatione: formæ viventes recipiuntur in materia prima debitè commixta, & organizata, & ut ſic dicuntur contineri in elementis tanquam in ſuis ſeminariis.

§. IV.

§. IV.

Traditur modus, quo omnes animæ ſunt in Deo.

RESolvendum tertiò, quod in Dei potentia permanent vitæ, & formæ omnes viventes poſſibiles, tanquam in virtute cauſæ à qua producuntur.

Probatur. Formæ omnes viventes, tanquam in virtute cauſæ efficientis, ſolùm poſſunt eſſe in virtute cauſæ à qua poſſunt fieri, & produci: ſed à ſolo Deo poſſunt effici: ergo in ſola ejus potentia poſſunt eſſe, tanquam in producentis virtute. Probavimus minorem latiſſimè *in tomo 3. reſolut.* 12. pluribus rationibus deductis ex Scoto *in 2. Sentent. diſtinct.* 18.

Nec ex hoc negamus, dari aliquam actionem creaturarum in rerum generationibus, ut negarunt Aliacenſis 4. *Sentent. diſtinct.* 2. Gabriel *diſtinct.* 2. *quæſt.* 1. quos refutant D.Thom. 2 *diſtinct.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 4. Averroës *lib.* 9. *Metaph.* & alii. Admittimus enim quod agentia naturalia concurrunt ad generationes viventium, ponendo in paſſo diſpoſitionem corruptivam formarum antecedentium: ſed creaturæ, ut fatentur Conimbricenſes, important neceſſariam habitudinem ad productivum, hoc eſt ad Deum, in cujus virtute continentur.

RESOLVTIO QVINTA.

Utrum brutorum vita ſit corporea.

§. I.

Pars affirmativa proponitur, & fulcitur.

VItam diximus eſſe animam, prout eſt principium radicale operationum vitalium. Eſt duplex; alia ſpiritualis, qualis eſt rationalis; alia corporea, quæ in vegetabilibus, & brutis corporeum præſtat eſſe. De ea quæ in brutis reperitur, dubitatur an ſit actus incorporeus tribuens illis corporeitatem, qualiter docuit Ariſtoteles, docens eſſe actum corporis phyſici, & organici: an competat animæ brutorum, quod ſit quid corporeum, tribuens illis corporeum eſſe? Inter nuperrimos Vvillis *tom.* 1. *tract. de anima brutorum, cap.* 2. adhærens Gaſſendo conatur deducere ex Democrito, Epicuro, Laërtio, Lucretio vetuſtioribus, ac ex aliis junioribus, quod brutorum anima eſt quid corporeum, & ex- A tenſum de natura ignea, itaut ſit ignis ejus actus, ſeu ſubſtantia, aut flamma, aut halitus proximus flammæ.

Primò conatur ſuadere hoc placitum tribuendo illud Hippocrati, Galeno, & Ariſtoteli, illudque ſimul imponendo Fernelio, Heurnio, Carteſio, Hogelando, & præcipuè Honorato Fabro palam profitenti, quod brutorum anima ſit ignis.

Secundò: Animata ab inanimatis per hoc diſtinguuntur, quod ſicut accenduntur in ſe inanimata, ſic in animatis accen- B duntur ſpiritus: ergo in animatis forma eſt ignis relucens in illis.

Tertiò: Similis eſt ignis natura in ſe, ſicut apparet in brutis: ex quo apparet, quod eſt ignis in brutis illorum anima; eſt enim partium ſubſtantialium in motu perenni exiſtentium; & in quorum nova geneſi partium, ac aliarum deceſſu & motu ſtat conſervatio. Quod in animali contingit, quod ex continuo alimento, tanquam ex pabulo permanet: ex quo conſtat, quod ignis in brutis ſit illorum forma.

C

§. II.

Nec ignis, nec aliqua illius ſubſtantia eſt brutorum forma.

REſolvendum, quod repugnat veræ Philoſophiæ, & rationi ponere ignem pro forma brutorum. Sic tenent orthodoxi Patres, Ariſtoteles, & ejus ſectatores.

Probatur ex communiter recepta animæ definitione *ex lib.* 2. *de Anima*, tradita ab Ariſtotele, quod ſit *Actus corporis phyſici,* D *& organici.* Tum quia quodlibet brutum eſt ens per ſe: ſed ſi forma ejus eſſet ignis, deberet admitti, quod eſt ens per accidens, cùm fieret tale ab alio ente per ſe. Tum quia anima, ſeu forma eſt quæ dat eſſe rei: at ſi ignis eſſet forma bruti, daret illi eſſe, & brutum eſſet formaliter ignis. Tum quia ſi unus ignis eſſet omnium brutorum forma & anima, omnia bruta eſſent ejuſdem ſpeciei. Tum quia ſi ignis eſſet, qui dat eſſe bruto, quodlibet brutum in ſe haberet eſſe bruti, & eſſet brutum, immò eſſet E omnia bruta, cùm in ſe haberet omnium eſſe: at ſi ignis dans eſſe brutis, daret illis potentias vitales, in ſe eſſet vivens per eaſdem potentias, & exerceret vitales actiones omnium brutorum, videret, & ſentiret, &c. Tum quia forma & entitas ignis, eſt entitas quædam naturalis inferior quocumque bruto; & ideo nequit dare illi eſſe bruti, cùm nemo poſſit dare quod non habet. Tum quia ſi ignis eſſet anima bruti, & daret illi eſſe, vel daret per ſuam materiam,

A riam, vel per ſuam formam. Non per ſuam materiam, quia hæc non dat eſſe, ſed illud recipit à forma. Nec per ſuam formam; nam ſi illa haberet dare eſſe bruti, ſuo elemento daret tale eſſe. Tum quia vel forma ignis informat brutum, vel non. Si illud informat, ſimul valet informare ignem & brutum, & dare idem eſſe utrique, vel duplex eſſe genere diſtinctum elemento & bruto. Si non informat brutum, nec illi dat eſſe, nec reddit illud vivens. Tum quia forma ignis per ſe primò informans B ignem non dat illi bruti organizationem: ergo nec tanquam bruti forma valet illam dare bruto. Tum quia ſi ignis formaliter eſſet in omni bruto, quia continuò partes bruti extenuantur, vel reſolvuntur, & ſeparantur, ac reparantur ex alimento, eadem ratio curreret ut hominis anima eſſet ignis, & in illo ignis eſſet immortalis, intelligeret, & eſſet ſpiritualis, cùm ob eaſdem cauſas pro pabulo utatur alimento. Tum quia ſimilis currit ratio de vegetabilibus, quæ eodem modo utuntur alimento. Tum C quia ignis in ſuo centro ſervat totam ſuam perfectionem, & in centro haberet eſſe brutorum, & eſſet illa omnia. Tum quia ſi ignis communicatus bruto dat illi eſſe bruti, communicatus ſtuppis, aut ligno daret illis eſſe bruta. Tum quia actiones quæ proveniunt in brutis à calore, poſſunt ſine ignis forma provenire per calorem ortum à forma, ut mixta eſt, ut demonſtravimus *tomo 1. Reſol. Medic. ſect. 2. diſp. 2.* Tum quia ſine forma ignis conſervatur, & communicatur calor debitus pro brutorum actio- D nibus, mediis ſpiritibus vitalibus: ergo fruſtra ſuſcitatur hic error à junioribus.

§. III.

Solvuntur rationes invalidæ primò adductæ.

PRo primo dicimus, quod Hippocrates, & Galenus, ut Medici, & ut artifices ſenſuales de anima loquuntur, non ſecundùm ſuam eſſentiam, ut Phyſici, ſed ſecundùm ſenſibile conſervativum illius, quod eſt temperamentum, per quod conſervatur, E & cuius conſervationem intendit Medicus. Præcipuè Galenus varius apparet dum loquitur de anima: aliquando vocat illam ſubſtantiam, aliquando temperamentum: & *in lib. quod animi mores, &c.* arguit Platonem, quia defendit animæ immortalitatem, ubi videtur ſumere illam pro temperamento: *lib. de tremore & rigore*, agens de anima rationali, dicit quod ſi quis dicat animam eſſe ſubſtantiam, quæ per ſe moueri queat, minimè deceptum iri: unde ab iis non fovetur propoſitus error, nec forſitan ab aliis citatis; & ſi fovetur, debitè reprehendi debent.

D. Gaſp. Bravo Tract. Miſcell.

Ad ſecundum reſpondetur, quod animarum diſtinctio in brutis non ſumitur per caloris actiones, quæ tribuuntur formæ ut mixtæ, ſed ex actionibus vitalibus, per quas differunt à non viventibus.

Ad tertium reſpondetur, quod actiones brutorum, quæ fiunt à calore, differunt ab actionibus caloris ignis; quia in illis calor non ſolùm calefacit, attenuat, & reſolvit, prout eſt virtus ignis, ſed etiam concoquit, auget, carnem generat, & alias exercet actiones vitales, quæ à ſolo igne nequeunt provenire.

Resolutio Sexta.

Utrum humana vita ſit brevis.

§. I.

Proponitur pars affirmativa.

DIximus ab anima rationali duplicem provenire vitam; aliam corpoream, dum informat corpus humanum; aliam incorpoream, ſeu ſpiritualem in ſtatu ſeparationis à corpore. De utraque dubitatur. Quod vita corporea ſit brevis, & hæc unica ſit homini concedenda, tenet noſtris temporibus Atheiſtarum extenſa, licèt occulta profeſſio, quæ in omni ſectarum ſorte prævalet; & tenebant Epicurei, & magna Philoſophorum pars, & Sadducæi, profitentes animam rationalem ſimul mori cum corpore. Stoici non illam ita primò mori fatebantur, ſed poſt aliquod tempus tenebant animas à corpore ſeparatas attenuari, & perire; animaſque ſapientium in majori duratione permanere, quàm inſipientium animas admittebant. De iis ſat plura infrà proponemus.

§. II.

Traditur animæ rationalis perpetua duratio.

REſolvendum, quod animæ rationalis vita ſpiritualis eſt immortalis. Sic tenent veri Catholici, ſancivit Concilium Lateranenſe, demonſtrarunt Patres Orthodoxi, D. Chryſoſtomus, & D. Auguſtinus *lib. 13. de Trinit. cap. 9.* D. Thomas *1. part. q. 75. art. 2. ad 6. & lib. 2. contra gentes, cap. 79.* & eſt in Fide indubitata doctrina, quam lumine naturali conſequuti ſunt inter Ethnicos Pherecides, Zoroaſtes, Thales Mileſius, Aratus, Anaxagoras, Porphyrius,

Tullius, & alii innumeri, à quibus hæc veritas fuit comprobata, præcipuè à Platone naturali lumine, phyſicisque rationibus fuit ſatis confirmata. Tum quia anima rationalis eſt ens ſubſiſtens, valens per ſe intelligere ſeparata à corpore in ſtatu ſeparationis; & cùm quodlibet ſit propter ſuum operari, independenter à corpore debet habere eſſe. Tum quia nobis eſt appetitus naturalis fruendi beatitudine, qui appetitus cùm non ſit inanis, nec in corporea vita poſſit adimpleri, debet dari alia, in qua adimpleatur. Tum quia Deus eſt juſtus, & debet dare animabus rationalibus quæ libero arbitrio operantur, præmia pro juſtis operibus, ſupplicia verò pro peccaminoſis. Hoc non adimplet in hac vita, in qua plures poſt varia facinora non plectuntur, plures poſt magnas virtutes innumeris opprimuntur laboribus: ergo debet dari animæ rationali in ſtatu ſeparationis alia vita, in qua præſtet animabus rationalibus præmia, aut flagitia pro ſuis operibus. Tum quia animæ immortalitas palam docetur in Eccleſia Catholica à Sanctis Patribus in Concilio Lateranenſi celebrato ſub Leone X. & in Viennenſi ſub Clemente V. nec deviant ab hac veritate; niſi ſoli hæretici, qui omnes ſolùm profitentur Atheiſmum ob mundana commoda, ſub prætextu ſuarum ſectarum.

§. III.

Vita corporea hominis cur dicatur brevis.

Reſolvendum, quod corporea vita hominis ob aliquas rationes brevis eſt dicenda.

Probatur. Tum quia ab Hippocrate 1. *Aphoriſm.* 1. brevis dicitur vita comparativè ad addiſcendam Artem Medicam, quæ ut patet ex dictis in principio, nec in innumeris ætatibus poteſt perfectè acquiri, quod Galenus fatetur in commentario; & idem tenendum comparativè ad reliquas ſcientias, quæ in infinitum videntur extendi, præcipuè reſpectu durationis noſtræ vitæ. Tum quia vita corporea hominis dicitur brevis comparativè ad innumeras miſerias, quibus homo ſubditur in illa: inquit enim Job, *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore multis repletur miſeriis*; & ſic comparativè ad illam multitudinem brevem vitam profert. Tum quia vita hominis judicatur brevis, ſi comparetur vita corporea ad æternitatis vitam, quâ fruetur vita ſpiritualis. Tum quia vita humana eſt brevis, ſi attendantur leviſſimæ cauſæ à quibus perit; inquit enim Plinius, *tot ſunt periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot cauſæ, toties invocata mors, tot curæ, ut nullum ſit frequentius votum, ut nihil hominibus brevitate vitæ præſtantius natura dederit.* Tum quia brevitas humanæ vitæ corporeæ ob ſuam brevitatem, & inſtabilitatem comparatur omnibus rebus inconſtantis durationis, hoc verſu:

> *Sonus, bulla, punctum, vox, ſomnus, aura, nihil.*

Et ob hanc vitæ inconſtantiam ait Seneca de conſolatione, *Feliciſſimum eſt non naſci, proximum puto brevitate vitæ defunctò.*

Resolutio Septima.

Per quas ætates percurrat vita hominum.

§. I.

Medica contemplatio in ætatum decurſu.

Politici agunt de ætatibus hominum prout homines in illis valent deſervire Reipublicæ: Medici prout in illis variæ ſunt temperies, & varii ob illas ſupervenient morbi, variæque ſunt vires pro tolerandis remediis. In hac conſideratione *tom. 1. Reſol. Medicar.* plura de ætate diſputavimus, ipſamque diffinivimus per hoc, quod eſt menſura durationis vitæ humanæ ex inſitis à natura provenientis, & eſt per quam homo licèt forma immortali gaudeat, quia corporeus, in inevitabilem pervenire mortem cogitur; quod ex verſione Mori manifeſtatur in huc carmine.

> *Nugamur, mortemque procul valde eſſe putamus:*
> *At medius latet hæc abdita viſceribus.*
> *Scilicet ex illa, quâ primùm naſcimur hora,*
> *Prorepunt juncto morſque, vitaque pede.*
> *Partem aliquam furtim quaſi metitur, & ipſam*
> *Surripit è vitâ qualibet hora ſuâ.*
> *Paulatim morimur, momento extinguitur vita,*
> *Ut lampas oleo deficiente perit.*
> *Ut nihil interimat, tamen ipſo in tempore mors eſt;*
> *Quin nunc interea, dum loquimur, morimur.*

Cum igitur ita continuò, & properanter per ætates vita ad mortem decurrat, hujus loci eſt inquirere per quas ætates.

§. II.

Proponitur communis Medicorum doctrina.

Reſolvendum, quod vita humana corporea decurrit in inevitabilem interitum per decurſum quinque ætatum. Sic

decrevimus

decrevimus *tom.1.Reſolut.Medicar.* ex com- A muni Medicorum aſſenſu, & tenent Fernelius *lib. 3. pathol. cap.10.* Valleſ. *lib.1.controverſ. cap.3.* Carreirus *in fen. 1. t. diſp.16. cap.3.* Peramatus *lib. de temperament. cap.14.* Martinez *lib. 1. ſect. 3. cap. 1.* & eſt communis.

Probatur: Ætas,ut diximus,eſt menſura durationis humanæ vitæ ſub determinato temperamento ex inſitis orto, & variabili neceſſariò à cauſis ex naturæ præſcripto operantibus. Sed quinque ſunt hujuſmodi menſuræ, ſeu ætates uſque ad hominis in- B teritum : ergo per quinque ætates percurrit vita in illum.

Probatur minor. Tum de prima ætate, quæ dicitur Pueritia, & extenditur ad annum decimumquartum,& in illa conſervatur vita cum prædominio caloris ,& humiditatis, ut tenent Galenus *lib.8. methodi, cap.16.& lib.2.de temperam.cap.2.* Avicenna *fen.1.1.* Ariſtoteles *ſect.3. problemat. quæſt.7.* Fernelius *lib.3.Phyſiolog.cap.1.* Fuchſius *lib.1. inſtit. ſect.3. cap.4.* Valleſ. *lib.3. controverſ.cap.8.* Varandæus *lib. Phyſiol. tract. de temperam.* C Carreirus *in fen. 1. 1.diſputat.9.* Martinez *lib.1.ſect.3.q.2.*

Tum patet de ſecunda ætate, quæ dicitur Adoleſcentia, in qua perdurat vita hominis ab anno decimoquarto uſque ad vigeſimumprimum cum æquali calore ac in pueritia, & cum mediocritate in paſſivis qualitatibus, ut fatentur Avicenna *fen.1. 1. doct.3. cap. 3.* & ibi omnes ejus Commentatores. Galenus *lib. 2. de temperam. cap. 2. lib.1. epidem. ſect. 1. text.11.* Fuchſius *lib. 1. Inſtit. ſect.3.cap.5.* Valleriol. *lib.1.de loc.com-* D *mun.cap.10.* Peramatus *lib.de temperam.* Carreirus *in fen.1. 1.* Duncanus *lib.1. Phyſiol.*

Tum patet de tertia ætate, quæ dicitur Juventus, in qua perdurat vita ab adoleſcentia uſque ad annum 35. cum prædominio caloris & ſiccitatis, ut tenent Galenus *lib.de ſalubri diæta, comm.7.lib.2. aphoriſm.6. comment.45. lib.3. prognoſt. comm.30. lib. de ſanit.tuend.& lib.6.epidem.* Fuchſius *lib.1. inſtit.ſect.3. cap. 3.* Carreirus *fen.1. 1. cap.17.* Peramatus *lib. de temperam.* & ſequuntur Juniores. E

Tum patet de quarta ætate, quæ dicitur Conſiſtentia, & in illa vita hominis permanet uſque ad annum quinquageſimum, ſub temperie ſicca à prædominio cum mediocritate in activis qualitatibus, ut latiùs comprobavimus ex pluribus etiam Authoribus *tom.1. Reſolut. Medic.*

Tum patet de quinta ætate, quæ dicitur Senectus, in qua vita hominis permanet ab anno 50. uſque ad interitum naturalem, cùm prædominio frigiditatis, & ſiccitatis, ut tenent Galenus *lib.5.de ſanit.tuend. cap.3. & 9.* Ariſtotel. *lib. de longit.& brevit. vitæ,* Avicenna *fen.5.1. doctr.3.* & tenent omnes illorum Commentatores,& eſt communis,ut diximus *tom.1.Reſol.Medic.*

§. III.

Senectutis admittuntur aliqua differentiæ.

Reſolvendum ſecundò, quod vita hominis in ſenectute, licèt ſub temperie frigida, & ſicca permaneat uſque ad naturalem interitum, tamen juxta diverſos intenſionis gradus diverſo modo ſe habet ad actiones obeundas.

Probatur ex Galeno *lib.5. de ſanit. tuend. cap. ult.* qui in tres partes dividit ſenectutem. In prima quæ dicitur ſenectus cruda, aut viridis, duratque uſque ad annum ſexageſimumquintum, tenet quòd homo propria valet obire negotia, & conſulere ſaluti. Secunda dicitur media ſenectus uſque ad annum ſeptuageſimum, in qua datur homini ſaluti conſulere, & balneum adire. Tertia dicitur ætas præcipitata, ultimum ſenium, ſeu decrepitudo, aut maraſmus ex ſenio, in quo nec poteſt homo propria obire negotia, nec ſaluti conſulere; eſt enim, ut inquit Zachias, poſtrema vitæ ætas, in qua radicale humidum ad totalem conſumptionem pervenit, de qua Lucretius.

Poſt ubi jam validis quaſſatum eſt viribus ævi
Corpus, & obtuſi ceciderunt viribus artus,
Claudicat ingeniũ,delirat linguaque,menſque.

RESOLVTIO OCTAVA.

Utrum vita humana ſub qualibet ætate ſit ſubdita variis miſeriis.

§. I.

Pars negativa quibus apparet tenenda.

Multa ſunt hominis encomia, ut illius vita felix ſemper appareat; ut enim alibi cum Laurentio protulimus, homo habet cœleſtes igniculos divinitatis, eſt animal adorandum, & admirandum, miraculum magnum, animal Deo ſimillimum, Deorum interpres, univerſi exemplar, animal politicum, divinum animal, plenum rationis & conſilii, epitome, & delicia naturæ audaciſſimæ, & omnia confidentis, naturæ decus, & paulò minùs ab Angelis gloriâ, & honore conſtitutus. Tum varias pro illo Nancellius proponit laudes ex ſa-

eris Literis, & ex Ethnicis Tullius *lib. 1. de legibus*, inquit, quod homo eſt animal providum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & conſilij. Stoïci tenebant, omnia quæ ſunt in terris fuiſſe creata ad uſum hominis, & mundum fuiſſe factum ejus causâ. Ariſtoteles dicit, hominem fuiſſe creatum erectum, quia ejus natura eſt divina: & *lib. 1. de histor. animal.* aliiſque in locis tenet, quod eſt animal ſociabile, politicum, civile, & œconomicum, naturâ conjugale, & divinitatis particeps, ſolertiâ naturali conſtans, & omnium animalium prudentiſſimus, qui ſolus Deum veneratur, & colit, ſolus numeratur, ſolus habet perfectam imitandi vim, ſolus ſpe rei futuræ movetur, ſolus reminiſcitur, & cogitat, ſolus partem habet ſuperiorem, ad ſimilitudinem orbis univerſi, ſolus terrenorum omnium eſt dominus. Apuleius: *Homo*, inquit, *animalia excedit, quia rationalis.* Lactantius tenet, quod data eſt homini ſapientia in malis declinandis, & in bonis proſequendis: ergo vita illius feliciſſima eſt judicanda.

§. II.

Corporalis vita hominis multis ſubdita eſt miſeriarum generibus.

Reſolvendum, quod poſt Adami lapſum nullum eſt miſeriarum genus, cui non ſubjiciatur homo per vitæ decurſum. Sic docuit Job dicens hominem multis repleri miſeriis: fatentur Sancti Patres, cognoverunt Ethnici, enarrarunt Hiſtorici.

Probatur primò ab eventu. Tum quia D ſacra Pagina in hiſtoria patientiſſimi Job proponit ſyndromen omnium miſeriarum ferè, quæ uni homini poſſunt contingere: plures alias proſequuntur Sancti Patres, & Ethnici Scriptores. D. Bernardus depingit illas per ætates humanæ vitæ; inquit enim: *In ſordibus generamur, in tenebris confovemur, in doloribus parturimur: ante exitum miſeras oneramus matres, in exitu more viperarum laceramus: primam vocem ploratum edimus, meritò quidem, utpote vallem plorationis ingreſſi, at illud ſancti Job* E *poſſit appropriari, Multis miſeriis repleti: multis, & multiplicibus miſeriis cordis: miſeriis dum dormit, miſeriis dum vigilat, miſeriis quacumque ſe vertit.* En humanæ vitæ miſerias antequam homo luce fruatur.

Tum Nancellius hominis miſerias proſequitur in utero, & per reliquas ſubſequutas ætates. Homo, inquit, in ſordibus generatur; de ſeminibus, & menſtruo muliebri; ſordida, vilique materia utraque, & A quam vernaculis vocibus in vulgus efferri pudor eſt; organis genitalibus tum virilibus, tum muliebribus, utriſque pariter pudendis, quæ vel videre, vel ex nomine tantùm audire nemo verecundus ſuſcipit, velut fabricatus, & ædificatus, & effictus in locis maternis ſordidis, & putidis, omnique ſpurcitia ſqualentibus, ceu ſentina quædam corporis, inter veſicam urinæ conceptabulum, & rectum inteſtinum excrementorum receptaculum; ibi nonimeſtri concretus ſpatio, poſtea exit oſtentans B ſordidiores corporis partes. En primam corporeæ vitæ receptionem in homine omni miſeriarum genere completam.

Tum quia jam in lucem editus homo dimidiam vitæ partem conſumit in ſomnos; eſurit infans, à nutrice ſopitur, aliena ope indiget; nutrix miſera illi adaptatur, vinculis premitur, voluntate illius vivit: ſi à nutrice evadat, indiget pædagogo, ictu, & plagis illum attemperante, & ſic per varias querelas ad majores tendit miſerias in reliquis ætatibus; quia ut monuit Sophocles, C nullus abſque labore vivit: feliciſſimus autem ille, cui minimum laborum obtigit; nam ut Euripides notavit, *ſi abſque laboribus, abſque moleſtiis mortalis natus, te ſic victarum judicas, ſtultus es.*

Tum quia ſubſequuntur in reliquis ætatibus labores. Ephebus ſuſtinet moderatorem, ac metuit: poſt annum vigeſimum multa obſervanda illi ſunt: in virili ætate ad magnas accedit curas, & labores, certamina, navigationes. Propinquus ſenectuti appropinquatur laboribus ſenectutis: hæc & eſt morbus, & mortis inevitabilis propinqua via.

Probatur ſecundò ex variis curis, miſeriiſque ſuperadditis pro vita conſervanda, quas ſic protulit Eraſmus.

Quodnam iter humana cupias inſidere vita,
Quoquò te vertas, omnia plena malis.
Litigiis, cauſiſque forum ſtrepit abſque moleſtis:
Perpetua crucias ſollicitudo domi.
Enecat aſſiduis rus triſte laboribus: undas,
Et freta ſi ſulces, mille pericla premunt.
Viventi peregrè ſi res tibi ſuppetit ampla,
Cuncta miſer metues, nec benè tutus ages.
Rurſus ſi vacua dependant are crumenæ,
Perdurum, ac miſerum eſt hoſpitem egere virum.
Conjugium quæris? quanta hîc te cura ſequetur:
Reſolutus eris, ſi ſine conjuge eris.
Si tollis ſobolem, multo labore educanda eſt:
Non tollis? orbi lumine, luce vacas.
Si juvenilis eris, vaga, & inconſulta vita eſt:
Viribus confectis, cana ſenectus erit.
Ergo quid reliquum eſt, quaſo, niſi ſinat ut optes
Alterutrum

Alteratrum, aut nunquam triſtibus ex ſinubus A
Materni prodiſſe uteri; aut protinus illinc
Exiteris, ſtygias abdier in latebras.

En miſeras vitæ humanæ in omni ſtatu ſortes, adhuc pro vita conſervanda.

Tum quia variæ Philoſophorum ſententiæ atteſtantur miſerias humanæ vitæ. Solon dicebat, quod homo non eſt aliud quàm vitæ calamitas: Ariſtoteles, quod eſt imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ ludus, inconſtantiæ imago, invidiæ, & calamitatis trutina. Socrates tenet, quod vita humana eſt aleæ B luſus: Democritus, quod eſt via longa ſine diverſoriis pro feſtinantibus in ipſa: Pyrrhus, quod vita humana eſt quaſi vita foliorum: ſunt qui illam comparent perſonis in theatro: ex quibus ejus miſera ſors aperitur.

Tum quia vitam humanam miſeram reddunt varii morbi, alii proprii euicumque ætati, alii omnibus ætatibus communes; alii communes utrique ſexui, alii potiùs fœminis proprii. Hippocrates epiſtola ad Damagetum, refert Democritum dicentem C quod *totus homo ab ipſo ortu morbus eſt*; ideo Plautus judicabat, *quod ſatius eſt minimùm vixiſſe, quàm ocyſſimè mori.* Unaquæque pars hominis plurimos pati morbos valet. Plinius refert plurimos morbos ſupervenientes oculis. Democritus affirmabat, quod ſexcentorum morborum cauſa eſt uterus. Hippocrates *lib.3.aphoriſmorum*, unicuique ætati plures adaptat morbos: *lib. de locis, aëre & aquis*, in unaquaque regione, & in variis cujuſlibet locis varios adaptat morbos. Antiqui antiquiores cognoverunt mor- D bos; recentiores plures novos experti ſunt, & tandem rari ſunt homines; qui ſine aliquo ſupervivant morbo, & nullus ſine continua humidi innati reſolutione, quæ eſt continua cauſa propriæ & inevitabilis mortis minantis neceſſarium hominis vitæ interitum.

§. III.

Quid dicendum de felicitatibus hominis.

AD primùm poſitas hominis felicita- E tes dicimus, quod ante lapſum Adami homo fuir deſtinatus ad ſummas conſequendas felicitates debitas naturæ illius: poſt lapſum verò omnes evanuerunt, & homo permanſit ſubditus omnibus annumeratis miſeriis.

Resolutio Nona.

Utrum omnium miſeriarum hominis ſit terribilior mors.

§. I.

Quàm horribilis ſit mors impiorum.

REſolvendum primò, quod nulla miſeriarum vitæ humanæ, nec omnes ſimul ſunt ita horribiles, quàm mors impiorum, ſeu eorum qui pereunt in peccato mortali. Sic ſanciunt omnes Sancti Patres.

Probatur primò: In impiorum morte duplex reperitur miſeria; altera in morte corporali, in qua amittitur corporale eſſe hominis: altera in morte animæ, in qua anima ſeparatur ab unione cum Deo, & ejus gratia, & damnatur in infernum: ergo nulla miſeriarum, nec omnes æquè terribiles, & horribiles poſſunt apparere.

Probatur ſecundò ex Apocalypſis capite 21. *Timidis, & incredulis, & execratis, homicidis, & fornicatoribus, pars illorum erit in ſtagno ignis ardentis ſub ſulphure.* Ubi apparet pœna impiorum. Tum quia Lactantius *lib.6.cap.1.* inquit: *Qui ſe vitiis, & ſceleribus contaminavit, æternam luet pœnam, quam divinæ literæ ſecundam mortem nominant, perpetuam, & graviſſimis cruciatibus plenam.*

Probatur tertiò horribilis impiorum miſeria ex miſera corporali morte, qua Deus plures punivit impios, ut conſtat ex ſacra Pagina. Core, Dathan, & Abiron ob impietatem, & peccatum contra Moyſem vivi deſcenderunt in infernum, *Num.* 16. Nabad, & Abiu offerentes ignem alienum, ab ipſo ſunt devorati. Sichem quia oppreſſit Dinam, ferro interfectus eſt ab ejus fratribus, *Geneſis* 34. Caïm quia interfecit Abel, fuit occiſus à Lamec. Blaſphemus filius Iſraël lapidibus fuit obrutus, *Levit.*14. Abſalon peccans in patrem obiit ſuſpenſus capillis, *Regum* 18. Aman patibulo fuit ſuſpenſus, quia ſuperbus. *Eſther* 17. Accuſator Danielis fuit devoratus à leonibus, *Daniel.*6. Ex quibus apparet ex ſacra Pagina, plurimos impios horribili morte fuiſſe punitos.

§. II.

Mors corporalis non omnibus apparuit terribilis.

REſolvendum ſecundò, quod inter vitæ miſerias mors corporalis non apparuit cunctis illis terribilior.

Probatur ex conſenſu plurium Ethnicorum, qui pro aliis vitandis miſeriis elegerunt illam, ut patet ex eorum hiſtoriis. Petrarcha tenet, quod Cato pro maximo beneficio recepit mortem. D. Auguſtinus refert, quod Cicero vocat novercam naturam nos producentem; matrem dum nos perducit ad mortem. Laërtius dicit, quod Chilon dicebat, eſſe animi fortis non timere mortem. Ælianus dicit de Platone, quod conſulenti ut mutaret locum Academiæ, quia inſalubris erat, reſpondit: Vivendi causâ nec in Atho vellem vivere. Stob. dicit de Ariſtide, quod interrogatus quantum liceret vivere, dixit: Donec apprehendas benè vivere. Idem de Schimide tenet dixiſſe: Glorioſum mori eſſe ſummam felicitatem. Plutarchus de Rege Agis percontante, quomodo quis poſſet acquirere libertatem, inquit: Si contemnas mortem. Ageſilaus dixit, ſummam gloriam conſequi contemnentem mortem. Philippus Rex bello oppreſſus conſulentibus ut pacem admitteret, reſpondiſſe fertur: Quid poteſt acerbè nobis accidere, qui mortem contemnimus. Pelopides gratias agebat Alexandro, quia ſuos docebat non ſolùm debellare, ſed bene mori. Apianus inquit, quod Caius Mævius captus ab Antonio, interrogatus quid vellet agi cum illo, dixit: Malo mori, quàm tuo beneficio vivere. Epaminondas vulneribus confoſſus, audiens quod clypeus erat ſervatus, & hoſtes devicti, lætus inquit: Epaminondas hodie naſcitur, quia ſic moritur.

Probatur ſecundò placidâ Juſtorum morte. D. Paulus cupiebat diſſolvi à vinculis hujus vitæ, ut frueretur æterna. De innumero cœtu Martyrum idem legitur. Sanctus Hilarius animam conabatur propellere ex corpore, ut abiret in gloriam. Sic & alii Anachoretæ, & Patriarchæ æquo animo mortem ſuſtulerunt. Joſeph finitis mandatis pro filiis, collegit pedes in lectum, & placidè obiit, *Geneſis* 48. Aaron in monte Hor ſpoliavit ſe veſtibus Sacerdotalibus, quibus veſtitus fuit Eleazarus, & ibi placidè obdormivit in Domino. David inſtructo Salomone ad regnandum, placidè obiit in Domino, 2. *Reg.* Tobias vocato filio, & nepotibus obiit placidè, dicens: *Prope eſt interitus meus.* 2. *Paralip.* D. Auguſtin. 13. *de civitate Dei*, dicit quod tantam Fidei contulit gratiam Chriſtus Dominus, ut mors fieret inſtrumentum, per quod fieret tranſitus ad vitam æternam. Ergo nequit Catholicis mors horribilis apparere.

A

Resolutio Decima.

Utrum poſſit Medicina prolongare vitam humanam.

§. I.

Negantium variæ ſortes proponuntur.

T*omo* 2. *ſect.* 2. *reſolut.* 12. tetigimus hanc difficultatem, in qua aliqua ſuperaddemus. Sunt qui contendunt, Medicinam B nullam opem poſſe præſtare pro vita prolonganda, immò nec pro morbis curandis, negantes in homine omnes & quaſcumque actiones: & horum alii ſunt Genethliaci, qui omnes actiones humanas dicunt provenire ab aſtris, ſtellis, & cœlis; & præcipuè tenent morbos lethales, & mortes fieri ab ſtellis malevolis maligno influxu præditis; morbos verò ſalubres, & ſalutem ab aſtris benevolis, inferioribus cauſis nihil agentibus.

Alii verò cum Stoïcis recurrunt ad fa- C tum, à quo omnia quæcumque fiunt in inferioribus, dicunt cauſari, immò & per ſuos falſos Deos, nullam cuicumque alii tribuentes actionem, aut effectum, nec agendi vim, niſi ſoli fato: unde nec Medicina, nec Medici, nec agentia naturalia poſſe quidquam juvare pro vita prolonganda, tenentur fateri.

Alii tenent, omnes actiones à ſolo Deo poſſe provenire, quatenus ab ipſo ſunt præviſæ, & ab æterno determinatæ; & ii omnes omnem tollere Medicinam conan- D tur, omnes rerum naturalium operationes, hominumque actiones; & conſequenter libertatem, & liberum arbitrium, omne meritum, omne peccatum, omnemque agendi, aut non agendi libertatem, & potentiam, ſpemque fruendæ beatitudinis de medio tollunt.

Sed omnes iſti cæca impietate feruntur ad negandum in homine liberum arbitrium ſimul, & reliquas actiones omnium ſublunarium: quos ideo refutant ex Sanctis Patribus Irenæus *lib.* 4. *cap.* 71. Clemens Alexandrinus *lib. ſtromat.* Origenes E *lib.* 2. *contra Celſum*, & *lib.* 3. *de princip. cap.* 1. Euſebius, Cæſareenſis *lib.* 6. *de præparat. Evangelica*, *cap.* 5. S. Athanaſius *ſerm. de paſſione & cruce Domini*, S. Baſilius *ſerm. de liber. arbitrio*, & oratione *quod Deus non eſt author malorum.* S. Gregorius Nazianzenus *lib.* 9. *Philoſ. cap.* 3. Joannes Chryſoſtomus *homilia* 60. *in Matthæum*, & *ſermone* 2. *de fato*, S. Epiphanius *hæreſi* 16. S. Cyrillus *lib.* 2. & *in Ioannem*, *cap.* 54. & *lib.* 9. *cap.* 10.

Ioannes

Joannes Damaſcenus *lib. 12. de fide. cap. 16.* A Tertullianus *lib. 2. adverſus Marcionem,* S. Cyprianus *lib. 1. epiſt. 12. ad Cornelium,* Optatus Milevitanus *lib. 7. in Parmenium,* S. Hilarius *pſalm. 2.* S. Avileo *pſalm. 40.* S. Hieronymus *epiſtola ad Cteſiphontem,* S. Auguſtinus *lib. 5. de civitate Dei, cap. 16.* & *lib. 12. cap. 6. lib. de prædeſtinat. Sanct. cap. 8. lib. 80. qq. quæſt. 29. & lib. de gratia & libero arbitrio,* S. Leo *ſerm. 16. de paſſione,* & alii, quos referunt Theologi, ex quibus convincitur in homine liberas permanere actiones, & in cauſis ſecundis eſſe B vim operandi.

Præcipuè contra Genethliacos idem demonſtravimus *tom. 3. in promptuario adverſus illos.* Tum quia fatuitas Ethnicorum admittentium fatum convincitur ex enumeratis Patribus, maximè ex D. Auguſtino dicente, quod ſi cor illorum non eſſet fatuum, non admitterent fatum: & Origenes *tom. 2. contra Celſum,* ſic convincit illos: *Si fato decretum eſt, ut liberos tollas, ſive uxorem ducas, ſive non ducas, liberos procreabis. Sed ſi in fato eſt, ut liberos non* C *ſuſcipias, ſive uxorem ducas, ſive non ducas, non procreabis liberos: fruſtra cum uxore das operam liberis. Quemadmodum enim quia non poſſunt ſine congreſſu cum uxore procreari liberi, non fruſtra uxor ducitur: ita quia ſi ex morbo levari æger ſine ope Medicinæ non poteſt, neceſſe eſt Medicum adhibere.* Ex quibus convincitur contra fatum, & fatuos uſum Medicinæ, & Medicorum eſſe neceſſarium. Tum confirmat Seneca *lib. 2. quæſt. natural.* dicens: *Cùm ſanitas videatur eſſe de fato, debetur & Medico, quia ad nos beneficium fati* D *per hujus munus venit.* Tum experientia demonſtrat, quod ſi fato, aut aſtris relinquatur morborum curatio, in pluribus neceſſariò peribit æger ſine medicinæ ope: ſi quis gladio apertâ venâ relinquatur fato, & non occludatur vena, peribit æger neceſſariò: ſi luxato crure à ſuo loco os extrahatur, aſtra non reponent illud niſi à miniſtro Medicinæ reponatur in ſuo loco: ſi abſumitur venenum, & non curetur à medico, fatum & aſtra nihil operabuntur: ſi eſthiomeno pars moriatur, & à Chirurgo E non abſcindatur, pars eſthiomenata ſanam, & totum corpus celeriter mortificabit, & peribit æger, fato, & aſtris nihil proficientibus.

Nec Dei decreta obſtant neceſſitati Medicinæ; nam ut inquit Gilbertus Boëtius, abſolutus terminus noſtræ vitæ alter à Deo decretus eſt abſque ullo ordine ad cauſas ſecundas naturales, qui inevitabilis; alter eſt præfixus à Deo cum reſpectu ad cauſas ſecundas naturales, qualis eſt permanſio animæ in corpore juxta permanentiam calidi in humido radicali: qui terminus variari poteſt, ſicut & ipſæ cauſæ; & juxta hoc decretum inquirimus, an ope Medicinæ poſſit vita humana prolongari, contra ſtultitiam eorum qui ſcurrilitate profuſa debacchantur in Medicinam, quos ſtultos, ſive imprudentes judicat ſacra Pagina; quia Medicinam quam Deus creavit in ſubſidium hominum, abhorrent.

§. II.

Prorogandi vitam hominis traditur modus.

RESolvendum primò, quod licèt non omnes violentas mortis cauſas valeat Medicina vitare, nec naturalem interitum impedire, poteſt tamen illum retardare, & vitam corporalem prolongare. Docuit Galenus *lib. de ſanitate tuenda,* Levinus Lemnius *lib. de occult. naturæ miraculis,* & *lib. de vita cœlitùs comparanda,* Cardanus *de vita longa, cap. 203.* Mendoza *in viridario, lib. 4. problem. 17.* Becanus *lib. de vita, & morte.*

Ratio fundamentalis eſt, quia vitæ humanæ conſervatio uſque ad interitum naturalem ſtat, ut docet Ariſtoteles, in permanſione calidi in humido radicali. Hoc autem poteſt diu conſervari cum debito uſu rerum non naturalium, prout à Medicis præſcribitur in talem finem, vitando animæ paſſiones reſolventes illud, & reponendo ſubſtantiam ſimilem deperditæ, ut proſequitur Galenus *lib. 5. de ſanit. tuenda, & lib. 3. artis medicinalis,* Marſilius Ficinus *lib. de ſtudioſorum vita,* Cardanus *lib de vita longa,* Baconius *in hiſtoria vitæ, & mortis,* Areyes *quæſt. 12.* Torreblanca *lib. 3. cap. 12. de jure ſpirituali,* Valleſ. *lib. 6. controverſ. cap. 1.*

Probatur ſecundò ab aliquibus. Nam ſicut arbor vitæ poterat per tot annos vitam hominis prorogare, præſtando materiam pro conſervando humido radicali, ita poterunt aliqua alimenta prodeſſe pro humido radicali, ſuo modo conſimilem materiam offerendo. Baconius plura proponit in hunc finem ad corpus inſtaurandum, ad ſpiritus generandos, & inſtaurandos, ad corpus mollificandum: inter hæc ponit ſanguinis transfuſionem, quam nos refutavimus in fine tertij tomi. Iſte author meminit Medeæ in Peliæ inſtauratione: & Ficinus in uſu transfuſionis ſanguinis ab uno corpore in aliud, meminit balneorum ex ſanguine humano: refert applicationes columbarum ſciſſarum in

plantis

plantis pedum, & in aliis partibus: ſic & A memînit de incarnatione particulari plurium particularum noſtri corporis. Sed maximè inſiſtit in ſpirituum inſtauratione, & ratificatione, à qua homines in juvenili ætate conſervari poſſe affirmat. Laudat opium quammaximè, & opiata, & omnia quæ conferunt in peſte: aquam inſtillatitiam ex papavere ſylveſtri, pulveres herbæ daphæ, & radicem betel, in Oriente ab Indis uſitatam, tabacum, theriacam, mithridatum, triferum, laudanum, diacodion, diaſcordium, quæ hiſtoricum com- B mendant illum, non tamen peritiſſimum Phyſicum, aut Medicum.

Probatur tertiò ab experientia, quæ docet uſum terum, per quas prolongatur vita, inter quas ſunt regiones, in quibus ob cœli, & aëris clementiam, & benignitatem homines longævi fiunt, & ſæpe vivunt ultra annos centum & viginti, ut narrant Authores de habitatoribus in inſula Taprobana, & in urbe Reana dicta in Arabia felici. Sunt & alia vitam prolongantia, ut ex Ficino deducit Torreblanca. Sic ju- C vat proba compago corporis, forma, temperies, cœli clementia, regionis obſervatio, ac bonitas, victus cauta ratio, rerum utilium obſervatio, temperantia in omni victus ratione, voluptatum fuga, habitatio in locis temperatis, quæ cùm à medico cognoſci, & præſcribi valeant, mediis iis poteſt medicina humanam vitam prolongare.

§. III.

Nequit prorogata mors omnino impediri. D

RESolvendum ſecundò, quod licèt valeat Medicus vitæ naturalem prolongare terminum, nequit illum impedire. Sic propoſuimus *tom. 1. & tom 2. ſect. 1. reſolut. 12. §. 5.* & tenent citati à nobis Panſa, Valleſius, Villanova, Cardanus, & omnes Medici Dogmatici, præcipuè Freztagius *in noctibus Medicis*, qui acriter impugnat ineptias aliquorum nebulonum, qui promittunt poſſe juventutem prolongare in æternum, qui potiùs irridendi, & exſibi- E landi, quàm audiendi ſunt, aut impugnandi.

Probatur, tum ex D. Paulo docente, quod *eſt ſtatutum omnibus hominibus ſemel mori.* Tum quia Hippocrates docet, quod *calor qui nos vivificat, nos occidit.* Stat enim mors hominis identificata cum calore, per quem vivimus. Tum quia Galenus docet, quod nullum eſt animal inſeneſcibile, & quod omne genitum eſt corruptibile, & quod naturæ opera, generationis, & interitus ſunt inevitabilia. Tum quia arbor Paradiſi à Deo creata ad prolongandam vitam, tandem nec omnino naturalem vitaret mortem; fruſtra enim Paracelſus cum ſuis impoſturis promittit illam vitare. Tum quia potentia Dei ordinaria ſe accommodat cum iis inferioribus ad operandum: & cùm calidum in humidum agens neceſſariò reſolvat illud, ſine quo vita nequit permanere, neceſſariò de potentia Dei ordinaria debet mors ſupervenire. Tum quia humidum radicale deſtinatum pro vita conſervanda per centum annos, nequit ultra progredi ſine novo ſui additamento; quod eſt impoſſibile, cùm nequeat fieri niſi ex principiis generationis, & in utero matris denuò generantis talem hominem. Tum quia ſi Paracelſus nugatur, quod vult vitam conſervare, cum ſuis medicamentis deberet humidum radicale reponere: ſed cum illis quæ Spagyrica arte præparare intendit, potiùs reſolvit quàm adauget humidum radicale: ergo ineptè illa offert in talem finem. Tum quia nulli optaret Paracelſus vitam magis prolongare quàm ſibi ipſi: ſed ipſe intra quadrageſimum annum mortuus eſt: ergo ſupervacanea eſt ejus promiſſio.

RESOLVTIO UNDECIMA.

Utrum vita humana conſtituta in ſenectute, poſſit retrotrahi ad præteritas ætates.

§. I.

Proponitur pars affirmativa, & ejus tutelares.

PRopoſuimus hanc difficultatem *tom. 2. ſect. 1.* Paracelſus maximus impoſtor, ut ſuas operationes chimicas extolleret, promittit miraculum ex illis, & quod ſenectus, & quævis ætas poſterior poterit retrotrahi ad præteritas ætates cum ſuo mercurio vitæ, aut cum elixir, & aliis ſuis chimicis remediis, vel ab ipſo factis, vel à ſuo fatore dæmone promiſſis. Deodatus illi adhærens aliqua proponit fundamenta ad honeſtandam hanc impoſturam. Torreblanca, & Areyes non omninò deviant à Deodato. Valleſ. Feztagius, Peramatus, Panſa, Cardanus irrident hoc figmentum, quod contra Paracelſum convincit Lotichius in hoc epigrammate.

Si præcox Medici mors ſcãdala præbet, oportet

Scandala prabuerit mors, Paracelſe, tua.
Nam dum Neſtoreum promittis omnibus avum,
Ipſe priùs letho praveniente cadis.
Ridiculum Medicum! Si vis, Paracelſe, ſenectam
Conferas ne reliquis, ne moriare priùs.

Ex iis convincitur quàm ridicula ſint Paracelſi promiſſa remedia pro aliorum immortalitate, retroceſſu ad prægreſſas ætates, cùm ipſe mortuus fuerit ante primam ſenectutem.

§. II.

Firmatur impoſſibilitas retrotrahendi ætates.

Reſolvendum, quod implicat ſubſequentes ætates poſſe à Medicis retrotrahi ad præteritas.

Probatur primò ratione fundamentali à nobis propoſita *tom. 1. & 2.* Calidum innatum, & humidum radicale, in quorum permanſione conſiſtit vita per ſuas ætates, petunt fieri à facultate formatrice, ex principiis generationis, ſanguine, & ſemine C intra uterum commixtis vi uteri foventis, ex quorum mutatione ſubſequuntur ætates: ſed horum talis concinnatio, & temperies, poſtquam per ætates immutatur, nequit iterum inſtaurari: ergo nec eſt poſſibilis retrotractio in illas.

Probatur minor. Tum quia nequit fieri, quod in ſemel nato generetur humidum radicale, ex cujus nova generatione, aut conſumptione debent ſubſequi ætates noviter retrotrahendæ. Tum quia calor innatus, qui valuit reſolvere humidum radi-D cale, & properare ætates ad ſenectutem, permanet impediens reditum ad progreſſam humiditatem primarum ætatum. Tum quià licèt offeratur humidum alimentum retardans poſteriorem reſolutionem, nullum valet illam impedire ex toto. Tum quia licèt uſus contrariorum valeat prolongare ætates, cùm ſemper aliquod deterius reponatur, illud nequit impediri, nec reſarciri omninò perfectum, quo prima perfecta mixtio inſtauretur.

Sed dices cum Torreblanca *lib. 3. de jure* E *ſpirituali, cap. 12. num. 16.* quod poteſt nativus calor ita arte attemperari, & humectari victus ratione, & excogitatis ad id auxiliis, ut non abſumendo humidum impediatur ſiccitas, & ſenectus, quod conatur deducere ex variis Galeni locis.

Sed claudicat illius intentio. Tum quia licèt poſſet calor impediri, quominus reſolveret & induceret ſiccitatem, non patet per quid inſtauretur humiditas abſum-

A pta per antegreſſas ætates. Tum quia actio reſolvendi, & calefaciendi nequit in igne impediri, niſi miraculosè à Deo, ſuſpendendo illius concurſum, ut in fornace Babylonica factum fuiſſe teſtatur ſacra Pagina. Tum quia in qualibet ætate licèt poſſint curari morbi ex conſumptione ſubſtantiæ humidæ corporis, non tamen ea quæ provenit in humido radicali; & ſic adoleſcens, & juvenis, ſi curentur à febre hectica, remanent in ſuis ætatibus, quia non potuit curari reſolutio humidi radi-

B calis, per quam conſtituuntur ætates.

Probatur ſecundò: Si retroceſſus ætatum eſſet admittendus, maximè quia, ut referunt Torreblanca, & Areyes, plura in rebus apparent id atteſtantia; aquila enim deponit ſenectutem innovatis calamis, & ſerpentes innovata pelle, bombyx iterum in aliud animal reviviſcit, papilio, & cicada, ſilphaque. Sed hæc nihil probant; nam ſi aliqua tranſmutantur in alia, hoc probat generationem unius ex alio, non mutationem à ſenecta in juventutem: nam ſi aquila in vere à plumis antiquis tranſeat ad novas; aut ſerpens à veteri cute, in aliam novam, illarum partium fit nova generatio, non mutatio in alias ætates; illis enim per omnes ætates contingit illarum partium renovatio, non tamen ejus ſubſtantiæ, per quam in hac, aut illa ætate conſtituuntur: licèt enim mutent calamos, aut cutem, permanent tamen in adoleſcentia, aut ſenectute, in quibus illas mutant.

Probatur tertiò: Ab eiſdem Authoribus profertur pro certo, quod ſunt aliquæ plantæ valentes adaugere humidum radicale; & ſuperaddunt, quod poſſit ſaltem Deus illas de novo creare: ſed horum præſuppoſitum eſt falſum. Tum quia, ut patet ex dictis, humidum radicale petit fieri ex principiis generationis intra uterum vi facultatis formatricis, quæ non poſſunt ſuppleri per herbas imaginatas ab iis. Tum quia fruſtra expectatur abſoluta potentia Dei ad rem non neceſſariam, & ad rem impoſſibilem ex parte facti, & ut redeat præteritum, ad quod non datur potentia, præcipuè quam illi exoptant invenire in Paracelſi remediis, aut in aliis herbis.

Probatur quartò ex Galeno, qui noſtram confirmat doctrinam *lib. de maraſmo, cap. 4.* dicens: *Si igitur facere potuiſſet natura, ut poſtquam animal, vel ſtirpes ad vigorem uſque perduxiſſet, aliam rurſus viribus parem induceret elementationem, hoc itaque duntaxat modo ſine ſenio, ac corruptione, ejus perduraret fabrica.* Ergo cùm

talis elementatio nequeat per totam vitam reponi, ſimiliter nec anteacta ætas.

Probatur quintò: Nullum ſublunare eſt immortale, & incorruptibile: ſed ſi ætates poſſent retrotrahi, ut fabulatur Paracelſus, homo fieret immortalis naturaliter, cùm poſſet ſemper à juventute ad adoleſcentiam, aut pueritiam mutari: ergo hoc præſuppoſitum eſt abſurdum.

Dicit Areyes, quod tandem homo periret, ſicut comedens ex arbore vitæ, qui tandem poſt longam durationem moreretur.

Sed contrà ſtat. Tum quod arbor vitæ tantùm daret præſervationem, ſeu conſervationem humidi radicalis per longum tempus, in quo continuò aliquid deperderetur; nunquam tamen poſſet hominem retrotrahere ad puerilem, aut adoleſcentem ætates, in quibus denuò inciperet vivere, & mortis adventum impedire, quo modo ſemper vita ſupereſſet. Tum quia Paracelſus, & Adeodatus aſſignant pro remediis ad retrahendas ætates medicamenta ſpagyrica, & calefacientia, quæ citiùs reſolverent humidum radicale: at verò arbor vitæ præſtaret materiam pro illo conſervando. Tum quia Areyes ſupponit, quod tale novum medicamentum produceret novum humidum radicale, quod demonſtravimus eſſe impoſſibile: ergo fruſtra innititur in hoc figmento fulciendo.

Probatur ſextò ex Galeno 4. *de ſanit. tuenda.* Senectus conſiſtit in temperamento frigido, & ſicco proveniente ratione annorum. Ergo reductio ſenectutis ad pueritiam debet conſiſtere in hoc, quod tale temperamentum mutetur in temperamentum calidum, & humidum proveniens ratione annorum: ſed reductio annorum ſenectutis ad annos pueritiæ eſt chimærica, & nec capit intellectus tam abſurdum præſuppoſitum: ergo nec quod fiat talis ætatum tranſmutatio.

Resolutio XII.

Utrum per unam numero animam, ſeu radicale principium fiat vita omnium viventium.

§. I.

Proponuntur opinantes tenentes partem affirmativam.

Prima opinio tenet, unam tantùm dari animam intellectivam pro vita omnium hominum, ſeu unum tantùm intel- A lectum in rerum natura, qui omnibus hominibus aſſiſtit, ſicut unus Sol illuminat omnia luminoſa, ita ut homines quilibet in ſuo eſſe conſtituantur non per unam animam rationalem, ſed per formam aliam cogitatricem. Hanc opinionem aliqui conantur tribuere Ariſtoteli: illi apparent aſſentire Theophraſtus, Simplicius, Themiſtius, Algacelus, Averroës, inter ſe tamen diſſidentes, quia alii unam animam rationalem admittunt in univerſo, quæ omnibus hominibus aſſiſtat, ut intelligant; B alii verò unum tantùm intellectum ſeparatum à qualibet alia ſubſtantia tenent dari in rerum natura, per quem omnes homines intelligunt, aſſiſtentem omnibus, & conjunctum per imaginationes, quæ inſident in phantaſia cujuſlibet. Et juxta utramque ſententiam dicendum eſſet, quod vita omnium hominum eſt una numero, ſive ſit una anima, ſive unus intellectus ſeparatus, tanquam principium radicale intelligendi, in quo conſtituitur eſſe vitæ hominis.

Hæc opinio ſuadetur: Tum à ſimili, C quia vna lux Solis ſufficit ad illuſtrandum totum univerſum, & ſic una ſufficiet anima, aut unus intellectus ſufficiet ad illuſtranda omnium hominum phantaſmata. Tum ſecundò, quia niſi una eſſet omnium intelligentia, nequiret magiſter docere diſcipulum ſcientiam, quia vel communicaretur eadem quæ eſt in magiſtro, ita ut una ſcientia produceret aliam, quod nequit fieri; vel quia eadem quæ eſt in magiſtro, traditur diſcipulo, quod eſt impoſſibile, niſi unus utriuſque ſit intelle- D ctus. Tum tertiò, quia multitudo ſecundùm numerum ſolùm tribuitur formis pendentibus à materia: nequit autem formis rationalibus tribui. Tum quartò, quia unumquodque habet eſſe prout habet operari: ſed intellectus habet operari independenter à materia: ergo & eſſe independenter ab illa.

Secunda ſententia tenet, quod licèt unaquæque vita petat provenire ab una determinata anima informante materiam primam, quatenus dat illi eſſe; ſed tamen E ab una anima poſſunt provenire plures vitæ, quatenus una anima poteſt migrare de uno ſubjecto in aliud ſubjectum. Sic philoſophantur Pythagoras, Empedocles, Apollonius Thyanæus, & inter hæreticos receperunt Albanenſes & Albigenſes; & horum alii contendebant animas humanas tantùm tranſmigrare in corpora humana; alii quod etiam tranſmigrarent in corpora belluina. Sic Pythagoras dicebat ſe olim fuiſſe Euphorbum, Empedocles ſe olim

fuiſſe piſcem. Hæc deliramenta redarguunt Sancti Patres, & D. Athanaſius demonſtrat eſſe contra noſtram fidem. A

§. II.

Homo non vivit per ſolam animam ſenſitivam, aut per ſolam animam communem.

Reſolvendum primò, quod homo non habet vitam per animam omnibus hominibus communem, nec per ſolam animam ſenſitivam.

Probatur primò de anima communi, B quia hæc vel eſſet in omnibus mundi partibus, vel in parte determinata: ſi in omnibus, eſſet infinita: ſi in determinata, in reliquis non poſſet dare eſſe hominis alicui, nec vitam. Tum quia ſi aſſiſtens phantaſmatibus hominum facit illos ratiocinari, aſſiſtens reliquis animalibus faceret illa ratiocinari. Tum quia intellectio eſt actio immanens: ergo ſolùm immaneret in anima, aut in intellectu ſeparatis; & homines non intelligerent, ſed tantùm anima, aut intellectus, quæ eſſent ſeparata ab homine. C Tum quia ſi uno intellectu intelligerent omnes homines, omnes æquè perfectè intelligerent. Tum quia ille intellectus ſeparatus nequit dari, quia cùm ſit accidens, & animæ potentia, nequit dari niſi illi inhærens. Tum quia actiones ſunt ſuppoſitorum: ergo intellectus ſeparatus eſſet per ſe ſubſiſtens, & non accidens, nec potentia animæ.

Probatur ſecundò, quod non habet homo eſſe per ſolam formam, ſeu animam ſenſitivam. Nam quælibet entitas habet D eſſe per ſuam formam; & ſi homo informaretur ſolâ formâ ſenſitivâ, tantùm eſſet animal ſenſitivum irrationale, cùm non haberet eſſe ab anima rationali, à qua reciperet eſſe rationale.

§. III.

Sancitur forma per quam homo recipit vitam.

Reſolvendum ſecundò, quod quilibet homo informatur, & vivit per unam E ſolam animam rationalem, à qua ſola recipit eſſe, & vitam. Sic tenent Catholici contra Themiſtium *lib. 2. cap. 27.* Simplicium *lib. 1. de anima*, & contra Averroëm *lib. 3. de anima*, & contra alios.

Probatur ex D. Thoma *1. part. quæſt. 76. art. 1.* ex Durando *in 2. diſt. 17.* & ex Ariſtotele *lib. 1. de anima, cap. 2.* Nam principium operationum cujuſlibet rei eſt illius forma: ſed quilibet homo intelligit, & exercet operationes animæ vegetativæ: ergo eſt illi forma, per quam vivat; & has eliciat operationes: ſed hæc non poteſt eſſe multiplex in eodem ſubjecto; nam idem ſubjectum eſſet plura individua: ergo debet eſſe anima rationalis; nam aliæ non poſſent intelligere. Tum patet ex eodem Ariſtotele ibidem, ubi definit animam, quod ſit *Actus corporis phyſici, & organici:* & cùm anima rationalis ſub animæ definitione comprehendatur, quia eſt quâ intelligimus, debet eſſe actus corporis phyſici, ex qua homo vivit. Tum quia anima rationalis conſtituit hominem in determinata ſpecie: ſed unumquodque in determinata ſpecie conſtituitur per formam quâ informatur, & à qua recipit eſſe: ergo homo informatur, & vivit per ſuam animam rationalem.

Probatur ſecundò: nam hæc doctrina eſt de fide, & docetur in Concilio Viennenſi ſub Clemente IV. celebrato, cujus decretum ſtat *in Clementinaunica de Trinitate, §. 1.* ſic: *Doctrinam omnem, ſeu ſuppoſitionem temerè aſſerentem, aut vertentem in dubium, quod ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectivæ verè, & per ſe humani corporis non ſit forma, veluti erroneam, & veritati Catholicæ inimicam, prædicto ſacro Concilio approbante, reprobamus diffinientes, quod quiſquis deinde aſſerere, ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, quod anima rationalis intellectiva non ſit forma corporis humani per ſe & eſſentialiter, tanquam hæreticus ſit cenſendus.* Tum Concilium Lateranenſe celebratum ſub Leone X. *ſeſſ. 8.* ibi: *Damnamus*, inquit, & *reprobamus omnes aſſerentes animam intellectivam mortalem eſſe, aut unicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes: cùm illa non ſolùm per ſe, & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, verùm etiam immortalis, & pro corporum, quibus infunditur, multitudine ſingulariter multiplicabilis, & multiplicatu ſit.* Non ergo Catholicis licet de hoc dubitare.

Probatur tertiò, quod informet per gradum rationalis hominem. Nam cognoſcimus formas informantes materiam, & tribuentes illi gradum vitæ penes operationes quas exercet ſuppoſitum: Sed in homine anima rationalis exercet operationes intellectuales: Ergo informat illius materiam.

§. IV.

Solvuntur primò poſita rationes dubitandi.

AD rationes dubitandi reſpondetur. Tum pro prima, quod ad illuminandum univerſum ſufficit una lux, quæ valet hanc accidentalem perfectionem ſuperaddere in illo: ſed individuum quodlibet habet ſuum eſſe determinatum, & ita debet habere ſuam determinatam formam à qua illud recipiat.

Tum pro ſecunda, quod cùm ſcientia acquiratur per demonſtrationes, magiſter non communicat diſcipulis ſcientiam, quam in ſe habet; ſed ſimilem in ſpecie generat in illis per demonſtrationem: ſicut ignis per calorem producens alterum ignem, non communicat paſſo ſuam eſſentiam, ſed ſimilem in illo producit ignem.

Tum pro tertia, quod multitudo ſecundùm numerum ſumitur ex multitudine formarum, non quatenus pendent in ſuo eſſe à materia, ſed quatenus valent illam informare.

Tum pro quarta, quod unumquodque ut eſt, ita operatur; & ideo intellectus, ut eſt potentia animæ rationalis, operatur ut potentia illius dum informat propriam materiam; dum operatur cum anima ſeparata, operatur ut dependens ab illa tanquam à principio radicali, & ſubſiſtente.

Resolutio Decimatertia.

Utrum anima rationalis exiſtens intra unam determinatam corporis partem, præſtet vitam reliquis.

§. I.

Aliqua proponuntur ſortes opinantium.

TErtullianus *lib.6. de anima*, D. Gregorius Nyſſenus *lib. de opificio hominis, cap.12.* Lactantius *lib. de opificio Dei, cap.10.* Cicero *in quæſt. Tuſculanis*, tenent fuiſſe opinionem antiquorum, quod anima non exiſtit in toto corpore, ſed in una illius determinata parte, à qua diſcurrit per reliquas partes pro opportunitate corporis in quo anima reſidet. Sed ii diſſentiunt in determinando partem corporis, in qua reſidet anima. Aliqui tenent reſidere in capite tanquam in arce, & ex iis Xenocrates ponebat animam in vertice: cui Hippocrates videtur aſſentire in hoc, quod dicit quod ſit in cerebro. Herophilus ponebat illam in cavitate cerebri: Eraſiſtratus in

A horum meditullio. Parmenides & Epicurus admittebant animam in toto corpore: Philo Judæus in aborta cordis.

Pro iis videtur ſtare Ariſtoteles *lib. de motu animal. cap.7.* docens animal ita fuiſſe conſtitutum ſicut civitas benè ordinata legibus, à qua reliquæ, licèt diſtantes, adminiſtrantur, & ejus leges ſervant: & ita corporis partes ab anima in una parte exiſtente videntur vivere, & illi alligatæ obedire ſuis præceptis: quod ſuadet, tum quia apparet quod anima reſideat in cere- B bro: nam obtinet illa pars regimen totius corporis; in illo enim reſident omnes ſenſus. Tum quia apparet animam reſidere in corde, quia illud eſt fons vitæ, ſine cujus influxu ſtatim perit animal, & maximè in paſſionibus magnas patitur commotiones. Tum quia anima eſt indiviſibilis, & non poteſt coaptari cum corpore diviſibili; & ideo neceſſariò debet eſſe tota in determinata corporis parte illi coaptata.

Secunda opinio eſt aliorum, qui non C ſolùm admittunt animam informare partes ſolidas omnes noſtri corporis, ſed etiam omnes illius reliquas partes fluidas, & conducentes ut præſtent reliquis alimentum, aut temperiem, & quæ ad ornatum deſerviunt, ut ungues, & capilli. Inter hos opinantes Collegium Diſcalceatorum Complutenſe conatur defendere, quod licèt ſanguis non perfectè elaboratus nequeat informari animâ totius, benè tamen perfectè elaboratus, ſaltem ſecundùm gradum vegetativum: quod & de ſpiritibus admittere apparet, & ſuaderi videtur tum ex variis locis ſacræ D paginæ, & D. Thomæ, & ex Conciliis, in quibus videtur id affirmari, & ante ipſos tenent citati à nobis *tom.1. Reſol. Medic. diſp.8. ſect.1.* qui pro ſe adducunt Levit. *cap.17. Anima carnis in ſanguine eſt.* Et Matthæus *cap.17.* & Paulus *ad Galatas*, & *1. ad Epheſios*, *& 2. ad Hebræos*, appellant hominem carnem, & ſanguinem, acceptis partibus pro toto: unde ſicut caro informatur animâ, ſic & ſanguis. Tum ſecundò Concilium Tridentinum determinat, quod ſub ſpeciebus panis continetur ſanguis, quaſi E informetur eadem formâ. Tum tertiò Innocentius III. *in Extravaganti de celebratione Miſſarum*, dicit exiiſſe ſanguinem de latere Chriſti Domini, & aquam, monſtrans eſſe de ejus corporis integritate. Tum quartò Caius Papa inquit: *Si Chriſtus non aſſumpſiſſet veras partes corporis humani, quo ſanguine redempti fuiſſemus?* Ubi apparet ſentire, quod ſanguis ſit pars vivens in illo. Tum quintò Ariſtoteles *lib. 3.*

de hiſt. animal. cap. 19. dicit, quod ſanguis in animali palpitat, & extenditur per totum corpus, & dum vita conſervatur, ſanguis unus animatur: & ipſemet *lib.* 1. *de hiſtor. animal.* tenet quod corporis partes ſunt ſolidæ, aut molles, ut ſanguis. Tum ſextò D. Thomas 3. *part. quæſt.* 54. *art.* 2. tenet, quod ad naturam corporis humani pertinent carnes, oſſa & ſanguis: *& in* 4. *diſtinct.* 44. *art.* 2. *quæſt.* 3. dicit, quod poſt reſurrectionem erunt in corpore ſicut partes ſentientes, ita & ſanguis, non ad inſtaurationem deperditi, ſed ad integritatem.

Probatur ſecundò ratione D. Thomæ 4. *Sentent. citat.* Quatuor humores in corpore humano comparantur ſicut quatuor elementa in univerſo: ſed quatuor elementa ſunt partes componentes univerſum, & ſunt materiæ tranſeuntes ad mixtum: ergo humores in homine ſunt partes componentes illum, & tranſeuntes ad illum.

Probatur tertiò. Sanguis habet moveri in animali per plures differentias motus localis: ergo informatur ejus formâ.

Probatur quartò. Sanguis eſt organum, quo anima exercet aliquas operationes: ergo informatur illâ.

Probatur quintò à Theologis. Verbum Divinum aſſumpſit non ſolùm naturam humanam, ſed ſanguinem, & ſpiritus, & quæcumque pertinent ad illam, ex D. Thom. 3. *part. quæſt.* 54. *art.* 1. *in corpore, & ad* 1. Sed unica aſſumptione naturam humanam aſſumpſit: Ergo unica anima informando omnes partes corporis.

Tandem confirmatur: nam ſimilis eſt ratio de ſanguine, & ſpiritibus. Sed hos informari ab anima, tenent communiter Theologi. Tum quia nutriuntur; inquit enim Hippocrates *lib. de alimento: Principium alimenti os, nares, pulmo, & alia reſpiratio.* Ubi ſolùm loquitur de alimento pro ſpiritibus. Tum quia ſpiritus deferunt in partes ſpecies rerum; quod non contingeret, ſi non viverent.

§. II.

Variæ partes noſtri corporis enumerantur.

Durandus *in* 4. *diſtinct.* 44. dicit, corporis partes alias eſſe eſſentiales, ut materia, & forma; alias eſſe integrantes, ut caput, manus, pedes; alias neceſſarias ad conſervandam vitam, ut ſanguis. Ego verò *tom.* 1. *diſput.* 8. *ſect.* 1. *reſolut.* 8. dixi partes integrantes noſtrum corpus eſſe in triplici differentia. Aliæ pertinent ad primam illius conſtitutionem, ut oſſa, caro, nervi, caput, manus, & pedes, quæ dicuntur primæ conſtitutionis, quatenus ex illis primò conſtituitur corpus ut organicum eſt, & aptum ſubjectum recipiendi animam, quæ eſt actus corporis phyſici, & organici potentiâ vitam habentis, id eſt habens aptitudinem ad vitales exercendas operationes. Aliæ ſunt partes ſecundæ conſtitutionis, & ſunt corporis partes conducentes ut partes primæ conſtitutionis ex illis conſerventur vel in ſua ſubſtantia, quales ſunt humores, ex quibus reſarciuntur partes primæ conſtitutionis, quæ reſolutione deperduntur; vel in ſua debita temperie, quales ſunt ſpiritus vitales, & animales, qui debitam diſpoſitionem præſtant ad conſervationem, & operationes partium primæ conſtitutionis. Aliæ ſunt partes ſub tertio ordine, non tam pertinentes ad primam corporis conſtitutionem, quàm ad ornatum, & ut ſint repurgamentum fuliginum noſtri corporis, quales ſunt pili, & ungues. Præter partes conducentes ad primam individui conſtitutionem, ſunt aliæ in individuo ad ſpeciei conſervationem deſtinatæ, quales ſunt lac, & ſemen, de quibus omnibus ſolet dubitari, an omnes informentur ab anima, & in quo vitæ gradu.

§. III.

Quæ ſunt partes noſtri corporis, in quibus reſidet anima informans illas.

Reſolvendum primò, quod anima non reſidet in una tantùm determinata corporis parte, ſed præſtat vitam informando omnes partes primariæ conſtitutionis. Eſt communis doctrina.

Probatur ex Ariſtotele *lib.* 2. *de anima*, dicente quod *Anima eſt actus corporis phyſici, & organici*: ſed omnes partes primæ conſtitutionis conſtituunt per ſe primò totum corpus in eſſe phyſici, & organici, ut manifeſtè conſtat: ergo anima illas omnes informat, præſtans per ſe illis vitam, & eſſe principium ſuarum vitalium operationum. Tum quia ibidem docet, quod anima eſt, *quâ vivimus, ſentimus, movemur, & intelligimus*: ſed has operationes exercet per partes primæ conſtitutionis: ergo omnes illas informat. Tum quia in uno ſolo compoſito una tantùm eſt forma, & ſi hæc eſſet in una determinata parte, in reliquis remaneret materia ſine forma, quod implicat: vel homo, qui unum eſt ens, fieret unum per plures formas aliarum etiam partium. Tum quia probat D. Thomas *lib.* 2. *contra gentes, cap.* 72. hanc doctrinam latiori

 calamo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

calamo. Tum quia Ariſtoteles *lib. 2. de anima*, docet animam ſtirpium diffundi per totum corpus; aliter enim partes deciſæ non viverent: & in aliis viventibus idem comprobat. Tum quia ſi in una tantùm parte exiſteret anima, illam tantùm informaret; & cùm actiones ſint ſuppoſitorum, in illa tantùm fierent actiones vitales. Tum quia ſi ad operandum in reliquas partes deſcenderet anima in illas, tunc illas informaret; & ideo patet, quod eſt apta informare omnes reliquas partes: vel ſi non informaret, tunc pars non informata animâ non viveret, nec poſſet exercere vitales actiones. Tum quia ſi eſſet anima ſola exiſtens in determinata parte, & ſic apta elicere in reliquis ſuas operationes, ſic omnis anima operans ſeparata in brutis eſſet immortalis. Tum quia in planta, aut brutis anima non exiſtens in omnibus partibus, non habet per quid cognoſcat neceſſitatem operandi in illis. Ergo aut ſine neceſſitate operabitur, aut cum illa non operabitur. Tum quia non conſtat per quas potentias ſe movet anima localiter à ſua ſede in alias partes, & à reliquis partibus in ſuam ſedem.

§. IV.

Partes ſecundi gradus non informantur anima in aliquo gradu vitæ.

RESolvendum ſecundò, quod anima nec informat, nec aliquem gradum vitæ præſtat in partibus ſecundæ conſtitutionis, quales ſunt ſanguis, & ſpiritus. Sic fatentur Conimbricenſes, & plures citati à Collegio Diſcalceatorum Complutenſium D. Bonaventuræ *in 4. diſt. 44. q. 1. art. 1. ad 2.* Paludanus *quæſt. 1. art. 2. num. 28.* Richardus *art. 1. quæſt. 2.* Durandus *quæſt. 2. ad 1.* Capreolus *quæſt. 2. art. 3. ad 4.* Scotus *in 4. diſtinct. 10. quæſt. 1. art. 1.* Sotus *art. 3.* & alii: tenent ex Medicis Galenus *7. de placitis, cap. 3.* Valleſ. *lib. 1. controverſ. cap. 4.* Carreirus *in ſen. 1. 1. diſp. 27. cap. 3.* Peramatus *de hominis procreatione*, Segarra *lib. 2. de temperam.* Fernelius *lib. 2. part. natural.* Argenterius *lib. art. medicinal.* Varandæus *phyſiologia ſect. 5. cap. 1.* & Nos ſic protulimus *tom. 1. Reſolut. Medicar.*

Probatur ex Ariſtotele *lib. 2. de partib. animal.* & Galeno *lib. 2. de element. & lib. 1. de natur. humana*, ubi hanc confirmant doctrinam. Tum ratione fundamentali. Partes informatæ per unam numero formam ſubſtantialem debent eſſe continuæ, aliàs non fieret unum ens per ſe unum numero ſubſtantiale ex illis: ſed ſanguis, & ſpiritus A non ſunt continui reliquis partibus primæ conſtitutionis, donec amiſſâ formâ ſanguis fiat pars vivens, aliàs non poſſent moveri, & divagari per totum corpus, indifferenter ad omnem poſitionem illarum: ergo non manent unitæ & informatæ per formam informantem partes primæ conſtitutionis. Tum nec ſub gradu vegetativo poſſunt informari per illarum formam, quia non ſunt unitæ ſub tali forma, qualiter requiritur in viventibus vegetativis. Tum quia ſi ſanguis viveret vitâ vegetativâ, B nutriretur à ſe per alimentum intus ſumptum, & generaret alium ſanguinem, quod non contingit illi, quia à ſolo jecore generatur, & per novum ſanguinem genitum augetur: ergo nec vegetativâ vitâ vivit.

Toletus quærens evaſionem dicit, quod anima informat ſanguinem, & ſpiritus ſecundùm gradum formæ mixtæ, & ideo non indiget potentiis gradus vegetativi.

Sed tanto viro indigna eſt hæc evaſio. Tum quia ſanguis & ſpiritus non ſunt unum, nec uniuntur cum partibus C primæ conſtitutionis informatis per animam: ergo ſecundùm nullum gradum poſſunt informari per illam. Tum quia ſi fatetur Toletus, quod per ſolum gradum mixti informatur ſanguis, & ſpiritus, cum mixta ut talia non ſint viventia, nec ſanguis, nec ſpiritus vivunt, de quo eſt difficultas.

Præterea probatur Reſolutio. Tum quia ſanguis tranſiens in ſubſtantiam aliti in parte informata ſolo gradu vegetativo, aut novam recipit formam, aut non. Si non D recipit: ergo pars ſenſitiva, quæ ex ſanguine nutritur, remanet in poſterum cum ſola forma vegetativa, vel ſaltem cum ſolo illo gradu, & jam non ulterius eſt pars ſenſitiva, & omnes ſenſitivæ tractu temporis in homine erunt ſolùm vegetativæ. Si animam vegetativam, & ſenſitivam recipit: ergo nullum gradum ex iis habebat. Tum quia nihil poteſt eſſe alimentum ſui ipſius, quia alens debet in principio eſſe diſſimile alito; & ſi ſanguis viveret, non eſſet diſſimilis parti viventi alendæ. Tum E quia ſanguis extra venas manet idem, non per formam viventis: ergo per propriam ab illo diverſam.

Dices, quod poteſt anima Petri informare ſuum ſanguinem ad extra intra aliquam diſtantiam.

Sed contrà ſtat. Tum primò, quod ſi anima rationalis Petri informaret ſanguinem extra corpus, cùm ſit tota in qualibet parte, eſſet tota in ſanguine, & ſanguis extractus eſſet homo rationalis. Tum quia

nullus eſt finis ut ſanguis & ſpiritus vi- A vant. Nam finis generandi ſanguinem eſt ut tranſmiſſus per omnes partes valeat in illis præſtare materiam pro nutritione partium, quæ reſolvuntur. Finis ſpirituum eſt, ut commoti, & delati in partes, illis præſtent debitam diſpoſitionem pro illarum conſervatione, & operationibus; in quos fines ſuperflua eſt anima in illis, cùm ſub aliis formis non viventibus poſſint deſervire pro iis finibus, ut manifeſtè docuimus *tom.* 1. *Reſolut. Medicar.*

Dices, quod ſanguis indiget gradu vi- B tæ vegetativæ, ut per nutritivam potentiam coadjuvet ad repoſitionem ſui in ſubſtantiam aliti.

Contrà ſtat: tum primò, quod ſanguis ſolùm præſtat materiam, ex qua facultas nutritiva partis alendæ reponat quod ſibi eſt utile. Tum quia facultas nutritiva non deſervit ut pars in qua eſt, mutetur in aliam partem; ſed ad hoc ut aliud diverſum aſſimiletur parti in qua ipſa inhæret. Tum quia licèt facultas nutritiva in ſanguine eſſet utilis proadjuvanda nutritione partis C alendæ, non poſſet coadjuvare, quia dum fit nutritio per alimentum, jam illius forma, & ejus facultates ſunt corruptæ, aliàs non fieret tranſitus in ſubſtantiam aliti. Tum quia ſpiritus vitales præſtant omnibus partibus noſtri corporis calorem, qui ut inſtrumentum perficit operationes omnium partium, præcipuè pro actionibus animæ vegetativæ: ergo fruſtra in hunc finem deberet informari per illam, cùm ab illa poſſet idem calor produci in eiſdem partibus ſine ſpiritibus vitalibus, à quorum D forma vegetativa ſupponunt calorem produci Contrarii.

Tandem fulcitur reſolutio à Carreiro ratione deſumpta ex D. Thoma 3. *part. quæſt.* 31. *art.* 1. ubi docet Chriſtum Dominum formatum fuiſſe ex ſanguine Virginis, non ex carne, & oſſibus, quia caro & oſſa erant partes ſuæ matris viventes. Ex quo convincitur, quod ſanguis non erat pars vivens illius, ſicut caro, & oſſa. Tum quia Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 13. *cap.* 3. diffinit, quod ex vi verborum exiſtit corpus E Chriſti ſub ſpeciebus panis, & ſanguis ſub ſpeciebus vini: & ſi ſanguis informaretur cum forma corporis Chriſti, diceretur quod eſſet ſub ſpeciebus utriuſque. Tum quia D.Thomas 1.*p.quæſt. vlt. art.* 1. docet quod nutrimentale in noſtro corpore eſt illud, quod nondum pervenit ad participandam naturam ſpeciei; & ideo ſanguis non poteſt perveniſſe ad eſſe animæ tribuentis eſſe partium nutriendarum.

Dices, quod adhuc eſt in via ad perfectionem ulterioris gradus. Sed contrà ſtat; quod pars ſanguinis, ex qua eſt nutriendum os, non eſt in via ad perfectiorem gradum vitæ, cùm os ſolùm vivat vita vegetativa. Tum adhuc, ſi ſanguis eſſet perfectibilis per gradum ſenſitivum, eo ipſo quod informaretur alio gradu vitæ, conſtitueretur ſub determinata ſpecie ejus.

§. V.

Partibus generationi dicatis, & ornatui deſtinatis denegatur vita.

RESolvendum tertiò, quod partes deſtinatæ pro ſpeciei conſervatione, ut lac, & ſemen; & deſtinatæ ornatui, ut ungues, & capilli, non informantur animâ, nec fruuntur aliquo gradu vitæ.

Probatur primò de partibus pro ſpeciei conſervatione deſtinatis; ſemine, inquam, & lacte, ex communi Medicorum conſenſu: & ex Theologis, & Philoſophis ſic tenent Collegium Conimbricenſe, & Complutenſe cum Ariſtotele *libr.* 2. *de generat. animalium*, *cap.* 3. cum D. Thoma *de potentia*, *quæſt.* 3. *art.* 9. *& in* 4. *Sentent. ſolut. ad* 2. ubi docet, quod lac & ſemen non adintegrant individuum in ordine ad ſe, ſed ordinari tantùm ad ſpeciem conſervandam; ideo nec vita fruuntur per individui formam, quæ ſolùm informat ſuas partes integrantes in ſuo eſſe individuali ſub tali ſexu.

Probatur ſecundò de ſemine, quod licèt ſit aptum proximè vivere per formam, quæ ſubſequitur in illo, actu tamen non informatur per formam individui, in quo permanet, aut à quo generatur: non enim eſt pars individui, ejus partibus primæ conſtitutionis continuata, nec vivens per illarum formam, ut tenent Conimbricenſes, & deducunt ex Ariſtotele *lib.* 2. *de generat. animal. cap.* 3. & ex D. Thom. *lib* 1. *contra gentes*, *cap.* 89. & tenet Scotus *diſtinct.* 44. Albertus Magnus 2. *part. Summæ de homine*, & eſt inter Medicos communiter recepta; eſt enim pars quæ corpori uniri nequit, quia eſt determinata ut emittatur in aliud. Tum quia non eſt corpus adhuc organizatum. Tum quia nequit nutriri, nec augeri ab intrinſeco, ſed à ſola generante illud facultate, quæ reſidet in teſtibus. Tum quia non eſt ordinatum ut operetur ut vivens tale, ſed tanquam inſtrumentum viventis, à quo decidit.

Probatur tertiò, quod non vivant partes deſervientes ad ornatum, ut ungues, & capilli. De pilis tenent Fernelius *lib.* 2. *part. naturalis*,

naturalis, cap. 2. Valleſ. *lib. 2. controverſ. cap. 5.* A Carreirus *in fen. 1. 1 doctr. 5. cap. 2. diſput. 17.* Peramatus *lib. de hominis procreatione*, Argenterius *lib. artis medicinalis*, Toletus *lib. de anima, cap. 2. quæſt. 4.* & deducitur ex Ariſtotele *3. de hiſt. animal. cap. 11.* ubi docet creſcere pilos in tabificis, & in quibuſdam mortuis: quod contingit ab alimento excrementitiæ materiæ, non à facultate vitali illis adhærente. Tum quia ſi viverent pili, in Chriſto Domino eſſent uniti Verbo; & cùm non dimiſerit quod ſemel aſſumpſit, B capilli adhuc ab illo ſeparati dicerentur Verbo uniti.

Dices, quod non dimiſerit quod ſemel aſſumpſit, intelligendum de partibus principalibus, non de conducentibus ad ornatum. Sed contrà ſtat, tum quia omnes partes informatæ Verbo Divino eſſent principales, ſeu primæ conſtitutionis, etiamſi ſolo gradu vegetativo informarentur, ut oſſa: ergo ſicut nec oſſa debuit dimittere, ſimiliter nec pilos. Tum D. Thomas *in 4. diſt. 44. quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncula 2. ad 3.* C reddens rationem cur natura non expellit pilos ſicut reliqua excrementa, dicit quod licèt ſint excrementa, tamen deſerviunt ad ornatum; quod in aliis excrementis non accidit. Ex quo patet, quod ſint excrementa, & non vivant. Tum quia pili non nutriuntur, ſed tanquam excrementa propelluntur.

Præterea idem patet de unguibus, quod non informentur animâ, ob eaſdem rationes ob quas nec pili informantur. Tum quia non nutriuntur; nam venæ quæ ſunt in illarum radicibus, terminantur ad carnem D intra illas manentem, non ad ungues; nam illi per excrementitiam ſubſtantiam appoſitam augentur & propelluntur. Tum quia conſtat ex defectu doloris in illarum abſciſſione, quod non vivunt vitâ ſenſitivâ; qui enim ſentitur in radicibus, eſt in nervis terminatis ad carnem. Tum quia non creſcunt versùs omnem differentiam poſitionis, ſed tantùm propulſæ versùs longitudinem.

§. VI.

Solvuntur fundamenta primæ opinionis.

AD primæ opinionis fundamenta reſpondetur, tum pro prima, quod ex Ariſtotele colligitur, quod anima informans omnes partes primæ conformationis corporis, licèt in omnibus ſit per ſuam eſſentiam, non eſt in omnibus per ſuas omnes facultates, ſed ſecundùm aliquas in diverſis partibus, & ſic totum regit corpus.

Tum pro ſecunda, quod anima reſidet in cerebro ſecundùm potentias intellectivas, & læſo illo principio, reliquæ corporis læduntur operationes, quæ pro ſuo operari dependent à cerebro.

Tum pro tertia, quod cor dicitur fons vitæ, non quia anima ſit in illo ſolo, ſed quia ab illo communicatur per ſpiritus vitales calor vitalis neceſſarius in omnibus partibus.

Tum pro quarta, quod licèt indiviſibile quantitatis non poteſt correſpondere niſi alteri illius indiviſibili, bene tamen indiviſibile ſubſtantiæ cum virtute diviſibili. Sic Angelus indiviſibilis ſtat in loco diviſibili.

§. VII.

Solvuntur fundamenta opinantium animam informare cunctas corporis partes.

AD tenentes, animam præſtare vitam cunctis corporis partibus, reſpondetur primò, quod ex pluribus coadunatis authoritatibus duo videntur probari, vel quod ſanguis dicatur vivere, vel quod dicatur pars noſtri corporis: ſed ex iis nihil contra nos. Nam ſanguis quia eſt ſubſtantia apta, & ordinata à natura ut proximè recipiat vitam, corruptâ ejus formâ, & materiâ tranſmutatâ in formam individui, in quo eſt, ideo vivens quaſi proximè ad vitam vocatur; & ſpiritus etiam dicuntur non viventes, ſed vitales, qui conſervant vitam individui in quo ſunt, non quia ipſi vivant, niſi tantùm cauſaliter; & propter hanc neceſſitatem ſanguinis & ſpirituum, licèt non vivant, dicuntur partes adintegrantes corpus in ſecundo ordine, quia ſine illorum ſubſidio citiſſimè periret individuum, cum quo cùm non ſint uniti, nec etiam per illius formam ſunt apti vivere, nec per propriam, cùm non ſint corpus organicum.

Ad ſecundum reſpondetur, quod quatuor humores in homine comparantur elementis, quia in numero correſpondent illis, & in primis qualitatibus combinatis; & E quia ſicut elementa præſtant materiam pro mixtis Univerſi generandis, ſic humores pro partibus viventibus inſtaurandis; & quia ſicut corruptis formis elementorum, ex illorum materiis fit miſtum per formam miſtam, ſic ex humoribus, propriis formis corruptis, fit vivens.

Ad tertium reſpondetur, quod ſanguis movetur non à ſe, ſed à facultate expellente, & attrahente partium in quibus redundat, & à quibus indiget attrahi.

Ad

Ad quartum reſpondetur, quod ſanguis non eſt organum operationum vitalium, ſed principium materiale ex quo partes viventes nutriuntur, & conſervantur.

Ad quintum reſpondetur, quod Verbum Divinum aſſumpſit naturam humanam & ſanguinem, & ſpiritus, & omnes partes, quæ pertinent ad hominis integritatem, ſive ſub prima conſtitutione viventes, ſive adintegrantes corpus ſub ſecunda, aut tertia conſtitutione, ſine eo quod vitam habuerint in illo, ſicut nec in reliquis hominibus.

Ad rationes peculiariter probantes, quod ſpiritus vivant: Reſpondetur tum prò prima, quod ſpiritus largo modo dicuntur nutriri ex aëre & ſanguine, non per veram nutritionem ab intrinſeco, ſed quia ex illis à corde generantur, & denuò reponuntur loco eorum qui deperduntur.

Tum pro ſecunda, quod ſpiritus non moventur à ſe, nec habent inſtrumenta ad motum localem, ſed à facultate pulſifica, modo quo diximus *tom.* 1. *diſput. de Arte Sphygmica.*

Tum pro tertia, quod rerum ſpecies non ſervantur per ſpiritus, ſed ab objecto propulſæ emittuntur & permanent in potentiis cognoſcitivis: nec ſpiritus eum anima vegetativa valerent cognoſcere potentias, in quas petunt deferri.

Resolutio XIV.

Utrum anima in omnibus partibus, quas informat, præſtet omnes gradus vitæ.

§. I.

Annumerantur gradus vitæ, & dubitandi ratio proponitur.

IN viventibus corporeis anima juxta ſui perfectionem varios habet vitæ gradus, rationalem, ſenſitivum, & quæ perfectior, includit imperfectiores. Sic anima rationalis præſtat gradum ratiocinandi, ſentiendi, & vegetandi. Sed manet ſub dubio, an in qualibet parte noſtri corporis, quam informat, præſtet ſimul omnes tres gradus vitæ?

Duæ ſunt opiniones valde probabiles. Prima tenet, quod anima rationalis in quacumque parte quam informat, dat omnes tres vitæ gradus, rationalem, ſenſitivum, & vegetativum ſecundùm eſſe radicale, ſic in oſſe, ſicut in cerebro; & quod hæ partes differunt tantùm in eſſe viven-

A di ſecundùm differentias accidentales, à quibus accidit, quod potiùs in hac parte, quàm in illa videat, aut intelligat.

Secunda opinio tenet, quod licèt anima ſit una in omnibus corporis partibus entitativè, non tamen informat illas omnes ſecundum omnes gradus vitæ, ſed juxta partium diverſitatem; alias namque partes informat ſecundùm gradum vegetativum, alias ſimul ſecundùm ſenſitivum, & alias ſecundùm vegetativum, ſenſitivum, & rationalem, ut cerebrum, quod vivit tri-
B plici gradu vitæ, rationali, ſenſitivo, & vegetativo.

§. II.

Acquieſcimus ſecundæ opinantium ſorti.

REſolvendum, quod anima quæ formaliter eminenter continet inferiores animas, ut rationalis, non præſtat omnes gradus vitæ in omnibus partibus quas informat. Sic fatentur quamplurimi ex Theologis, & Philoſophis.

C Probatur primò ex D. Thoma *q. de anima, art.* 9. *ad* 14. dicente, quod licèt anima ſit forma ſimplex virtute, tamen ſecundùm quod eſt principium diverſarum operationum, & quia forma perficit materiam non ſolùm quantum ad eſſe, ſed etiam ad operandum, ideo oportet, quod licèt anima ſit una forma, tamen partes corporis diverſimodè perficiantur ab ipſa, & in unaquaque ſecundùm quod competit ejus operationi. Unde conſtat, quod ad ratiocinandum perficitur per eſſe rationale, ad ſentiendum per eſſe ſenſitivum, ad vegetandum
D per eſſe vegetativum. Tum *quæſt. de ſpiritualibus creaturis, art.* 4. *ad* 14. inquit: *Caro mea cum carne mea magis convenit ſecundùm rationem ſpeciei, quàm caro mea cum oſſe meo.* Quæ differentia ſecundùm ſpeciem non eſt accidentalis, ſed ſpecifica in diverſo gradu vitæ. Tum 1. *part. quæſt.* 70. *art.* 5. *ad* 3. inquit D. Thomas: *Partes animalis, ut oculus, manus, caro, os, & hujuſmodi, non ſunt in ſpecie, ſed totum; & ideo non poteſt dici propriè loquendo, quod ſint diverſarum ſpecierum, ſed diverſarum diſpoſitionum.* Ex quibus
E conſtat, quod licèt partes ſint diverſæ ſecundùm gradus, non dicuntur differre inter ſe ſpecie propriè, ſed ſecundùm diſpoſitiones, quæ unicuique gradui ſunt ex uſu.

Probatur ſecundò ratione. Tum quia ſe habet anima ad tribuendos gradus diverſos vitæ in partibus diverſis, ſicut author naturæ in tribuendis diverſis animabus diverſis corporibus: ſed author naturæ in corporibus aptis pro diverſis for-

 mis

mis infundit diverſas animas : ergo anima in partibus diverſo modo organizatis præſtat diverſos gradus vitæ. Tum quia licèt anima adæquatè ſumpta petat eſſe actus corporis phyſici, & organici, ſumpta tamen inadæquatè etiam informat partes ſimilares, ex quibus fiunt organicæ : ergo anima rationalis, licet adæquatè omnes corporis partes informet, inadæquatè valet diverſas partes informare ſecundùm diverſos vitæ gradus. Tum quia eſſe eſt propter operari ; ergo anima unicuique parti debet dare illud eſſe, quod requiritur ad talis partis operationem ; & ideo in eſſe quod ſolùm operatur per potentias animæ vegetativæ, eſſe talis animæ. Tum quia anima eſt actus corporis organici : ergo debet habere diverſas partes organicas per gradus diverſos vitæ.

Contrarii opinantes opponunt, quod ſi in individuo eſſent diverſi gradus vitæ in diverſis partibus, eſſent diverſa individua componentia totum hominem, & conſequenter homo eſſet ens per accidens, ex pluribus individuis compoſitum.

Reſpondetur, quod anima dupliciter informat, vel ut eſt per ſe in ſubjecto, & ut ſic dat eſſe ſpecificum, & individuale ſubjecto ſimpliciter, ut quod ſit leo, aut planta hæc, aut illa ; vel ut continetur formaliter eminenter in alia, & ut ſic non dat eſſe totale individuale, nec ſpecificum, ſed eſſe partiale tantùm individuale ; quia tantùm informat individui partem, ſive heterogeneam componentem totum, ſive homogeneam componentem organicam.

RESOLUTIO XV.

Utrum animæ tribuentes vitam fiant à ſolo Deo.

§. I.

Varia opinantium proponuntur ſortes.

CÆca ſors ethnicorum Philoſophorum in varios incidit errores in admittenda viventium anima, ut proſequitur Tullius *in Tuſculanis quæſtionibus* : plures retulit Ariſtoteles *lib. 1. de anima.* Hanc turpiter negavit Democritus, eredens fortuitò fieri ex concurſu inopinato atomorum, & vitam ex illo fieri. Anaxagoras putabat, mentem fuiſſe ab æterno omnia moventem, & per illam omnia vivere. Alcmæon animam in motu conſiſtere indicavit, ſimul & vitam, & à cauſis illius motus fieri. Pythagoras ad numeros reducebat
A animam, & vitam ponebat in illorum harmonia. Heraclitus vitam judicabat eſſe calidam exhalationem. Hippocrates & Galenus confundebant illam cum ſuo temperamento, vel potiùs quia ab illo pendet in conſervari, de illo tantùm egerunt. Ariſtoteles rejecit has opiniones. Juniores iis rejectis opinionibus, acquieſcentes diffinitioni Ariſtotelis, conantur vitæ & animarum, à quibus provenit, invenire cauſas efficientes, ut nos proſequuti ſumus *in tom. 3. in prompt.* 14.

B Horum alii judicabant ab Angelis fieri animas, quia anima, præcipuè rationalis, cùm ſit ſpiritualis, nequit fieri à ſubſtantia corporea, ſed ab Angelo, qui eſt perfectior. Luciferiani, & Meſſalini hæretici, Seleucus, & Hermias animam rationalem, & reliquas tenebant provenire virtute agentium naturalium, propagarique ex ſemine ſolo, quos refutat D. Thomas *2. contra gentes, cap 36.* & refutant plures ex Catholicis Patribus. Horum opinantium fuit fundamentum, quòd cuilibet potentiæ naturali
C paſſivæ correſpondet alia naturalis activa ; & cùm materia prima ſit potentia naturalis paſſiva ad illas recipiendas, debet dari alia potentia naturalis activa ad illas efficiendas. Nos *tom. 3. citato, prompt. 5.* diximus, alios judicaſſe animas produci à cœlis, alios ab anima mundi, alios à ſolis accidentibus. Sennertus parum piè animam rationalem contendit fieri ex traduce, licèt illius fateatur immortalitatem.

§. II.

D *Anima rationalis, & hominis vita non fiunt ex traduce, & vi ſeminis.*

REſolvendum primò, quod anima rationalis, & vita ab illa proveniens non prorogatur ex traduce, & vi ſeminis. Sic ſuprà probavimus, & tenent Conimbricenſes. Habetur hæc veritas in Decreto, 32. *quæſt. 2. cap. Moyſes*, & docent D. Auguſtinus *lib. de hæreſibus*, D. Thomas 2. *contra gentes, cap. 86 & 1. part. quæſt. 118. art. 2.* Nam ex illa opinione quam impugnat, ſequeretur
E animam rationalem, & ejus vitam eſſe mortalem. Tum quia cùm anima ſit rationalis, excedit virtutem agentis naturalis corporei. Tum quia agens naturale ſolùm attingit id quod dependet à materia ; ideo anima rationalis ſpiritualis altiorem petit cauſam. Tum quia D. Auguſtinus *lib. de Trinit. cap. 8. & lib. 9. Geneſis, cap. 15,* D. Damaſcenus *lib. 2. Fidei Orthodoxæ, cap. 3.* & communis aſſenſus Theologorum *in 2. diſtinct. 1.* tenent animam rationalem neque ab Angelis poſſe creari, nec fieri, quod

magis obſtat corporeo agenti. Tum quia animam rationalem à ſolo Deo poſſe creari, demonſtrat D. Thomas *lib. 2. contra gentes, cap.* 87. Nam omnis ſubſtantia, quæ producitur, aut generatur per ſe, aut per accidens, aut creatur: ſed anima rationalis non generatur per ſe, cùm non conſtet ex materia, & forma; nec per accidens, quia cùm ſit forma corporum, oriretur per eorum generationem, quod patet eſſe falſum: ergo ſolùm reſtat, ut debeat fieri per creationem.

§. III.

Traditur communis cauſa efficiens omnium animarum vitam præſtantium.

REſolvendum ſecundò, quod non ſolùm anima rationalis, ſed omnes animæ vitam præſtantes, à ſolo Deo poſſunt fieri. Sic ſancivimus *tom.* 3. cum Scoto, & probavimus ex ejus fundamentis proponendis.

Probavimus *in* 3. *tom. prompt.* 40. ſic. Eſt de Fide, quod Deus dat eſſe omnibus entibus naturalibus, & hoc non propter materiam primam, quæ ſolùm eſt potentia ad eſſe; nec per ſolas diſpoſitiones, quæ imperfectiores ſunt formâ producendâ: ergo reſtat ut à ſolo Deo debeant produci animæ dantes vitam entibus naturalibus.

Probatur ſecundò Scoti ratione. Non poteſt alia aſſignari cauſa animarum: ergo recurrendum eſt ad Deum.

Probatur antecedens. Nam animæ vel deberent fieri à ſemine, vel ſeminali virtute, vel à cœlo, aut illius forma, vel ab intelligentia ſpirituali, vel ab ipſo Deo. Sed ab aliis cauſis ultra Deum nequeunt fieri: Ergo fiunt à Deo. Probatur minor de ſemine. Tum quia eſt ens imperfectius animâ generandâ, & nequit alteri dare perfectionem, quam non habet. Tum quia ſemen eſt cauſa inſtrumentalis, & quærimus quæ ſit cauſa principalis. Tum quia ex Ariſtotele ſemen eſt principium paſſivum, & quærimus quod ſit activum. Tum quia ſemen non exiſtit in inſtanti generationis, in quo deberet efficere formam, quia tunc ejus forma eſt corrupta.

Dices, quod ſemen operatur ut inſtrumentum elevatum ab animali, aut naturali agente, à quo decidit.

Sed contrà. Sæpe fit generatio, & animæ productio dum nondum eſt in rebus agens naturale, cujus ſemen dicitur inſtrumentum; & tunc cùm non ſit, nequit elevare illud, cùm ab eo quod non eſt, nulla realis actio poſſit provenire; actiones

A enim ſunt ſuppoſitorum. Tum quia inſtrumentum elevatur ab agente principali actu movente illud, & non aliter, ut patet in ſerra, quæ tantùm agit dum actu movetur ab agente principali. Tum quia neque ut inſtrumentum ſeparatum poteſt ſemen efficere animam. Nam ſi ſeparatum generat, generat ut conſtitutum in actu per generativam virtutem, & ſic jam erit cauſa principalis, quæ in eſſe talis conſtituitur per virtutem quam habet productivam animæ.

B Præterea patet, quod nec cœlum, neque ejus forma valeant animas producere, quia animæ viventes ſunt perfectiores cœlis, qui non vivunt, & nequeunt dare perfectionem, quam non habent.

Præterea probatur, animas non fieri ab intelligentiis, quia non habent virtutem productivam animarum, neque diſpoſitionum ad illas, quia hæ ponuntur ab anima vegetativa. Tum quia ſi intelligentiæ haberent virtutem productivam animarum, illas producerent iu prima rerum geneſi;
C & conſtat ex ſacra Pagina, fuiſſe tunc creatas à Deo, aliàs mundus non diceretur à Deo creatus, ſed ab Angelis, vel intelligentiis.

Secundum fundamentum Scoti eſt quod in Phyſicis principium uniforme non eſt principium deformitatis, & ideo ſemen uniforme non poſſet eſſe principium tot animarum.

Probatur tertiò: Viventia quæ fiunt à cauſa æquivoca, debent h.bere cauſam diſſimilem; & nulla talis ultra Deum po-
D teſt habere virtutem tot animas producendi.

Præterea probant alii: Nam agens principale agit per ſuam eſſentiam; inſtrumentale per virtutem ab alio: Sed ſolus Deus agit pro ſuam eſſentiam: Ergo ab illo ſolo poſſunt animæ fieri. Tum quia forma educitur de potentia materiæ, præter rationalem; non quia actu in illa permanet, ſed quia apta eſt illam à Deo recipere pro ſua diſpoſitione: ſed hæc à ſolo Deo poteſt cognoſci: ergo in ſolo illo de-
E buit reperiri virtus illius productiva.

§. IV.

Animarum creatio non ſimul facta fuit à Deo.

REſolvendum tertiò, quod Deus non ſimul omnes animas creavit, nec ſeparatas, ut illas infunderet ſucceſſivè in corpora, ſed ſigillatim unamquanque in ſuo corpore creat. Sic ſtatuendum contra Pla-

tonem *in Timæo*, qui ſaltem animas rationales tenuit ſimul à Deo creatas, & in ſtellis conſervatas: nec diſceſſit ab illo Origenes, cujus errorem confutarunt D. Auguſtinus, D. Hieronymus, & D. Gregorius, & damnatur in Concilio Bracharenſi I. *cap.* 6.

Probatur ex illis hæc doctrina. Tum quia uniri formam materiæ, eſt illi ſecundùm naturam: deuniri ab illa, eſt illi violentum: ergo prius debitum fuit illi creari unitam, quàm fuiſſe ſeparatam. Minor patet ex D. Thoma 1. *part. quæſt.* 76. *art.* 1. *ad* 6. ubi probat naturalem propenſionem animæ ad materiam primam. Tum quia aliter animæ ſeparatæ eſſent per ſe ſubſiſtentes, & hoc ob aliquas operationes; & ideo ſicut anima rationalis, ita omnes eſſent immortales. Tum quia animæ ideo creantur à Deo, ne corruptâ formâ antecedente per animæ organizationem & diſpoſitiones, materia maneret ſine omni forma; quod repugnat ordini naturali rerum; ergo debuit Deus ſeorſim quamlibet creare juxta neceſſitatem introducendi illam in materia prima.

Resolutio XVI.

Utrum valeat anima dici in corpore ſine omni cibo vitam præſtare.

§. I.

Alimenti traditur diviſio pro deciſione.

Licheтus præclariſſimus Philoſophus Genuenſis præclarum librum edidit de iis, qui diu poſſunt vivere ſine cibo, in quo propoſitis variis hiſtoriis eorum, qui diu vixerunt ſine cibo, & tradens cauſas, ex aliis propriam protulit, quam nos refutavimus *tom.* 3. *promptuario* 35. Et licèt totam hanc doctrinam ibi complexi ſumus, illam tamen huc transferemus, tanquam hujus loci genuinam.

Reſolvendum primò, quod cibus, ſeu alimentum, aliud eſt craſſum, aliud aëreum ſeu vaporoſum. Craſſum eſt, quod nequit in ſanguinem converti, neque nutrire, niſi prius elaboretur vi concoctricis ventriculi. Vaporoſum, ſeu aëreum alimentum eſt, quod cum aëre fertur ad cor, & elaboratum in illo tranſmittitur ad jecur per ſanguinis circulationem, ut ab illo tranſmutetur in ſanguinem. Sic ſancivimus loco nuper citato.

Probatur prima pars de alimento craſſo, ex Hippocrate in aphoriſticis ſententiis, ubi docet modum exhibendi illud, ponens illius differentias in modo magis, aut minùs alendi, penes craſſum, & tenue: & *in lib. de alimento, de ratione victus in morbis acutis.* Galenus de eodem agit *lib. de aliment. facultat. lib. de cibis boni, & mali ſucci.* Agunt Medici in libris de re cibaria, & in communi uſu rerum non naturalium omnes experimur, vitam debere conſervari regulariter per communem uſum hujus alimenti: & quia hujus exhibito eſt in Medici poteſtate, non tamen exhibito aërei; ideo de hoc tantùm communiter agitur à Medicis.

Probatur ſecunda pars, quod præter commune alimentum, aëreum, ſeu vaporoſum detur, quia ex ſummo Medicinæ Dictatore ac Magiſtro Hippocrate ſic ſancitur, tum *in lib. de flatibus*, dicente: *Corpora omnia, tum hominum, tum reliquorum animantium quoque triplici nutrimento ſuſtentantur. Horum autem nutrimentorum nomina hæc ſunt, Cibus, Potus, Spiritus. At ſpiritus quidem, qui in corporibus ſunt, flatus vocantur: qui verò extra corpora exiſtunt, aer, qui ſanè maximus eſt in omnibus, quæ corpori accidunt, & author, & dominus; ſed ſpeciatim actionis author, & refrigerij dominus.* Tum idem ſancivit *lib. de alimento*, dicens: *Principium alimenti ſpiritus, nares, os, guttur, pulmo, & alia reſpiratio: principium alimenti & humidi, & ſicci os, gula, venter; verùm antiquitus per abdomen umbilicus.* Ex dictis ab Hippocrate totius reſolutionis demonſtratur doctrina, utriuſque alimenti aperitur natura, parteſque conſignantur diverſæ, per quas unumquodque alimentum recipitur intra corpus, juxta definitiones illius quas adduximus.

Probatur tertia pars ſecundæ reſolutionis. Tum ex Galeno *lib.* 6. *de uſu part. cap.* 8. *& lib. de utilit. reſpirationis*, docente corporis ſubſtantiam ſpiritnoſam nutriri ex aëre. Tum Olimpiodorus *in comment. ad Phædonem*, teſtatur vidiſſe hominem ſolo aëre nutritum. Tum quia Ariſtoteles 4. *meteor.* docet continuò extra elevari vapores, & exhalationes, quæ immiſcentur aëri, ex quo fit alimentoſus. Tum quia, in aëre eſſe alimentum, demonſtrant animalia, quæ ex illo ſolo inſpirato nutriuntur, cămæleon, canis levis, manucodiata avis, & rimphaces. Tum id demonſtrant coqui, & piſtores, qui ex vaporoſo alimento ſaginantur, craſſum abhorrentes. Tum quia vinum alit per ſuos vapores. Tum quia recentis panis vaporibus Græci ſuum Democritum dicuntur ſine alio alimento ſervaſſe per

aliquos

aliquos dies. Ergo admittendum, alimentum aëreum, ſeu vaporoſum à natura nobis deſtinatum, per occultas alias vias præter deſtinatas pro craſſo receptum.

§. II.

Vitam poſſe ſine alimento craſſo ſervari fertur.

RESolvendum ſecundò, quod vita poteſt in aliquibus conſervari diu ſine alimento craſſo, communiter tamen uſque ad diem ſeptimum admittit Hippocrates *lib. de carnibus.*

Probatur. Debilitas eſt intellectus rationem negare iis ad quæ ſenſus facit fidem. Sed plures vixiſſe ſine omni alimento craſſo per plures annos, ſenſus fecerunt fidem apud plures homines, qui id viderunt. Ergo id à nobis fatendum. Probavimus minorem *tom. 3. ſuprà citato*, ex variis Authoribus. Plutarchus notavit aliquas fœminas per tres, vel quatuor dies ſolitas abſtinere à cibo. Cardanus tenet Moſcovitas abſtinere à cibo unoquaque hebdomada per dies quinque, & teſtatur vidiſſe piſtorem in una hebdoma uno tantùm die cibo utentem. Benivenius vidit præfocatam ex utero vixiſſe ſine cibo per dies decem. Eugenius prægnantem vidit vixiſſe ſine cibo per dies viginti. Schenkius per viginti ſeptimanas obſervat abſtinentes à cibo. Ariſtoteles narrat Simonis aviam per ſex menſes habitaſſe circa ſepulchra ſine omni cibo. Rhodiginus vidit Piſis mulierem nihil edentem per decem menſes. Areyes alterius meminit, quæ per annos ſeptem non uſa fuit cibo: Aponenſis per octo annos, Rondeletius per annos duodecim, Adeodatus per annos quindecim, Rogerius per annos viginti, Bocarius per triginta, Conciliator per ſexaginta annos obſervarunt aliquos vixiſſe ſine omni cibo craſſo, quos nos retulimus *tom. 3.* & Smetius, Sennertus, Lichetus, & Areyes latiùs proſequuntur.

Tum comprobavimus à ſimili hanc veritatem in aliis animalibus diu vivere ſine cibo craſſo viſis, ex quibus apparet idem poſſe contingere in hominibus. In vegetabilibus ova, ſemina, rami ab arbore ſeparati, & plantæ ſine alimento diu cum vita permanent; ſed inter animalia aureliæ in aëre, & nymphæ nullo utuntur craſſo alimento, nec in aquis iclæ, & alii piſces, ut fatetur Citeſius: idem contingit in terra anguibus, muſcis, erucæ, muribus, gliribus, turturibus, hirundinibus, cicadæ, biſciolæ, & urſis per plures menſes: ergo

A non erit impoſſibile, quod poſſit, licèt rarò, idem contingere in hominibus.

§. III.

Sine cibo vaporoſo ſaltem nequit in homine diu vita permanere.

RESolvendum, quod vita hominis nequit diu permanere ſine cibo craſſo, quin vices illius gerat cibus, ſeu alimentum aëreum, ſive vaporoſum.

Probatur. Nam homo nequit vivere B ſine permanente calore; docet enim Ariſtoteles, quod *vita eſt permanſio calidi in humido*: nec vegetativæ animæ actiones poſſunt fieri ſine illo; eſt enim calor neceſſarium inſtrumentum pro concoctrice, & aliis facultatibus vitam conſervantibus: ſed nequit calor impediri, quominus continuò reſolvat partes noſtri corporis, niſi continuò reſarciantur per aliquod alimentum nutritione repoſitum: ergo deficiente craſſo alimento vita nequit ſubſiſtere, niſi vices illius gerat alimentum va- C poroſum.

Probatur ſecundò. Toto tempore, quo permanet vita in homine, debent generari ſpiritus, à quibus noſtri corporis partes vivificentur, vita in corde conſervetur, & remittatur frigiditas ambientis, à qua ſine hoc auxilio neceſſariò extingueretur nativus calor. Sed pro ſpiritibus generandis præſtat continuò materiam attractus aër, & ſanguis, qui continuò generatur: ergo craſſo deficiente alimento, nequit vita permanere, niſi vices gerat vaporoſum D alimentum.

Probatur tertiò: Sanguinis circulatio ob rationes adductas ab Harvæo & aliis, eſt admittenda tanquam neceſſaria ad vitæ conſervationem: ſed hæc ſine continua ſanguinis generatione non eſt poſſibilis: ergo ut hæc fiat, debet dari ſaltem aëreum alimentum.

§. IV.

Non cuilibet pro nutritione ſufficit vaporoſum, ſeu aëreum alimentum.

E RESolvendum quartò, quod alimentum vaporoſum, ſeu aëreum, non ſufficit pro nutritione, niſi in corporibus, in quibus nativus calor modificatur, ut remiſſiori modo reſolvat. Sic ſancivimus *tom. 3.*

Probatur. Non accidit niſi in paucis, & rarò, quod ſolum alimentum vaporoſum poſſit conſervare vitam, aliàs nullus peteret defectu craſſi alimenti: ſed alimen-

tum vaporoſum, ſeu aëreum omnibus eſt A commune: ergo aliquam debemus aſſignare cauſam, ſaltem ex parte caloris reſolventis, quare potiùs in uno, quàm in aliis id contingat.

Qualis ſit modificatio in calore, tradidimus loco à nobis citato. Qualitates enim primæ ultra, aut infra propriam intenſionem poſſunt operari modificatæ: ſic & alij morbi. Quod apparet tum in febribus caſtrenſibus peſtilentibus, quæ cùm ſiot parvæ, quia maligoæ, quarto die, aut citiùs interimuot; quia in illa remiſſione B caloris ſunt firmatæ ſignis infidis: à remiſſo eoim illarum calore urina fit intensè flava, & ſæpe calor urit & colliquat, inteoditur vigilia, lioguæ ſiceitas, & ſeabrities, nullaque in remiſſo illo calore ſunt accidentia, quæ non reſpondeant urenti calori, non quia intenſus, ſed quia modificatus. Tum apparet in opii frigiditate, quæ eſt valdè remiſſa, cùm opium ſit valde calidum à prædominio; ſed quia modificeatur ab illius forma, torporem inducit, ſomnum profundum cauſat, & ſæpe mors C supervenit ab ejus frigiditate. Tum patet, quia in ſolutione continui à vipera inducitur mors, quam nequiret ſine modificatione cauſare abſciſſio totius brachii. Tum patet de torpore inducto in piſcatore, nullis mutatis qualitatibus, ſed ſolùm quia modificantur per cannulam à piſciculo. Tum patet in humore melancholico, in quo ſub eadem forma, mutatis ſubſtantiæ modis, variiſque partium materialium illius mixtionibus, modificantur illius qualitates ad varios effectus producendos ob D varias productas occultas modificationes. Hinc varii ex hoc humore proveniunt tumores, ſcirrhi, cancri, ſive ulcetati, ſive noo ulcerati, variæ febres, erraticæ, eooſiſtentes, decimanæ, nonanæ, octanæ, ſextanæ, quiotanæ, quartanæ, continuæ, intermittentes, ſalubres, pernicioſæ, peſtillentes, duplices, triplices, ſimplices, variæque qualitates occultæ venenoſæ, à quibus innumera, & graviſſima ſubſequuntur accidentia, ac lethalia, & contagioſi morbi, ut lepra, elephantiaſis, melancho- E lia, hypocondriaca, Scorbutus, & innumeræ deliriorum differeotiæ.

Ex iis ſimili modo judicamus, quod ab occulta melancholiæ qualitate poteſt in aliquibus ſubjectis ſupervenire qualitas à tota ſubſtantia, à qua nativus calor modificetur, ut remiſſiori modo opererur, quàm qui deberet ſuæ intenſioni, & remiſſiori modo reſolvat partes noſtri corporis, ita ut poſſint paucæ quæ reſolvuntur, inſtaurari per alimentum vaporoſum, ſeu aëreum in determinatis aliquibus ſubjectis, ſicut modificato à torpedine calore qui erat in brachio, ſufficiente pro ſuis operationibus, ceſſant in brachio vitales ſenſitivæ operationes.

RESOLUTIO XVII.

Utrum vita poſſit permanere in homine ſine circulatione ſanguinis.

§. I.

Ratio hujus difficultatis proponitur.

NEceſſarius alimentorum uſus docuit nos, illius uſum deſtinari in reparationem partium, quæ continuò reſolvuntur per noſtrum calorem: & cùm omnia alimenta ſiot diſſimilia noſtræ ſubſtaotiæ, quædam offieinæ in noſtro corpore ſunt deſtinatæ pro eorum præparatione, & ut nobis familiaria reddantur. Quod prima præparatio, ſeu coctio fiat in ventriculo, & Vetuſtiores, & Juniores uoiformiter receperuot, in quo ex alimentis fit chilus ſubſtantiâ ſimilis cremori hordei, qui ulteriorem exigit elaborationem, per quam tranſmutetur io ſanguinem. In qua parte hæc celebretur, non fit unus conſenſus. Ariſtoteles enim *lib. 2 de part. animal. cap. 7. & 13. & lib. de vita & morte*, aliiſque in locis ſtatuit, cor eſſe principium omnium actionum animalium, vitalium, & naturalium, ſedem omnium facultatum, venarum, arteriarum & nervorum originem. Recentiores aliqui conantur ſuſcitare hanc doctrinam, viaſque oſtendere, per quas primò chilus aſcendat in cor: tenentque in illo ſanguinem generari, & ab illo impartiri in univerſas corporis partes pro earum nutritione. Medicorum tamen doctrioa diſſentit ab Ariſtotele, tenetque quod chilus à ventriculo mittitur in jecur, ut ab illo traoſmutetur io ſanguinem, & io reliquos humores naturales. Sed non omnes Medici conveoiunt in determinandis viis per quas fertur chilus. Crediderunt aotiquiores cum Galeno, deferri per venas meſaraïcas. Gaſpar Aſellius inter Juniores receſſit à veteribus, iovenitque venas lacteas, & docuit per illas chilum tranſmitti in jecur: cui aſſentiunt jam Medici, & nos cum illis *tom. 1. Reſolut. Medic. part. 5. diſputat. 1. ſect. 1. reſolut. 2.* Nec omninò uniformes ſic philoſophantes permanent; nam alii totum chilum fatentur per has venas tranſmitti in jecur. Alii contendunt, quod

quod fertur tantùm purior pars chili, craſſior verò, & magis fæculenta per alias vias in lienem, à quo ex illa portione fit fæculentus quidam ſanguis pro lienis, & vicinarum partium nutritione.

Inſequimur nos chilum in jecur deductum, qui per illius coctionem convertitur in ſanguinem, ex quo partes noſtri corporis per nutritionem reponuntur: de quo, per quas vias feratur, & qualiter permaneat in illis, valde controverſum eſt. Recepit antiquorum indubitatus aſſenſus ab Hippocrate confirmatus, & à Galeno innumeris in locis traditus, quod ſanguis à jecore genitus impartiatur per omne corpus, defertaturque per venam jecorariam ab ipſo jecore exeuntem per duos ramos ipſius venæ cavæ, aſcendentem, & deſcendentem, qui rami ſecantur per univerſum corpus. Hos primos venæ cavæ, ſeu jecorariæ ramos docuit Hippocrates *lib. 2. epidem. ſect. 4.* dicens: *Iecoraria per lumbos ad magnam uſque vertebram deorſum fertur, ex hepate verò ſublata per diaphragma cor, deinde jugula petit.* Ab eis diſpartiuntur reliquæ venæ, intra quas vetuſta opinio tenet ſanguinem contineri, conſervari, & retineri donec feratur in partes pro illarum nutricatu.

Inter Medicos recentiores Guillelmus Harvæus Anglicus Archiater, & præſtantiſſimus Anatomicus aliter judicium tulit de ſanguinis motu, & aſſerit quod ſanguis totus generatus à jecore recipitur in vena cava aſcendente, & fertur in auriculam dextram cordis, à qua dum dilatatur cor, trahitur in ipſum, & dum comprimitur, truditur in arterias, & ab illis fertur in partes ut nutriantur ex illo. Sanguis qui ſuperfluit, ab ipſis arteriis per anaſtomoſim mittitur in venas, per venas fertur ad jecur & venam cavam aſcendentem, & per illam iterum in cor cum ſanguine de novo genito in jecore, & ſic ſanguis continuò in circulo movetur; quem motum & ipſe, & reliqui vocant circulationem ſanguinis. Quod idem protulimus *tom. 1. Reſolut. Medicar. part. 5. diſp. 1. ſect. 1. reſolut. 1.* ubi hanc opinionem amplexi ſumus cum Harvæo, & communiori Juniorum parte, qui jam illam amplectuntur contra vetuſtiores, contra Primeroſium, & Pariſanum, inter quos Plempius Harvæi publicus oppugnator, *lib. 2. de fundament. Medicinæ*, agens de ſanguinis circulatione ſe retractavit, faceturque mutaſſe opinionem convictum Harvæi rationibus, quibus & nos convicti loco citato ejus opinionem admittimus, ejus & aliis rationibus confirmamus, & contrariorum fundamentis ſolutionem adhibemus. Qua poſita communi jam, & à nobis comprobata opinione, pro majori vitæ intelligentia vertimus in dubium, an ſine ſanguinis circulatione poſſit vita ſubſiſtere.

§. II.

Neceſſitas circulationis ſanguinis ſancitur.

Reſolvendum, quod neceſſitas circulationis ſanguinis evidenter convincitur per rationes Harvæi ad vitam conſervandam.

Probatur. Omnis actio quæ ut neceſſaria, continua, & inevitabilis à natura eſt homini condonata, ut appatet in reſpiratione, & aliis, eſt homini neceſſaria ad humanæ vitæ conſervationem: ſed circulatio ſanguinis in homine eſt neceſſaria, continua, & inevitabilis: ergo eſt homini neceſſaria ad vitæ conſervationem.

Probatur minor demonſtrativè, & evidenter ab Harvæo, & nos cum illo tradidimus loco ſuprà citato, & illius ſectatores Higmorus, Coringius, Pecquetus, & reliqui, ſupponendo quod autopſia oſtendit, quod ſanguis uberiùs ex vena cava transfertur in cor, & arterias pulſu cordis, quàm poteſt ſubminiſtrari ex receptis alimentis: nam in ſingulis cordis pulſationibus attrahitur in cor, & foras expellitur à corde aliqua quantitas ſenſibilis ſanguinis, quæ qualis ſit, ex eo colligitur, quia unicuique datur obſervare quod obſervarunt reliqui hujus doctrinæ ſectatores; reperiri, inquam, in corde hominis ſtrangulati uncias duas ſanguinis: & dato quod in viventis corde minor in unaquaque pulſatione recipiatur quantitas, ſemper tamen aliqua portio recipitur, quam licèt minimam judicemus; cùm ſenſibilis ſit, ſaltem debet eſſe unius drachmæ quantitas, quæ recipitur, & propellitur. Vel demus minimum, quod perceptibile eſt, & ſic dimidia drachma: hoc dato, pulſationes quæ fiunt in corde, plures aut pauciores ſunt, juxta ætatem, temperiem, diverſumve pulſus uſum adauctum, vel diminutum. Plempius in ſe fatetur annumeraſſe in uno horæ quadrante, à quo parum diſceſſit Harvæus, ictus mille trecentos & quadraginta. Demus quod ſaltem ſint quatuor millia in unaquaque hora, minorem enim numerum nemo experietur in ſe, aut in alio. Cùm ergo in qualibet pulſatione recipiatur in corde ſanguinis ſaltem dimidius ſcrupulus, intra unam horam recipientur plus quàm ſex libræ ſanguinis, in ſex horis plus ſanguinis,

guinis quàm poteſt in toto corpore reperiri, & per decem & octo ſubſequentes, ſi non detur ſanguinis circulatio, non manet ex qua parte ſanguis trahendus, ut recipiatur in corde, præcipuè in abſtemio, vel in eo qui per plures dies non ſumit alimentum, quorum cuilibet viuere ſine cordis motu eſt impoſſibile, & quin in unoquoque modo dicto cor ſanguinem attrahat, ſit neceſſarium. Hæc ad verbum protulimus ibidem, ex quibus evidenter demonſtratur, quod circulatio ſanguinis in homine eſt neceſſaria, continua, & inevitabilis.

Inter admittentes contrariam opinionem, Primeroſius *in animadverſionibus de motu cordis, & circulatione ſanguinis, cap. 9.* reſpondit quod ſanguis qui eſt in dextro cordis ventriculo rareſcit, & intumeſcit mediâ efferveſcentiâ, ita ut parva quantitas, aut guttula ſufficiat pro pluribus pulſationibus. Sed hæc evaſio caret omni probabilitate, & tanquam falſa impugnatur à Garcia Valentino, maximo oppugnatore circulationis ſanguinis, quia non ſatisfacit rationi, nec experientiis adductis ab Harvæo, & propter alias rationes quas ſuperaddit. Mihi verò videtur improbabilis, & falſa, ſtando in doctrina Galeni, quem profitetur defendere. Tum quia autopſia docet, quod cordis pulſus eſt continuus; ſi autem ratione fervoris ſanguinis eſſet plenus, & impeditus ad ſanguidem recipiendum, & expellendum, nunquam moveretur; nam ut demonſtrat Galenus *lib. de uſu pulſus,* facultas pulſifica cordis operatur pro uſu & indigentia, & repleto ventriculo cordis, & non evacuato, nec indiget dilatari, ut attrahat ſanguinem, ut Primeroſius fatetur; nec comprimi, ut illum expellat, ut idem ſupponit: ergo ceſſaret pulſus omninò per multùm temporis. Tum quia puſus comprimitur: ergo ſive ſanguis ferveat, ſive non ferveat, ne detur penetratio, expellitur ad arterias, & eo ipſo quod expellatur, debet per dilatationem tantùm recipere, quantum evacuatum eſt, ne detur vacuum. Tum quia ſanguis qui recipitur, non poteſt fervere & rareſieri, niſi per alterationem, ſucceſſivè, & in tempore, in quo plures fiunt compreſſiones, & expulſiones recepti ſanguinis, & novæ ejus receptiones à corde. Tum quia ſi guttula ſanguinis, aut nihil exiret à corde, ſimul & non exirent ſpiritus in partes omnes noſtri corporis, & defectu influentis caloris homo frigidus maneret, ſicut in metu, & acceſſionibus. Tum quia docet Galenus, quod continuò generantur ſpiritus vitales in ſiniſtro cordis ventriculo ex aëre, & ex ſanguine continuò recepto à dextro ventriculo in qualibet pulſatione: ergo ſi non recipitur, ſuperfluus eſt uſus ventriculi ſiniſtri cordis à Galeno poſitus pro illis generandis. Tum quia cùm ſpiritus vitales generentur in ventriculo ſiniſtro cordis per coctionem, ſi ſanguis in tanto fervore permaneret, non poſſet concoqui, quia non poſſet ob ſuum ferventem calorem alterari à naturali cordis calore, qui remiſſior, & illi naturalis deberet eſſe.

Pariſanus oppugnator etiam Harvæi, ut ſolvat propoſitam ejus rationem, reſpondet quod non eſt admittendum, quod per cor tranſeat ſanguis ad arterias, non ſolùm in magna copia, ſed nec illius guttula; quia ventriculus cordis nunquam repletur ſanguine, ſed paulùm guttatim recipit, & ſubitò in vapores convertit, & reſolvit. Garcia irridet hanc ſolutionem, quia ſicut Primeroſius non reſpondet rationi Harvæi, ita ſuppoſitum ad reſpondendum proponit omnino falſum, experientiæ contrarium, & Galeni doctrinæ oppoſitum, & contra quod occurrunt rationes à nobis contra Primeroſium adductæ.

Garcia Valentinus profeſſor nuperrimè conatus eſt antiquam ſuſcitare doctrinam, & Galenum defendere, oppugnando ſanguinis circulationem contra Harvæum Archiatrum Ludonenſem, & præclariſſimum Anatomicum primum ejus inventorem, & contra Bravum Valliſolitanum Harvæi doctrinam inſequentem: & poſtquam hoc fundamentum Harvæi à me etiam propoſitum magis perpolitum reddidit, pro illius reſponſione dicit, quod ſanguis non attrahitur à corde, niſi gratiâ nutritionis, & ut optimum cordis alimentum reddatur, detineri in illo deſiderat; & ideo in poroſitatibus cordis detentus, alteratur, & dum iſte præſens eſt, alter de novo non allicitur ad alterationem, ſicut contingit in reliquis corporis partibus; & ita non ſolùm non attrahit in ſpatio ſemihoræ libras decem, ut intendit Harvæus, verum nec in tota die uncias tres.

Sed hæc fuga incidit in varia diſcrimina, quæ cogunt aberrare à Galeni, & omnium Dogmaticorum communi, & nunquam oppugnata doctrina de uſu cordis, & ventriculorum illius. Fatentur enim communi aſſenſu ex doctrina Galeni omnes Anatomici, quod duæ venæ ingrediuntur in cor: coronaria, quæ deſervit ad totius cordis nutritionem; & ramus cavæ aſcendens, qui in ventriculo dextro immittit

mittit magnam copiam ſanguinis, non ut cor ex illo nutriatur, ſed ut deferatur pars illius in pulmones pro illorum nutritione, & ut altera pars trudatur in ſiniſtrum ventriculum, attracta per ejus dilatationem, ut generentur ex illo ſanguine ſpiritus vitales, vel ſaltem ut maximè elaboratus trudatur per venam aortam per univerſum corpus; ergo fuga argumenti, quæ cogit diſcedere à veritate recepta ab omnibus intra Scholam Dogmaticam, aſſerendo quod cor per ventriculos attrahit ſanguinem, ut ex illo nutriatur, & quod illum detinet in hunc finem, ducit in varia opinionis propriæ diſcrimina. Patet hæc communis doctrina. Tum ex doctiſſimo Andrea Laurentio; inquit enim *lib. 4. cap.6. Anatomiæ*, ſic: *Ita ergo aſcendentis cavæ truncus ad jugulum uſque extollitur, ab hoc trunco quatuor emanant rivi, phreneticus, coronalis, azygos, & intercoſtalis. Phreneticus per univerſum diaphragmatis corpus excurrit, & ad cordis involucrum ramos ſpargit, necnon ad membranas cordis.* C *Coronarius dictus univerſam cordis baſim inſtar coronæ cingit: ſæpius ſimplex, rariùs geminus viſitur, & per totam cordis ſubſtantiam hinc inde ramos diffundit ad viſceris nobiliſſimi nutritionem: plures autem eius rami in ſiniſtra cordis parte apparent, quàm in dextra, quia denſior, craſſiorque copioſiori indiget alimento. Hic venæ cavæ ampliſſimum os obſervare licet; latus enim veluti lacerum cordi adaperit cava, ut in dextrum ſinum, tanquam ciſternam effundat ſanguinem ad pulmonum nutritionem, & vitalis ſpiritus generationem.* Eandem anatomicam enarrationem videre eſt apud reliquos Anatomicos, Paræum, Sylvium, Veſalium, & cunctos alios, qui non excogitatam rem referunt, ſed autopſiâ expertam veritatem.

Præterea Garcia in varia diſcrimina fertur ex hac excogitata evaſione; nam cogitur negare, dari ſpiritus vitales in corpore humano, qui debent fieri in ventriculo ſiniſtro cordis ex ſanguine recepto in illud, & tranſmiſſo à ventriculo dextro; debet negare, quod ſint viæ quas reperiunt Anatomici, quæ deferant alimentum ad pulmones ex ipſo corde; debet diſcedere ab Hippocrate, qui vitales ſpiritus ponit inter partes noſtri corporis, dicens quod ſunt continentia, contenta, & impetum facientia; debet negare Galeni febrium communem diviſionem, quam deducit ex iis ſubſtantiis, in hecticam, humoralem, & diariam; debet negare ſymptomata provenientia in paſſio-

A nibus animi per ſpirituum conturbationes, mortes repentinas, communes uſus illorum, & in alios ſimiles errores incidere; debet recedere à doctrina Galeni *lib.12. methodi, cap. 5. & lib. de placitis*, qui ex ſanguine ſimul cum aëre tenet vitales ſpiritus generari, quem omnes ſequuntur Medici: ergo falſam, & ineptam evaſionem invenit iſte Author, ut fugeret vim argumenti Harvæi, quo convicti juniores admittunt circulationem ſanguinis; B immò Plempius, & alii qui illam publicè oppugnarunt coacti ſunt ad amplectendam circulationem ſanguinis, nullam pro propoſita ratione, & aliis quas nos latiùs proſequuti ſumus, invenientes evaſionem, de quibus Reſolutio noſtra videnda loco citato.

RESOLVTIO XVIII.

Utrum ex occultatione teſticulorum in viris impediatur vitæ propagatio in filios.

§. I.

Quid ſint teſtes, quot in viris, & qualis locus deſtinatus pro illis.

TEſtes, teſticuli, gemellive ſunt corpora glanduloſa, in fœminis intus, in viris in ſcroto contenta, naturaliter deſtinata ad ſeminis generationem pro ſpecie conſervanda, & ad proprii individui & ſexus perfectionem conciliandam. D Proſequitur Nancelius *lib. 7. Microcoſmi ad Microcoſmum, cap. 5.* eorum conformationem, inquit enim: *Glanduloſa quidem conſtant ſubſtantia, ſicut lib.3. de alim. facult. Galenus tradit, eaque molli, rara, laxa, lactea, fragili, & oblonga; molliori tamen parte obtuſa, & ampla, tota autem caverneſa, & ſpongioſa, exiguis venulis in totum pervia, atque oppleta, quæ circa cavitatem habet conſpicuum ſeminis receptaculum; maribus ob vim innati caloris foris prominentia, fœminis contrà.* Ariſtoteles E *lib.3. de hiſt. animal. cap.1. & lib.2. de gener. animal. cap. 4.* denegat teſtibus vim ſeminis generandi. Galenus *lib. de ſemine*, convincit ejus errorem. Hippocrates priùs contra vetuſtiores illum comprobavit, & præcipuè Galenus *lib. de ſemine, cap. 16.* Nancelius loco citato, Laurentius *lib.7. Anatom.* & alii.

§. II.

Traditur numerus teſticulorum viris à natura deſtinatus.

DUos teſticulos unicuique individuo deſtinavit natura: accidit, licèt raò, quod unum præſtet, aut tres. Binarium teſticulorum numerum admittit Hippocrates aptari à natura, dextrum magis pro maſculis, ſiniſtrum pro generandis fœminis valere. Gemini ſolent vocari, quia ſic produci contingit ferè ſemper; & ſic pro illis B in ſua cavitate quaſi diviſis, & duplicatis, contingit (licèt rarò) variari numerum. Petrus Borelius *cent.* 1. *obſervat.* 60. aſſerit vidiſſe patrem, & filium, quorum quivis tres habuit teſticulos: vidit & alium unum tantùm habentem. Hollerius *lib.* 6. *aphor.* 28. aliquos obſervat uno tantùm teſticulo conformatos. Cælius Rhodiginus idem narrat de aliis. Arrianus Juriſconſultus Syllæ ſic contigiſſe ſcribit. Ulpianus cum uno teſticulo aptos eſſe viros ad generandum approbat. C

Eſt in viris ſcrotum, aptus locus à natura deſtinatus pro continendis teſticulis, ut denotat illius ſtructura; eſt enim quaſi burſa, aut quaſi vaſculum teſticulorum, coriacei ſacculi ſimilitudinem referens, ut tenet Hippocrates *lib.* 2. *de morb.* Eſt illi cutis rugoſa, tenuis, conflata ex cuticula, & cute, intra quam communiter generantur teſtes, & continentur partes illis deſervientes, ut eſt communis Anatomicorum aſſenſus. Sunt plures partes teſticulis deſervientes intra ſcrotum, quas re- D tulimus *tom.* 1. *part.* 6.

Harum partium talis eſt conformatio. Fit ſcrotum ex cuticula, & cute, & ex ſecunda a ia dicta carnoſa, orta à panniculo carnoſo. Præterea ſunt unicuique teſti propriæ aliæ tunicæ. Tunica erythroïs dicta eſt quæ primò teſticulum ambit, & ſimul ſpermatica vaſa uſque ad peritonæum, cujus eſt productio. Secunda ex propriis tunicis teſticuli dicitur Dartos: ſuperaddunt alii tertiam propè attingentem carnem teſtis. Epidydimam vocat illam An- E dreas Laurentius: plerique eam non diſtinguunt ab ea quæ vocatur Dartos. De contenta in illis ſubſtantia jam diximus, quod eſt caro mollis, cavernoſa, glandulæ ſimilis, in qua producitur ſemen. Pro illo deſerviunt ſex vaſa: quatuor dicuntur ſpermatica, præparantia, & conducentia ſeminis materiam. Horum vaſorum in dextro latere eſt vena orta à cava deſcendente, & altera orta ex arteria aborta. In ſini- A ſtro latere eſt vena orta ab emulgente, & arteria aborta, quæ in utroque latere mutuò inter ſe complicantur, & in progreſſu ad teſtem, ad quem feruntur, eodem aſſurgentes itinere, deorſum per peritonæi productionem recurrunt uſque ad teſticuli extremum epidydimum dictum, quod eſt corpus oblongum, utriuſque teſtis extremo adhærens, in medio aliqualiter debiſcens, dicatum pro ſemine dealbando, quod ab ipſo in carnem teſticuli perficiendam, & prolificandum fertur. Ab epidydimo duo B vaſa, unum in unoquoque teſte, tanquam ſpermaticorum propagines, eodem aſſurgunt itinere, quo præparantia deorſum deflectuntur per peritionæi productionem, dicunturque vaſa deferentia, quia ſemen jam productum deferunt obliquo ductu ad poſteriorem, & exteriorem veſicæ partem, ad veſiculas, ſeu poſtrata ſemen recipientia, & conſervantia pro actu genorationis, in quo per penem ejaculatur. Sic tranſtulimus hanc anatomicam hiſtoriam, quam breviter priùs perſtrinxeramus.

§. III.

Quid, & quotuplex ſit teſtium occultatio in viris.

TEſtium occultatio in fœminis illis omnibus eſt communis; in viris verò rarò accidit, & eſt teſticulorum retractio intra inguina, de qua nulla apparet mentio inter vetuſtiores Medicos: paucis ab hinc annis aliqua aliquorum apparent rudimenta, ex quibus poteſt illuſtrari. Manifeſtari D videntur teſtes in viris dum continentur in ſcroto, in quo viſui, & tactui apparent. Contingit tamen, quod intra inguina retracti permaneant, & hæc ſitus mutatio vocatur teſticulorum occultatio, quia cùm conſtet, non eſſe extractos, ut in ſpadonibus, nec in ſuo loco permanere, ſed intra inguina occultentur, cùm non ab omnibus cognoſcantur in illo ſitu, nec ſatis conſtet, an ibi ſint concluſi, an apparentes ex illis tumores ſint ab alia cauſa, ipſi occulti judicantur.

E Teſtium occultatio in viris eſt duplex, alia quæ fit ab arte, alia quæ fit à natura. Ab arte fit, dum teſticuli, qui à natura intra ſcrotum ſunt congeniti, ab artifice retrahuntur ad inguina ad curandam herniam zirbalem, aut inteſtinalem, qui illos relinquit intra inguina concluſos. Occultatio teſticulorum à natura dicitur quando natura ob debilitatem nativi caloris teſtes nequit trudere in ſcrotum, ſed illos conformatos relinquit intra inguina.

Modum

Modum occultandi teſtes ab Herniſtis in-A tra inguina propoſuimus *tom.* 1. *Reſol. Medicar. part.* 6. *obſervat.* 1. & à nobis recepit Reverendiſſimus Pater D. Antoninus de Diana, & retulit *tom.* 2. *in Miſcellaneis, reſolut.* 4. Priùs modum occultandi teſticulos ab Herniſtis propoſuerat D. Antonius de Veraſtigui, dicens quod teſticuli debent nudari à tunica erythroïde, antequam retrahantur ad inguina, & vino lavari: quem modum curandi, & extrahendi teſticulos refutavimus nos conſultatione citata, & nobiſcum refutat R. B P. Diana.

Curatio autem, & occultatio ſic debet fieri, ut primus docuit Laurentius Pontificis Chirurgus, & optimus Anatomicus *cap.* 176. ſuorum Operum, & inter recentiores Herniſtas communicavit nobis Sebaſtianus Sanz Coronel, & alii Juniores Herniſtæ, qui fatentur ſe perficere hanc curationem ſine læſione teſticulorum, & ſine nudatione alicujus tunicæ illorum, aut vaſorum illis deſervientium læſione, ſolùm ſcindendo partem proceſſus peri C tonæi, quæ deorſum tendit ad teſticulum, & ſupra illam integrum teſtem deducendo ad inguen, intra quod teſtis recluditur, & relinquitur, partę inferiori tunicæ curata per ligaturam. Poſt hæc vulnus inguini infixum curatur communi modo, quo reliqua vulnera.

§. IV.

Sancitur quod occultatio teſticulorum in viris ſit poſſibilis naturaliter.

CUm ab antiquis nulla fiat mentio hujus occultationis teſticulorum, dubiâ permanet ejus cognitio, & forſan à nullis noſtri temporis Medicis cognita, aut animadverſa eſt occultatio teſticulorum in viris à natura proveniens. Contigit mihi Medicinam exercenti apud Pincianos, quod nobiliſſima fœmina mihi narravit, quod illius filius utroque carebat teſticulo in ſcroto: ſed tunc eram parum exercitatus, nec multùm adhibui curam in inquirendo affectu. Poſt aliquot annos, cùm E filius perveniſſet ad annum decimumoctavum, iterum enarravit mihi quod jam filio ſuperveniſſent duo teſticuli in ſcroto. Fuit poſtea ſimilis mihi enarratus caſus, qui me coëgit immorari in Authorum ſcriptis, circa quos confirmatam inveni occultationem teſticulorum in viris provenientem à natura, quæ ex iis comprobatur exemplis ab Authoribus quos inveniſſe mihi licuit, depromptis.

D. Gaſp. Bravo Tract. Miſcell.

Schenkius duas affert obſervationes: alteram ex Oethem dicente *lib. obſervat. propriar. Obſervavi aliquoties pueros quoſdam teſtes retractos habere in interiori parte pubis, qua ad coxendicis articulum vergit; ac ſi qui minùs periti ſunt, herniam ei parti ſubeſſe opinantur: ſed herniam non eſſe cognoſcitur, quòd locus ille non doleat, deinde quod ab ea parte ſcroti deſit teſtis.* Alteram adducit obſervationem ex Paræo *lib.* 7. *cap.* 16. dicente: *Fit non rarò ut natura ignaviâ etiam in adultis nondum in ſcrotum propulſi ſint teſticuli, ſed diu ſegniter lateant in inguinibus tumorem excitantes cum dolore, quæ res chirurgo malo enteroceles opinionem facit. Itaque dum repellentibus, & ſubligaculis tumorem illum compellere nititur, doloris incrementum facit, & deſcenſum teſticuli in ſcrotum remoratur. Id ego non ita pridem in puero, quem Chirurgus imperitus diu tanquam herniosum fruſtra, & miſerè crucians curaverat, animadverti. Nam cùm unicum in ſcroto ſubeſſe teſtem animadverterem, atque nunquam caſtratum puerum reſerviſſem, procul ab ipſo emplaſtra & ſubligacula removeri juſſi, parentibuſque dixi, ut ipſum curſare, & ſaltare permitterent, ut puero ab otio ceſſante, promoveretur in ſcrotum teſticulus: qua res eventum, ut prædixeram, ſenſim, & ſine dolore habuit. Affectionis hujuſmodi ratio ut intelligatur, ſciendum mares à fœminis caloris tantùm efficaciâ differre; efficacis autem caloris eſt foras expellere. Hinc fit, ut teſtes maribus foras ex ſcroto pendeant, fœminis autem in imo ventre concluſi lateant. Contingit autem, ut in maribus quibuſdam na-D tura frigidioribus teſtes aliquando occluſi contineantur, donec juvenili tandem ardore deorſum in ſcrotum propellantur.*

Præter hos, Thomas Bartholinus *in Hiſtoria Anatomica, cent.* 1. *hiſtor.* 36. idem confirmat, dicens: *Primus quem in dorſo excepit, quanquam ætate reliquos ſuperaret, ad ingreſſum tamen eſt impeditus: cauſa tardioris inceſſus videtur in teſticulum alterum conjicienda, qui prima nativitate abdominis interiori cavo incluſus foris excerni nequivit.*

Teſtem in inguine latentem deſcribit quoque Platerius *lib.* 1. *obſervat.*

Sed inter nuperrimos meminit hujus affectus Thomas Rhenesius *epiſtol.* 44. *in Neſtorem*, dicens: *De puero cum ſcroto vacuo errorem tuum nunquam poteris excuſare. Paralogiſmus eſt ex inſufficientia partium, ſpecierum, vel cauſarum natus: Puer non habet teſticulos: ergo eunuchus natus eſt. Intelliges enim nunc ex meis poſſe habere in abdomine latentes, uti alios habuiſſe loquuntur obſervatores; & aliquando generaturum, niſi*

aliud impediat. Et eum qui facultatem ſuo tempore generandi habet, ecqui eum eunuchum rectè appelles? Si quidem eunuchos aliquos naſci, ſcribit Sennertus, nihil pro ſe id facit; eo ipſò enim non negat, naſci ex eis qui non ſunt eunuchi, & hos ab illis debebas diſtinxiſſe.

Zachias *lib. 2. tit. 3. q. 7.* ait: *Alii ita naſcuntur, ut ſine teſtibus appareant, ſed lateant illis, & pubeſcentibus vel ex ſe, vel ex artis miniſterio in ſcrotum labantur.*

Hucherius *lib. 1. de ſterilitate, cap. de teſticulorum occultatione*, inquit: *Vitioſi ſitus, ſed tamen naturalis ſpecies quoque eſt teſticulorum intra ventrem, & peritonaum occultatio, unde foras in ſcrotum eum ſuis vaſis ſpermaticis per peritonai productionem emergunt, per ætatis, aut coitus vehementis auctam caliditatem. De qua teſtium eruptione Iphidis fabula ultima, lib. 9.* Superaddit: *Porrò hic teſtium ſitus per ſe quidem fœcunditati non officit, cùm teſtibus præter ſitum nihil deficit ad perfectam ſeminis generationem, non vaſa præparantia, & ejaculantia, ſed proba tantùm temperies, & valida facultas, quæ ob caloris infirmitatem illos foras extrudere non potuit. Quamobrem tentanda curatio eſt, non tam reductionis, quàm intemperiei temperandæ cauſa, ſicut expoſitum eſt in frigida teſticulorum intemperie.* Foreſtus confirmat hanc teſtium occultationem in viris *lib. 27. obſervat. 14 in ſcholio*, & nos ex dictis ſatis demonſtratam relinquimus; unde reſtat devenire ad id quod primò dubitandum propoſuimus, an occultatio teſticulorum in viris impediat potentiam generandi, & quod vita poſſit communicari in filios.

§. V.

Proponuntur partis affirmativæ tutelares.

Circa impotentiam ex occultatione teſticulorum ab arte, noſtris temporibus ſuſcitavit hoc dubium D. Antonius de Veraſtigui, Viſitator Diœceſis Segobienſis, qui acriter commotus in aliquos ſic caſtratos uxoratos conatus fuit illorum dirimere, & annullare matrimonia, in quem finem & conatum coadunavit plurium placita, qui affirmarunt hos reddi impotentes, quæque tranſmiſit Romam, & commiſſa fuere Interpretibus Sacri Concilii Tridentini, qui cognoſcentes quòd tota juris deciſio quoad validitatem matrimonii in iis caſtratis pendebat ex deciſione Medicorum circa deciſionem potentiæ ad generandum in illis poſſibilem, ad ipſos remiſerunt controverſiam. Pervenit tunc temporis contro-

A verſiæ notitia ad Archigymnaſium Valliſoletanum, in quo Collegium Medicum approbavit deciſionem contentam *in tom. 1. noſtrarum Reſolut.* juxta quam Illuſtriſſimi Magiſtri Theologi, & doctiſſimi Doctores utriuſque Juris, & Cathedrarum Rectores, juxta Medicorum decretum approbantium potentiam ad generandum in iis caſtratis, approbarunt validitatem matrimonii illorum. Quibus viſis R. P. Diana *tom. 12. in 4. Miſcellan.* Reſolutionis noſtræ Univerſitatis deciſionem confirmavit.

B Sed in poſterum inter nupertimos R. P. Mag. Fr. Franciſcus Duval *tom. 1. Operum Moral. in fine*, conatus eſt ſuadere, quod ex occultatione teſticulorum ab arte fiunt viri omninò impotentes ad generandum, & ad prolificum producendum ſemen; ſimulque & inepti ad contrahendum matrimonium ſecundùm conſtitutionem Sixti V. fulcitus iis fundamentis.

Primò ex cumulo plurium Profeſſorum Medicinæ, & Theologiæ; inquit enim, quod ſic tenet Doctor Pardo, aſſerens ſic C docuiſſe & approbaſſe Doctorem Petrum Barboſa, Regis Archiatrum, in cenſura quam Protomedicatus dedit ſuper hanc dubitationem, cui ſubſcripſerunt Doctor Morales de Prado, & Joannes Garzo, etiam Archiatri: & hanc cenſuram, ut aſſerit, approbavit Dominus Marinero Epiſcopus Valliſoletanus, vir doctiſſimus, & aliquot Complutenſes Doctores, tam Theologi quàm Juriſconſulti, quorum cenſuram ſuper hoc dubio tenet vidiſſe miſſam prælo à Doctore Pardo: & conſtat ejuſdem ſen- D tentiæ fuiſſe D. Antonium Veraſtigui, cui etiam ſubſcripſerunt Reverendiſſimi Magiſtri ſacræ Theologiæ Profeſſores in celeberrima Salmanticenſi Academia, nimirum F. Gaſpar de los Reyes, Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede Primarius Theologus Profeſſor: F. Hiacynthus de Aragon, Ordinis Prædicatorum etiam Primarius Theologiæ Profeſſor: F. Gaſpar de Oviedo, Ordinis ſancti Auguſtini: F. Joſeph Romero, Ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis: F. Didacus Lopez, Ordinis Carmelitarum, E Decanus Univerſitatis: & ex tantorum tutela videtur huic Authori conſequutum fuiſſe integrum patrocinium pro ſuo dictamine.

Probat ſecundò ex fundamento ſuorum Medicorum. Quilibet morbus ſenſibilis lædit ſenſibiliter operationes viventis: ſed in taliter læſis datur morbus ſenſibilis lædens partes generationi ſeminis prolifici dicatas; datur namque morbus in ſitu, & mala earum partium organicarum con-

formatione; ſiquidem in talibus teſticuli ſunt extra ſuum ſitum naturalem, ſcilicet extra ſcrotum; & præterea vaſa ſeminalia, quæ per inguina ad ſcrotum propendebant, ſunt jam ſurſum retracta, & implicita, quorum ſola corrugatione, & conſtrictione, quamquam teſticuli in ſtatu naturaliſſimo, ac perfectiſſimo eſſent, generatio impediretur, ex Ariſtotele *lib. 1. de generat. cap. 4.* Ergo pro ratione prædictorum affectuum non poteſt non lædi ſenſibiliter actio ſeminis prolifici generativa, quæ eſt illarum partium propria, propriam, & naturalem requirens figuram, ſitum, & conformationem, ſicut & reliquarum partium organicarum actiones.

Probat tertiò: In tali curatione, dum inguen aperitur, teſticulus extrahitur, erythroïde tunica denudatur, & abluitur, & iterum ad intra reconditur, amittitur nativa harum partium temperies, quæ neceſſaria eſt pro earum operatione: ergo taliter curati non manent apti, ut poſſint generare.

Reſpondet ex dictis à nobis in cenſura quam dedimus pro Collegio Medico Valliſoletano, quæ extat *tom. 1. part. 6. conſult. 1.* quod hæc nudatio teſticuli à tunica erythroïde eſt fictitia, à Veraſtigui introducta pro ſua opinione; nam ſi teſticulus ſolùm retrahitur ſurſum, ne impediat ligari partem dilatatam proceſſus peritonæi, fruſtra ſuperadditur denudatio tunicæ in teſte.

Sed contrà inſurgit ſuperaddens, quod Doctor Pardo probat, quod eſt impoſſibile, quod non admittatur talis tunicæ denudatio, taliſque manualis operatio.

§. VI.

Firmatur potentia ad generandum in occultatione teſticulorum ab Arte.

RESolvendum primò, quod ab occultatione teſticulorum in viris ab arte facta non ſupervenit in illis impotentia ad generandum, ut non poſſint propagare vitam in filios. Sic ſancivimus *in Cenſura pro Collegio Medico Valliſoletano, & tom. 1. part. 6. conſult. 1.* & docent hanc doctrinam primò Illuſtriſſimum Valliſoletanum Archigymnaſium, cui ſubſcribit R. P. Diana *tom. 12. tract. 3. reſolut. 4.* & ante ipſum citati ab ipſo, & à P. Duval, Pontius *lib. 7. de matrimonio, cap. 68.* Leander *de Sacramentis tom. 2. tract. 9. diſput. 21. q. 16.* Vercicelli *de Apoſt. miſſione, tract. 14. quæſt. 143. ſect. 7. num. 70.*

Probatur primò à nobis. Ab actu ad potentiam eſt evidens conſequentia: ſed conſtat evidenter, quod plures curati ab Herniſtis per occultationem teſticulorum intra inguina, uxorati genuerunt filios: ergo manifeſtè convincitur, quod ſic curati permanent cum potentia ad generandum. Probavimus minorem ex teſtimoniis quæ ad nos pervenerunt, tum ex oppido de Torrelobaton per quinque leucas diſtante à Valliſoletana civitate, in quo Ildephonſus de las Amadas ſic curatus evaſit in omnibus actionibus externis virilis, emiſit barbam & pilos in aliis partibus, prævaluit in viribus robuſtis, tractu temporis contracto matrimonio, ex uxore filium recepit, & iterum gravida apparuit uxor. Tum in oppido de Triaſueque Joannes, & Antonius de Atienza fratres modo dicto curati uxorati receperunt filios. Tum in oppido de Briguega idem contigit Ildephonſo Ruiz. Tum quia P. Duval refert quod Leander *de Sacramentis tom. 2. tract. 9. diſp. 21. quæſt. 16.* teſtatur ſe audiſſe à teſte oculato, idem contigiſſe in diœceſi Tolerana cuidam viro prædicto modo curato, & cognoviſſe ipſius filios valde pulchros, & cum eis pluries loquutum fuiſſe: ergo ex eventu conſtat, quod ſic curati manent apti ad generandos filios.

Convicti contrarium opinantes, & præcipuè Veraſtigui ab hoc eventu, non veretur nuda fronte reſpondere, quod ſi qui ex caſtratis uxoratis viſi ſunt habuiſſe filios, ii non ab ipſis, ſed ab aliis ſunt generati in ſic caſtratorum uxoribus.

Sed nos cùm videremus hanc evaſionem eſſe impiam, tot honeſtarum mulierum, quæ ut tales reputabantur in propriis locis, tot maritorum ſub debito honore inter ſuos habitantium, tot filiorum in tutela ſuorum patrum degentium infamatoriam Eminentiſſimis Dominis Cardinalibus, piiſque aliis Viris cenſurandam commiſimus. Primus, quem vidimus eam cenſurare, fuit ille ſummus vir omnigenæ literaturæ Magiſter R. P. Diana, qui ſua ſumma pietate ornatus, *tom. 12. in ſuis Miſcellaneis Reſolutionibus*, hoc præſtat judicium: *Dicere autem fuiſſe filios ſpurios, hoc eſt rejiciendum tanquam dictum injurioſum non ſolùm filiis, ſed etiam honeſtis parentibus.* R. Pater Duval, licèt contrariam tueatur opinionem, reprobat Veraſtigui evaſionem, dicens: *Hæc ſolutio eſt nimis odioſa, utpote lædens famam illorum hominum, eorum uxorum, ac ipſorum filiorum.*

Sed Pater Duval cupiens vitare Carybdim, incidit in Scyllam, dicitque quod alio

modo, & meliùs reſpondendum cum Doctore Pardo, quod ſi aliquando hujuſmodi ſpadones conjugati, vel non conjugati fuerint reperti filios habere, tunc in illis non fuit rectè adminiſtrata curatio, pro cujus recta, ac perfecta adminiſtratione requiritur, quod teſtes ita ad intra recluſi permaneant, ut neutiquam viſu, vel tactu percipi poſſint; nam ſi percipiantur, quantumvis in ſcroto non ſint, tunc non fuit perfectè adminiſtrata curatio, & ſic curati remanebunt apti ad generandos filios.

Sed incautè P. Duval acquieſcit huic ſolutioni. Tum quia quæſtio procedit de illis hominibus, in quibus ab herniſtis relinquuntur teſticuli incluſi intra inguina, qui ſi extra remaneant, & percipiantur viſu, aut tactu, tunc non reſpondet propoſitæ difficultati. Tum quia falsò ſupponit alium locum, in quo poſſint eſſe teſtes, præter inguina, & ſcrotum, quia inter illa ſolùm reſtat via, ſive proceſſus peritonæi, per quem deſcendunt, intra quem non poſſunt permanere, cùm ſolùm ſit via declivis tranſitus. Tum quia herniſtæ ideo transferunt teſticulos ab ſcroto ad inguina, ne per ſua vaſa impediant, quominus proceſſus peritonæi, per quem deſcendunt, poſſit ab artifice coarctari, & uniri per ligaturam, ne inteſtina deſcendant per illam viam ad ſcrotum. Ergo tota curatio ſtat in repoſitione teſticulorum intra inguina, nec poſt illam poſſunt permanere, niſi recluſi intra illa, & omninò per ligaturam impediti, quominus nec ſurſum, nec deorſum valeant prorumpere. Tum quia ideo Authores hanc recluſionem teſticulorum intra inguina vocant occultationem eorum, quia viſui, & tactui occultantur: ergo non poſſunt extra apparere in ſic curatis. Tum quia ſi teſtes poſſent viſu percipi, ideo eſſet, quia permaneret ſolutio continuitatis in parte continente illos, & per illam ex aëris ingreſſu intemperarentur frigidi facti, & conſequenter redderentur inepti ad generandum: Ergo fruſtra fingitur talis teſticulorum poſitio in illis qui filios procreant.

Probatur ſecundò à poſteriori ex ſignis à nobis traditis *tom. 1. part. 6. conſult. 1.* ex Zacuto *tom. 1. lib. 3. hiſt. P. M. hiſtoria 26.* qui referens ſigna eunuchorum, inquit: *Quid commemorem indicibilem mutationem ex caſtratura? Nam ſive auferantur teſtes, ſive rumpantur, ſive intorqueantur ſeminalia vaſa teſtes ingredientia, pili non ampliùs naſcuntur, ſive in mentho, aliave corporis* A *parte; carnes emolleſcunt, labuntur vires, animoſitas ceſſat, ſegnes, & timidi redduntur, vox acuta fit, caro ſuavis pro odoroſa, pingueſcunt, frigida fiunt, & humida corpora, denique tota in fœmineam naturam tranſmutantur.* Sed omnia hæc ſigna deficiunt in ſic caſtratis, ſeu curatis; nulla enim illis inſunt ſigna ex quibus cognoſcantur curati, ſicut apparent in eunuchis. Nam in ſic curatis ſunt pili in barba, ac in reliquis partibus corporis, & omnia ſimilia apparent in illis ſigna quæ virilitatem demon- B ſtrant in reliquis viris, itaut ex nullo exteriori ſigno poſſint judicari à reliquis diſtincti: ergo judicandi ſunt apti ſicut reliqui ad generandum.

Reſpondet Duval, quod licèt appareant pili, barba, & reliqua exteriora ſigna, deperditur tamen in illis virilitas, & animoſitas, & alia ſigna virorum ſanorum; & quod licèt omnia hæc ſigna reperiantur, non arguitur in illis potentia generandi: nam in aliis eunuchis, abſciſſis teſtibus, quamvis non habeant barbam, C habent ſigna virorum perfectorum, & illis ineſt proclivitas ad coïtum.

Sed ſibi contrariatur in reſponſione. Nam denegat in iis habentibus teſticulos, à quibus provenit virilitas, ipſam virilitatem, & admittit quod illam habeant qui ſunt ſine teſticulis; quod manifeſtè contrariatur rationi, & Galeni doctrinæ, qui ut diximus, *lib. de ſemine, cap. 16.* duplicem principalitatem ponit in teſtibus; alteram in ordine ad ſpeciem conſervandam, quatenus generant ſemen; alteram reſpectu D ſui individui, quatenus communicant illi quandam qualitatem quæ in fœminis tribuit fœmineitatis habitum, in viris virilitatem. Quod confirmant Nancelius, Laurentius, & reliqui Anatomici. Ergo paradoxa eſt Duvalii reſponſio tribuens virilitatem viris teſticulis privatis, & denegans illam viris teſtes habentibus.

Probatur tertiò. Si quid obſtaret potentiæ horum caſtratorum, maximè conficta à Veraſtigui, & aliis curatio per erythroïdis tunicæ denudationem: ſed adhuc E ſi eſſet neceſſaria, non ſubſequeretur impotentia in ſic curatis, ut demonſtravimus *tom. 1. conſult. 1. §. 8.* quæ ibidem latiùs videri poterunt: ergo non ſufficit adhuc hæc ficta curatio, ut contrarii probent intentum.

Probatur quartò. Facta teſticulorum occultatione ab herniſtis, modo quo illam exercent, nullus supervenit morbus in teſticulis, nec in vaſis illis deſervientibus, à quo fiant impotentes ſic curati. Ergo ju-

dicandi

dicandi ſunt apti ad generandum, ſicut A ſi permanerent teſticuli intra ſcrotum. Probatur antecedens. Tum quia, ut nuper diximus, curatio perficitur mutando teſticulos, & vaſa deſervientia illis ab ſcroto in inguina, nullâ factâ ſolutione continui, nec lotione in iis partibus, & poſtea comprimendo per ligaturam proceſſum peritonæi, per quem aſcenderunt omnes illæ partes, quæ erant intra ſcrotum; & curando poſtea ulcus inflictum in parte externa, ita ut ſolo mutato ſitu, partes generationi dicatæ ſine alia læſione permaneant B intra inguina, ſicut in occultatione teſtium à natura. Ergo manent omnes illæ partes aptæ ad præſtandum quod illis eſt deſtinatum à natura pro generatione perficienda, ſicut manerent ſi eſſent intra ſcrotum.

Tum quia licèt ſcrotum ſit naturaliſſimus ſitus pro teſticulis virorum, & partium illis deſervientium, adhuc tamen inguina ſunt partes aliquo modo deſtinatæ à natura, ut in aliquibus contineant teſticulos, & partes deſervientes illis, ut C ſupra demonſtravimus ex variis Authoribus, agentes de occultatione teſticulorum, quæ fit à natura impotente ad illos trudendos in ſcrotum. Ergo retractio teſticulorum ab arte facta non eſt mutatio in locum præternaturalem, ſed ſuo modo à natura deſtinatum.

Tum quia teſticuli intra inguina ſuum conſervant nativum calorem, & aptiùs fovetur ille in illis, quàm in ſcroto, quia à carne continente magis defenditur, quàm à tunicis ſcroti. D Ergo adhuc mutato ſitu perfectius ſemen ac magis prolificum valent teſtes generare. Tum quia ex illa occultatione, & vaſorum deſervientium coarctatione non impeditur, nec læditur vaſorum deſervientium actio: nam venæ attrahunt ſanguinem requiſitum pro teſtium nutritione, & augmento, ut cognoſcitur in infantibus ſic caſtratis, in quibus teſtes nutriuntur, & augentur intra inguina; & in illis qui à natura manent occultati: & cùm ab eodem ſanguine generetur ſemen, habent materiam ex qua illud E valeant generare.

Tum quia teſtium retractio nec vaſorum ejaculantium impedit actionem ſemen emittentem; nam per illa vaſa tranſmittitur ſemen ab epidydimo paulatim in poſtrata, ſeu glandulas, quæ ſunt in parte externa veſicæ, in quibus reſervatur, ut in coïtu recto tramite propellatur. Ergo illa coarctatio non impedit emiſſionem ſeminis in coïtu.

Tum quia in partibus quæ ſunt rugoſæ, & membranoſæ datur latitudo, in qua non officit coarctatio, aut extenſio. Patet in ipſo ſcroto, & in vaſis contentis in illo, quæ ſæpe corrugantur, ſæpe extenduntur, & prolongantur ſine aliqua læſione ad ſuas actiones: patet etiam in veſica, quæ pro continenda urina, ſicut & uterus pro continendo fœtu coarctantur, aut extenduntur ſine læſione in ſuis operationibus. Sic & reliquæ nervoſæ partes. Ergo licèt vaſa teſtibus deſervientia coarctentur, non deficiunt à ſuo naturali tenore.

Probatur quintò. Occultatio teſticulorum intra inguina non ſolùm fit ab arte, ſed à natura, ut probavimus. Sed quæ à natura fit, non reddit homines impotentes, ut infra probabimus. Ergo nec quæ fit ab arte, cùm ſimili modo maneant in utraque teſtes, & partes illis deſervientes recluſæ.

Probatur ſextò. Viri qui impotentes fiunt ob teſtium defectum, eunuchi vocantur, ſeu ſpadones, ut tenent Ulpianus, & Alciatus *ff. de verbor. ſignificat.* qui quia impotentes fiunt ab arte, excluduntur per Motum Sixti V. à contrahendo matrimonio, & ii quadruplici modo fiunt eunuchi: vel per ſciſſionem penis, teſtium & ſcroti, qualiter apud Turcas eſt uſitatum: vel per abſciſſionem, & avulſionem teſtium, qualiter ſolet fieri ab aliquibus herniſtis extrahentibus teſtes ad herniarum curationem: vel per attritionem teſticulorum in infantibus, atterendo cum digitis teſticulorum ſubſtantiam: vel per contorſionem vaſorum, qualiter tauri, & equi ſolent caſtrari. Sed in occultatione teſticulorum nullo ex iis modis impeditur quominus teſtes ſuam conſervent debitam conformationem, vel partes deſervientes illis. Ergo ſic curati non ſunt eunuchi, nec ſpadones, quibus auferatur potentia generandi.

Dices, quod adhuc ſi teſtes, & vaſa deſervientia illis ſint in inguinibus quaſi in loco ſibi commodo, in quo valent permanere, nutriri, augeri, & conſervari, ſemenque generare; tamen ob tortuoſas vias nequeunt illud recto tramite emittere, ut tranſmittatur in uterum.

Contra ſtat, quod ſemen in uterum non tranſmittitur immediatè à teſtibus, ſed ab illis paulatinè, ſicut generatur, fertur per vaſa ſeminaria, ſpermatica dicta, ſive ſint extenſa, ſive contracta: quod illis etiam accidit dum ſunt intra ſcrotum, tranſmittiturque ad poſtrata in parte externa, & poſteriori veſicæ, ubi reſervatur,

donec

donec ab illis emittatur in coïtu; ad quod nihil obſtat vaſorum deferentium contractio, aut extenſio.

Probatur ultimò hæc concluſio authoritate, & firmiſſimis rationibus adductis à R. P. M. Diana *tom.* 12. *jam citato*, quæ latiùs ab illo proſequuntur.

§. VII.

Non denegatur viris potentia generandi ob occultationem teſticulorum à natura.

REſolvendum ſecundò, quod occultatio teſticulorum à natura facta in viris non aufert potentiam generandi.

Probatur ex variis Authoribus. Tum quia Rheneſius id affirmat *epiſtola* 44. §. *Intelliges enim nunc ex meis, poſſe habere in abdomine latentes (ſcilicet teſtes) uti alios habuiſſe loquuntur Obſervatores, & aliquando generaturos, niſi aliud impediat, quia facultatem ſuo tempore generandi habent.* Hucherius *lib.* 1. *de ſterilitate, cap. de teſticulorum occultatione*, inquit: *Porrò hic teſtium ſitus per ſe quidem fœcunditati non officit, cùm teſtibus præter ſitum nihil deficiat ad perfectam ſeminis generationem, ſed proba tantùm temperies, & valida facultas, quæ ob caloris infirmitatem illos foras extrudere non potuit.*

Probatur ſecundò. Occultatio teſticulorum ab arte facta, quantumvis teſticuli nequeant deſcendere in ſcrotum, & quamvis ligaturâ in inguina reprimantur, & quamvis vi retracti ſint à proprio ſcroti loco, in quo priùs fuerant; tamen non impedit, quo minus viri ſic aſtrati habeant potentiam ad generandum, ut nuper manet comprobatum: ergo multò minùs impediet occultatio facta à natura.

Dices, quod Galenus ponit inter cauſas ſterilitatis in viris frigidam intemperiem teſticulorum; & Juris Profeſſores vocant impotentes maleficiatos, & frigidos; & Zacutus *lib.* 3. *tit.* 1. frigidos impotentes vocat juxta varios gradus frigiditatis: & cùm occultatio teſticulorum in viris à natura proveniat à frigiditate impediente illorum emiſſionem, ut patet ex nuper citatis Authoribus, conſequenter videtur tenendum, quod in hac occultatione præter vitium in ſitu, eſt vitium in intemperie impediente ſeminis prolifici generationem, & aptitudinem ad generandum.

Sed contrà ſtat. Tum quia ut tenet Zacutus *loco citato, quæſt.* 5. frigidi dicuntur, qui in ætate habili ad venerem exercendam, omnino ad eam ſunt inepti: occultatio autem teſticulorum à natura provenit in prima adoleſcentia, in qua homines regulariter non ſunt apti ad generandum: in adoleſcentia autem, ut conſtat ex antecedenter dictis, ceſſat occultatio, & natura, vigente calore, teſticulos trudit ab inguinibus ad ſcrotum. Tum quia licèt in iis viris ſit in nativitate remiſſa caliditas, ipſa in adoleſcentia fit intenſior, & tunc actiones fiunt cum virilitate, & barba prorumpit, ut docet Nancelius ex Galeno *lib.* 8. *cap.* 6. Tuncque ex vigorato calore viri incipiunt hircire, ſanguis in viris è naribus erumpit, pili, & ſemen erumpunt in locis genitalibus, teſtes ſubitò augentur, quemadmodum in puellis virginibus mammæ exuberant, menſtrua incipiunt, provenit vocis mutatio, & ex liquore acuto teſticuli ſentiunt pruritum, & ardorem, unde provenit & generandi voluntas novâ acquiſitâ virilitate: ergo quantumvis occultatio teſtium à natura in principio fiat ob remiſſum calorem, ſicut & impotentia ad generandum, & coëundum, adaucto calore neutrum ex iis impedietur.

Probatur tertiò ex Hucherio citato. Occultatio teſticulorum à natura in viris fœcunditati non officit, quia ſolùm deficit illis ſitus: ſed adhuc nec ex hoc provenit impotentia. Ergo ab hac occultatione non provenit impotentia. Probatur minor. Tum quia, ut obſervavimus, in tranſitu ad adoleſcentiam mutatur talis ſitus, & pleriſque deſcendunt teſticuli ad ſcrotum. Tum quia latitudo ſitus teſticulorum in viris eſt ab inguinibus ad ſcrotum; & ideo, licèt rarò, permanent in prima parte ſuæ latitudinis. Tum quia ſicut intra ſcrotum nec vaſa, nec teſtes unum ſervant tenorem, nec unum determinatum ſitum, ſed corrugato ſcroto, vaſa & teſtes manent compreſſa versùs inguina, & ipſo laxato, eadem vaſa extenduntur, & teſtes deorſum moventur, ſine eo quod viri fiant impotentes ad generandum: ergo ſimili modo cùm inguina ſint etiam ſuo modo locus teſticulorum, licèt vaſa ſint in illis coarctata, & teſtes contenti, non redduntur viri impotentes.

Probatur quartò. Adhuc ſi in occultatione teſticulorum à natura in viris teſtes non deſcendant ad ſcrotum, manent cum omnibus requiſitis ad generandum: ergo non ſobſequitur ex hac occultatione illorum impotentia ad generandum. Probatur antecedens: Tum quia manent in loco apto, cùm ſint in prima parte proprii ſitus, qui ab inguinibus per proceſſum

peritonæi

peritonæi extenditur in profundum ſeroti. Tum quia ille locus eſt capax pro illorum magnitudine, cùm appareant in illo contineri ſine dolore, nec moleſtia, ex poſitis obſervationibus. Tum quia manent teſtes in loco interiori, & aptiori pro conſervando debito calore, per quem perficitur ſemen. Tum quia intra illum locum venæ, & arteriæ teſtibus deſervientes præſtant neceſſarium ſanguinem, & ſpiritus pro ſuis actionibus, ut manifeſtat naturalis conſervatio illorum in prædicto loco. Tum quia ſemen ab illis genitum propinquius eſt ut feratur in poſtrata, in quibus reſervatur, donec mittatur in uterum pro prolis generatione. Tum quia teſtes ab arte retracti ad inguina ſunt apti pro generatione: ergo ſimiliter à natura ibidem retenti.

§. VIII.

Solvuntur fundamenta R. P. Duval.

Ad primum reſpondetur, quod ſacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Interpretum Concilii Tridentini, cùm ad illam detuliſſet Veraſtigui omnium horum, qui citantur, placita quæ ſollicitaverat, & Medici non probaſſent impotentiam in viris ſic curatis, nec Theologi, aut Juriſtæ poſſent ſine tali comprobatione ſententiam proferre de annullatione matrimoniorum virorum ſic caſtratorum, contemnens ſacra Congregatio horum omnium placita: Reſpondit, quod cùm tota Juris deciſio pendeat ex deciſione Medicorum, hæc dubitatio iterum revertatur ad Medicos: & cùm nunc pervenerit ad collegium Valliſoletanum Medicorum, & ab illis eſſet deciſum, quod ſic curati manebant apti ad generandum, tunc cœpit validari, quod poſſent contrahere matrimonium, & deinceps à Theologis, & Juriſtis prædictæ Univerſitatis, & à R. P. Diana fuit confirmatum, quod ſic caſtrati erant potentes ad generandum, & quod matrimonium contractum ab illis erat validum, quod jam receptum fruſtra ſoſcitare contendit Pater Duval ex citatis Scriptoribus, quos ſacra Congregatio rejecerat.

R. P. M. Diana reſpondet loco nuper citato, quod adhuc ſi ab iis Scriptoribus poſſet ſubſequi aliqua opinio, non eſt ſufficiens, ut annulletur matrimonium in hac occultatione teſticulorum facta ab arte, ob rationes à ſe propoſitas. Tandemque negat, probabilem poſſe fieri opinionem ab illis tentatam, cùm conſtet evidenter, hos homines filios generaſſe: ex quo patet evidenter, manere cum potentia ad generandum.

D. Gaſp. Bravo Tract. Miſcell.

Ad ſecundum reſpondetur, quod ut jam probavimus, ex occultatione teſticulorum ab Herniſtis intra inguina nullus ſequitur morbus lædens operationes requiſitas in viris ad generandum. Nam remanent teſtes in ſua naturali conformatione, ſervant ſuam naturalem temperiem, mediâ quâ generant ſemen prolificum, & recipiunt ſanguinem, & ſpiritus per vaſa deferentia: quod conſtat, cùm ex illo nutriantur, & augeantur perfectè, & per vaſa ſpermatica fertur ſemen jam genitum in poſtrata, in quibus permanet pro ſui expulſione in coïtu. Nec illa compreſſio vaſorum acquirit morbum, cùm ex ſua natura habeant, quod poſſint contrahi, & extendi ſine aliqua læſione, quam etiam conſervant adhuc intra ſerotum, in quo contrahuntur, aut prolongantur, juxta ſeroti corrugationem, aut extenſionem. Ex quibus patet, quàm falſum ſit Medicorum ſuppoſitum, ex quo hallucinatur Pater Duval.

Ad tertium reſpondetur, quod curatio recepta à P. Duval, quæ ut probavimus, adhuc non obſtaret, fuit conficta à Veraſtigui, ut ſuam confirmaret opinionem. Sed ſine denudatione tunicæ erythroidis, integris manentibus teſticulis, & ſic ſanis retractis ad inguina, perficitur curatio ab Herniſtis. Sic fatentur illi, qui eam exercent: ſic docuit Laurentius primus inventor hujus curationis. Nec etiam admittunt læſionem partium deſervientium teſticulis; his enim omnibus in inguina intromiſſis, & cicatrice curata, quæ ad id requiritur, ſimul & proceſſu peritonæi coarctato, ſine permanente læſione ſic curati jam perſiſtunt.

SECTIO SECUNDA.

De Morte.

MORS dicitur unicuique rei ſui eſſe terminus. Sic morte largo modo ſumpta, pereunt accidentia, ſive defectu ſubjecti, ſive defectu cauſæ conſervantis, ſive corruptione à ſuo contrario. Sic finiri dicuntur non viventia carie, aut putredine. Propriè morte finiuntur viventia; ex Ariſtotele enim accidit illis mors naturalis, conſumpto humido radicali, & calore innato reſoluto: vel ante interitus naturalis terminum mors violenta accidit à

variis cauſis corrumpentibus naturalem A conſtitutionem, quæ completur ex debita partium compoſitione, temperie & unione. Utriuſque interitus proponemus varias cauſas.

Resolvtio I.

Quid ſit Mors.

§. I.

Varia mortem ſignificantia referuntur. B

MOrs eſt vitæ terminus: hunc veteres delinearunt variis hieroglyphicis, ſimilitudinibus, & deſcriptionibus. Pierius contendit mortem explicare per frameam, per gladium, per filamenta, ſeu filamina, per capricornum, per teſtitudioem, per pilorum abſciſſionem, per noctuam, per noctem, per cupreſſum, & per alia hujuſmodi. Alii per ſimilitudines explicant quid ſit mors? Dicitur enim gelida ſomni imago, omnium rerum extremum, C trapſitus terribilium, finis hominis, diſceſſus aoimæ à corpore, ultimum terribilium, ultima linea rerum, tranſitus peregrinorum ad patriam, portus malorum, animæ ac corporis diſſolutio, requies ærumnarum, inhabilitas, & corruptio inſtrumentorum vitæ.

Poëtæ variis nominibus illam deſcribunt.

Horativs.

Pallida mors æquo pulſat pede
Pauperum tabernas, Regumque turres.

Boetivs.

Heu, heu quàm ſurda miſeros avertitur aure,
Et flentes oculos claudere ſæva negat.

Clavdianvs.

Sub tua purpurei veniunt veſtigia Reges,
Depoſito luxu, turbâ cum paupere mixti.
Omnia mors æquat.

Alter.

Ut metit maturas in campis meſſor ariſtas,
Omnia vulnifica falce cruenta ſecat:
id eſt Mors.

§. II.

Traditur mortis in communi definitio.

REſolvendum quod mors eſt vitæ privatio, ſeu terminus in quem pervenit vita.

§. III.

Proponitur definitio mortis corporea hominis.

REſolvendum ſecundò, quod mors corporea hominis eſt ſeparatio animæ rationalis à ſuo corpore ob ſupervenienrem in illo malam conformationem, præternaturalem intemperiem, aut continui ſolutionem. Sic Galenus *lib. de morborum differentiis*, & ſparſim per omnia ſua opera.

Resolutio II.

Quot ſint mortis differentiæ.

§. I.

Proponitur generica mortis diviſio.

REſolvendum primò, quod mors genericè ſumpta alia eſt mors vegetabilium, alia eſt mors ſenſitivorum, alia eſt mors rationalium.

C Patet: nam mors eſt terminus vitæ: ſed triplex eſt genus viventium, vegetabilium, ſenſitivorum, & rationalium: ergo triplex genere poteſt eſſe eorum mors.

§. II.

Homini duplex poteſt ſupervenire mors.

REſolvendum ſecundò, quod duplex mors poteſt accidere in homine: mors animæ, & mors corporis. Mortem corpo-
D ris nuper definivimus, & de illa nihil agendum reſtat: mors animæ reſtat probanda.

Probatur de morte animæ Tum ex ſacra Pagina, ubi inquit Deus in Geneſi Adamo: *Quocumque die comederis fructum de arbore vitæ, morte morieris.* Ubi de utraque morte intelligunt Expoſitores. Tum Ioannes 2. *Apocalypſ.* inquit: *Qui vicerit, non lædetur à morte ſecunda*; id eſt, à morte animæ: *& cap.* 21. ſic: *Timidis, & incredulis, & exſecratis, & homicidis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illo-*
E *rum erit in ſtagno igne ardente, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda*; id eſt, mors animæ. Tum inquit Lactantius *lib.* 7. *cap.* 10. *Qui ſe vitiis, & ſceleribus contaminaverit, æternam luet pœnam, quam divina litera ſecundam mortem nominant*; id eſt, mortem animæ. Tum D. Auguſtinus inquit, quod licèt anima rationalis in duratione dicatur immortalis, tamen mortalis dicitur, dum Deus deſerit illam. Tum idem confirmat

firmat dicens, quod mors animæ eſt, quâ anima mori dicitur, dum peccat, atque ita Deum deſerit: ſicut enim corpus vivit ex anima, ita anima, ut beata vivat, vivit ex Deo.

A

§. III.

Corporea mortes duæ poſſunt ſupervenire.

Reſolvendum tertiò, quod humani corporis mors duplex poteſt eſſe, aut mors violenta, aut mors naturalis. Sic protulimus *tom.* 1. *reſol. Medic.* & eſt communis hæc doctrina apud Medicos.

B

Probatur: Mors dicitur violenta, quæ violenter inducitur à cauſis ultra ordinem naturæ in hunc finem occurrentibus. Mors naturalis homini dicitur, quæ provenit inevitabiliter à cauſis ex præſcripto rerum ordine deſtinatis in interitum naturalem. Docuit Ariſtoteles *lib. de vita, & morte, lib. de juventute, & lib.* 1. *Moral.* & eſt communis etiam hæc doctrina apud omnes Medicos, de qua nos etiam *tom.* 2. *Reſolut. Medic.*

C

§. IV.

Mortis violentæ ſuperadduntur aliæ differentiæ.

Reſolvendum quartò, quod mors violenta, alia eſt repentina, alia eſt non repentina.

Patet, nam mors repentina eſt quæ ex inopinato eventu ſæpius repentè accidit. Mors non repentina vocatur, quæ ex manifeſta, & opinata cauſa non ita ſubitò contingit.

D

§. V.

Superadditur repentinæ mortis diviſio ex modo quo fit.

Reſolvendum quintò, quod mors repentina alia eſt manifeſta, alia eſt occulta, & improviſa.

Patet differentia ex eo, quod mors repentina manifeſta à manifeſtis fit cauſis, mediis manifeſtis morbis operantibus, ut per vulnera, ignis uſtionem, ſummam frigiditatem à violenta cauſa inductam, aut per adhibitas alias manifeſtas lethales cauſas. Mors autem violenta repentina occulta, non tam provenit à manifeſto morbi occurſu, quàm ex vitalis caloris extinctione occulta in corde & aliis partibus: qui peculiaris modus mortis peculiarem petit Medici ſpeculationem, quam nos ſeorſim proſequemur in ſubſequentibus ſectionibus.

E

§. VI.

Proponuntur diverſi gradus mortis repentinæ occultæ propriè ſumptæ.

Reſolvendum ultimò, quod mors repentina occulta habet tres gradus, quos diſtinguunt Medici penes magis, & minus: & illa eſt præceps virium lapſus, corde patiente. Primus gradus vocatur lipothymia, ſecundus vocatur ſyncope, tertius mors repentina occulta. Lipothymia, & ſyncope ſunt repentinus caſus actionis vitalis cordis, cum conſequutione repentini caſus actionis ſenſitivæ, & motivæ, ob frigidam affectionem vitalis caloris cordis. In iis gradus inferior læſionis eſt in lipothymia proxima ad mortem: in ſyncope ultimus in ſubſequuta ex illis morte.

Resolutio III.

Utrum omnis mors ſit neceſſaria unicuique hominum.

§. I.

Ponitur neceſſitas mortis animæ per peccatum originale.

Reſolvendum primò, quod mors ſuperveniens animæ rationali per peccatum originale, omni homini eſt neceſſaria, niſi divino præſervetur auxilio.

Probatur ex D. Paulo ad Romanos: *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum hunc, & per peccatum mors, ita & in omnes homines mors pertranſit, in quo omnes peccaverunt.* Tum patet: nam Deus Adamo dixit prohibens comedere de fructu arboris vitæ: *Quocumque tempore comederis ex eo, morte morieris.* Ubi intelligunt Expoſitores mortem etiam vitæ animæ in Adamo & ſucceſſoribus. Tum Job *cap.* 18. mortem vocat filiam peccati, quaſi utraque mors, animæ & corporis, ab Adami peccato proveniat.

§. II.

Qualiter ſuperveniat animæ mors per peccatum actuale.

Reſolvendum ſecundò, quod mors ſuperveniens animæ rationali per peccatum actuale, non eſt omni homini neceſſaria.

Probatur: Nam homo operatur per liberum arbitrium, per quod datur illi, quod

quod porrigat manum ad bonum, aut ad malum, eligatque actionem peccaminoſam, aut meritoriam: ergo mors animæ ob peccatum actuale nulli homini eſt neceſſaria.

§. III.

Mors corporis à cauſa violenta non eſt neceſſaria omni homini.

Reſolvendum tertiò, quod mors corporis à cauſa violenta non eſt omnibus neceſſaria, licèt ſit communiſſima.

Probatur. Tum ex Patriarchis, & aliis antiquioribus, quibus dedit Deus permanere uſque ad interitum naturalem, quod in omni ævo contingit aliquibus. Tum Galenus *lib. de ſanitate tuenda*, & alii docent modum conſervandi vitam uſque ad naturalem interitum.

§. IV.

Mortis naturalis corporea qualis neceſſitas.

Reſolvendum quartò, quod mors corporea naturalis eſt iis neceſſaria, quibus ante illius terminum non ſupervenerit mors violenta.

Probatur. Tum quia ex D. Paulo ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori: ergo quibus non accidit mors violenta, eſt neceſſaria mors naturalis. Tum idem demonſtrat experientia. Tum docet Hippocrates, quod calor qui nos vivificat, nos occidit, quod fit reſolutione humidi innati, nos deducendo in mortem naturalem. Tum convincitur ex neceſſariis cauſis mortis naturalis, de quibus alibi agendum.

RESOLVTIO IV.

Utrum poſſit aſſignari numerus cauſarum mortis violentæ manifeſtæ, ac repentinæ.

§. I.

Proponitur latitudo cauſarum mortis repentinæ manifeſtæ.

Reſolvendum, quod cauſarum mortis repentinæ manifeſtæ numerus nequit præſcribi. Subſcribam ex Theatro vitæ humanæ, & ex variis hiſtoriis omnium temporum, quàm variæ cauſæ Imperatoribus, Regibus, Magiſtratibus, & exercitibus mortem intulerunt: ſimiles cauſæ quotidie contingere poſſunt, hincque non inutile ut transferatur illarum notitia in uſum Medicinæ.

A

Elementa quæ ſunt nobis prima principia ad eſſe per ſuas materias, & ad conſervandum vitam per ſuas qualitates, & varios uſus, violentæ hominis mortis ſunt communiſſimæ cauſæ: ignis incendiis, aqua ſuffocationibus & ſubmerſionibus, terra hiatibus & terræ everſionibus, aër impetuoſis impulſibus & grandinibus locum habent inter cauſas mortis repentinæ violentæ. Joſuë *cap.* 10. narrat Reges Amorrhæos, & ſuos milites grandine obrutos fuiſſe. Paulus Diaconus *lib.* 21. refert Saracenorum naves in obſidione Conſtantinopolitana grandine fuiſſe obrutas cum ſuis militibus: *& lib.* 18. tenet, quod anno 371. plures grandine perierunt apud Conſtantinopolitanos, & quod quilibet lapis adimplebat manus amplitudinem.

B

Nivis ſimilis fit cauſa, & hoc experiuntur qui in nivoſis perambulant locis. Diodorus *lib.* 14. *Bibliotheca*, confirmat innumeros milites Græcos militantes ſub Imperatore Cyro, in montibus Armeniæ nive obrutos mortuos fuiſſe.

C

Ignis violentiſſima repentinæ mortis fit cauſa in bello, & extra illud. Empedocles, ut tenet Horatius, ardentis ignis Æthnæ impetu in ſpelunca fuit conſumptus. Laërtius idem refert de Liberio, & Volaterranus de Plinio: Cardanus *de rerum varietate, lib.* 1. *cap.* 9. fumo plures ſuffocatos refert apud Mediolanenſes.

Aërem etiam locum conſtat habere inter ſubitæ mortis manifeſtas cauſas vi propria impetuoſa, & maligna. Plura ſunt exempla in Inſulis ab illo ſubmerſis, in navibus ſimiliter in mari, & plura de peſtibus referemus.

D

Terra hiatu plures ſepelivit, ut experti ſunt Chore, Dathan, Abiron, & patet ex Numeris *cap.* 16. Pauſanias in Boëtium refert Trophimum ſuffoſſum fuiſſe vivum Delphis in Apollinis templo: idem ſimilem refert caſum in Corintho de Methone, & Mela. Plutus *in comparatione Romanorum cum Græcis*, idem narrat de Ariſturo filio Midæ, apud Cælenas Phrygiæ urbem. Ariſtides *de rerum Italicarum comparat. cum Græcis, lib.* 40. refert Marcum Curtium ob Populi Romani ſalutem ſe præcipitem dediſſe in cavernam. Thraſimacus *lib.* 3. *urbium conditar.* refert Amphiatrum cum ſuo curru, in quo vehebatur, in terra fuiſſe ſuffoſſum apud oppidum Harmam, ob ſua crimina in Drabonuntiam. Tenet Annæus Sylvius *in hiſtoria Bohemica*, Sparſæ plures domus, &

E

habitatores in terra abſorptos uſque ad viginti millia hominum. Sabellicus, & alii ſimiles referunt hiſtorias.

Lapides pluribus fuerunt ſubitæ mortis cauſa, qui obruti ſunt lapidibus. Blaſphemus in eremo lapidatus eſt, *Levit.* 24. Acham, *Ioſue* 7. Abimelech, *Iud.* 9. Adoniram, *lib.* 3. *Reg. cap.* 12. Naboth, *lib.* 3. *Reg. cap.* 21. Zacharias, 2. *Paralip.* 24. duo ſeniores accuſantes Suſannam, *Daniel.* 13. Stephanus Protomartyr, *Actor.* 7. Hecuba Troiæ regina, ut tenet Dyctis *lib.* 5. Mermerus, & Pheres apud Corinthios, ut tenet Pauſanias. In Corintho Ariſtocrades Rex Arcadiæ, ut tenet Plutus, fuit tegulâ occiſus, emiſſa à muliere, & refert Pauſanias. Poſthumus lapidatus à ſuis militibus obiit, ut tenet Livius *libro* 4. Ariſtides refert Cinnam à ſuis ſaxis fuiſſe interemptum.

Reflexus arborum mortis violentæ repentinæ fuit pluribus inſtrumentum. Plutarchus tenet Beſſum ſic fuiſſe mortuum juſſu Alexandri *lib.* 3. *cap.* 4. Hoc ſupplicium dictum Diſphon, Demene tenet, quod fuit commune Derviciis. Sozomenus idem refert de Procopio tyranno.

Ruina communis inter has cauſas habetur, ut tenet Sabellicus *lib.* 3. ubi quod illa oppreſſi milites ad vigintiquinque millia ſunt occiſi ex exercitu Poſthumi à Gallis, qui penetrantes ſylvam in qua arbores erant ſucciſæ circa Dianam, repentè irruere in illos. Cromerus ſimilem eventum refert de exercitu Caſimiri *lib.* 12. ſecundi Regis Poloniæ in ſylva Plonini.

Acutæ arundines, & calami repentinæ mortis cauſa fuere aliis. Fulgoſus *lib.* 9. *cap.* 12. tenet quod Alexander Eleus obiit ab arundine illi infixa tranſeunti flumen. Evagrius *lib.* 3. *cap.* 10. narrat, quod Stephanus Epiſcopus Antiochenus à pueris fuit interfectus calamis acutis.

Fundâ lapidibus emiſſis periere plures. Goliath ſic fuit interfectus à Davide, 1. *Reg.* 17. & communior fuit eventus apud alias gentes, quæ fundis utebantur in bello.

Tela, ſagittæ & jacula manifeſtæ ſunt cauſæ mortis repentinæ. Joſias ſagitta vulneratus periit, 4. *Reg.* 28. Sagittis periit Joram, 4. *Reg. cap.* 4. Virgilius 6. *Æneid.* Tilpium terræ filium tenet ſagitta extinctum fuiſſe. Linus Thebis natus ſagitta ictus periit, ex Volaterrano *lib.* 14. Procris ſagittâ à marito fuit occiſa, ex Ovidio *lib.* 7. *Metamorphoſ.* Achilles ſagittâ fuit interfectus, ex Ovidio *lib.* 12. *Metamorph.*

A Sic Anacharſis obiit, ex Herodoto, & Prexaſpis. Plutarchus *in Sertorio* tenet jaculis petiiſſe quatuor millia ex Marij ſatellitibus. Sic periere Comnenus filius Alexii, Beatus Sebaſtianus, & Sancta Chriſtina Virgo. Riccius tenet interemptum ſagitta Alphonſum Hiſpaniæ Regem.

Bombardæ noſtris temporibus communiores ſunt cauſæ mortis manifeſtæ repentinæ. Thomas Montacutus Comes Sariſberienſis, pila ferrea fuit extinctus, ut tenet Polydorus *lib.* 23. Æno Rex Suevo-
B rum periit ictu bombardæ, ut refert Joannes Magnus *lib.* 24. Sic & Albertus Dux Saxoniæ, ut tenet Crantz. *lib.* 1. Sic periit Jacobus Rex Scotorum, ut tenet Boëtius *lib.* 8. & Ludovicus Borbonius Princeps Condenſis, & multa hominum milliaria.

Gladius commune inſtrumentum eſt manifeſtum repentinæ mortis. Saül gladio eſt interfectus, 1. *Reg.* 28. Cambyſes periit enſe vulneratus, ex Herodoto. Sic Phaces Athenienſis, ex Plut. & in Nicia Mithridates Rex Ponti, ut Sabellicus te-
C net *lib.* 4. Severus Sulpitius refert *lib.* 4. Marcum Marcellum pugione interemptum. Tenet Fulgoſus *lib.* 6. Galeotam, Manfredum, & Lirenſem Calypham clava obtruncatos à Saladino, ut refert Æmilius. Atys filius Crœſi, lancea obtruncatus periit, ut refert Valerius *lib.* 1. Henricus II. Rex Gallorum in equeſtri ludo lancea percuſſus periit, ut refert Surius. Stylis graphiariis extinctus fuit Erixo in foro Romano: ſic & Joannes Scotus in Britannia, ut tenet Jovius *in elogiis, ex Cri-
D nito.* Cultro Coquinario periit Euvonius Rex Spartanum. Plut. *in Licurgo.* Henricus III. Rex Gallorum periit gladio, ut tenet Mercurius Gallobelgius: ſic & Henricus IV. ſic etiam plures exercitus gladio ſunt extincti.

Rota inter cauſas mortis repentinæ manifeſtas refertur. Victor Martyr ſub Maximiano Imperatore rota molinaria extinctus fuit. Merul. *lib.* 5. *cap.* 5. Rotæ plauſtrariæ Romæ ad beſtias damnatus ſe immiſit, & in ejus radios alter, ut tenet Sene-
E ca, & obtruncatus periit. Sic navibus ſubtracti Romani milites à Carthaginenſibus ſunt obtruncati, ut tenet Valerius *lib.* 9. *cap.* 2.

Ruſtica inſtrumenta in vitæ ſubſidia deſtinata, mutata ſolent eſſe cauſa mortis repentinæ. Bonfin. *lib.* 3. *dec.* 5. Bohemos plures milites falcibus à ruſticis fuiſſe occiſos militantes ſub Paulo Kiniſio, cecinit. Iacobus Ruffinus anno 1552. Eliam Patavinum proprio ære conſumpto,

cùm nequiret filias nubere præ inopia, inſania affectum ſe falce jugulaſſe tenet. Joannes Magnus *lib.* 22. narrat quod Eriſon Dalmatiæ Præfectus, maritis extinctis, mulieres apponebat aratris, donec expirarent lat ore. Dubravius *lib.* 14. tenet Sezenum à ruſticis flagellis tritoriis fuiſſe extinctum. Sic boum ſtimulis cæſi obierunt Palæſtini ſexcenti, *Iudicum cap.* 1.

Fabrilia inſtrumenta cauſæ etiam ſunt repentinæ violentæ mortis manifeſtæ. Hiſpanus dictus Dacius Anſcia periit capite amputato. Iſaïas fabrili ſerra fuit diſſectus, ut docet D. Hieronymus. Sic occiſi à Saladino plures milites Templarii. Pontanus *lib.* 2. *de bello Neapolitano*, tenet Clanceophum ſerra ſciſſum. Valens Imperator ſerra plures occidit milites, ut tenet Cuſpin. Forcipe, ut tenet Pont. *lib.* 2. *cap.* 1. fuit extinctus Mauritius ſervus. Stumpſius narrat Joannem ab Hornach à Sigiſmundo forcipibus candentibus fuiſſe extinctum. Cromer *lib.* 21. refert ab Uladiſlao cuidam machinanti ejus mortem, illatam forcipibus ignitis. Clavo defixo in cerebro Siſaræ, Iſraël liberatur, *Iudic.* 4. Codrus ſic periiſſe tenet Sacerdotes Græcorum ſub Romano Lagapeno. Nicetas *lib.* 2. *de rebus Alexii*, tenet quod Henricus VI. Imperator, cùm quidam appeteret Siciliæ coronam, æneam juſſit illi imponi affixam cum quatuor clavis.

Ipſa Medicinæ auxilia ſolent eſſe cauſæ repentinæ mortis manifeſtæ. Suetonius tenet quod Caligula Syllanum compulit ut novaculâ fauces ſuas ſecaret. Jacobus Rufinus refert Eliam Patavinum tres novaculâ jugulaſſe filios, paupertate deſperatus. Plinius *lib.* 32. tenet Meſſalinam hirudinibus appoſitis, ab illis occiſam. Joannes Villanus *lib.* 6. tenet clyſtere venenato fuiſſe occiſum Imperatorem Conradum. Henricus tenet Miſiteum ſocerum Gordiani Imperatoris, Philippi fraude potione ſolutiva extinctum. Cataphryges hæretici ex ſanguine infantis acubus occiſi venenum conficiebant. Argentinæ anno 1601. ſtudioſus incautus tractans acum, ex vulnere accepto obiit. Gualterus Epiſcopus Herefordienſis forcipulâ in gula vulneratus obiit, ut tenet Rhanulphus *lib.* 7. *cap* 2.

A carnificibus plura inſtrumenta excogitata cauſæ fuerunt repentinæ manifeſtæ mortis. Seniores Soccoth ſunt conciſi ſpinis à Gedeone, *Iudic. cap.* 8. Sub Domitiano, ut tenet Suetonius, ſtrupatores Varonillæ, & Corneliæ Veſtalium, virgis occiſi obierunt. Sabellicus *lib.* 2. tenet

A Lucium Cinnam ob ſtuprum Veſtalium flagris cæſum. Gellius *lib.* 10. refert Bubulcum mortuum verberibus illatis à quodam Legato Aſiatico. Dubravius *lib.* 3. tenet Siradium radiis rotæ extinctum. Vier. *lib.* 3. *cap.* 24. narrat mendicum latronem rotæ impoſitum obiiſſe. Stumpſius idem narrat ſupplicium impoſitum Rodulfo Varo, ob necem Alberti Imperatoris. Plutarchus *in Catone* refert ſexcentos milites ſecuri fuiſſe extinctos. Boëtius *lib.* 10. narrat Conſtantinum Regem Scotorum ſecuri occiſum B ab Ungaro Duce Danorum. Baſſus Epiſcopus veru fuit concrematus. Euſtachius Dux cum uxore, & filiis in tauro æneo eſt extinctus ab Adriano Imperatore, ut tenet Nicephorus *lib.* 3. *cap.* 29. Myrſia Satyrus fuit laqueo ſuſpenſus, ex Ovidio *in Metamorph.* Læda laqueo periit. Demetrius obiit ſtrangulatus; ut tenet Livius *decade* 4. *lib.* 10. Suidas affirmat Archiadam ſe fune ſuſpendiſſe: idem refert Fulgoſus *lib.* 5. *cap.* 7. de Gordiano. Narſes ab Odoacro ſe fecit laqueo ſuſpen- C dere, ut tenet Petrus Diaconus. Quadraginta Tethones Xamericus rex Danorum laqueo ſuſpendit, ut tenet Saxo *lib.* 7. Sic periit Ægyptius Tomumbeius, ut tenet Jovius, & alii innumeri præclari viri laqueo ſuſpenſi periere, ſicut & noſtris temporibus omnes ferè facinoroſi homines.

Culeo inſuti repentè periere alii. Sotades Poëta in vaſe plumbeo inſutus in mare fuit projectus à Rege Lyſimacho. Et tenet Gerardus *dialogo* 5. quod Hyper- D bulus Athenienſis culeo inſutus fuit in mare injectus. Sic Tullius Atilius, ut tenet Valerius *lib.* 1. *cap.* 1. Sic etiam periit P. Mallcolus, ut tenet Sabellicus *lib.* 2. *enn.* 6. Sic in bubula pelle inſutus periit Paulus Chupor, ut tenet Bonfin. *lib.* 3. *decade* 3.

Crux etiam violentæ mortis fit inſtrumentum, ut apparuit in Chriſto Domino. Quinque Reges Amorrhæi à Joſuë fuerunt affixi cruci, *Ioſue* 8. Septem filii Saulis à Gabaonitis cruci fuerunt affixi, E 2. *Reg.* 21. Aman Amalecita ab Artaxerxe fuit cruci affixus, *Eſth. cap.* 7. D. Andreas, & D. Petrus cruci affixi fuerunt, & Dymas Ægyptius: ſic & Simeon filius Cleophæ, & innumeri alii ob Chriſti fidem, ut refert Martyrologium Romanum. Pharnus Rex Medorum à Nino fuit crucifixus cum ſeptem filiis, & uxore. Sabellicus *lib.* 1. *enn.* 1. Sunt & alii ethnici crucifixi, inter quos Hiſlicus, ut tenet Herodotus, à Dario, & Sandos Æolidis Præfectus, ab eodem,

dem, ut tenet Alexander ab Alexandro *lib*.3. *cap*. 5. Sataſpes Perſa à Xerxe, ut tenet Herodotus. Alexander poſt victam Tyrum omnes cives ſuperſtites crucifixit. Sabellic. *lib*. 9. Titus, ut tenet Joſephus *lib*. 6. *cap*. 7. tot crucifixit Hebræos, ut deeſſet ſpatium crucibus, & corporibus ſupplicium dignum Judæorum perfidiæ.

Oeconomicum ſupellectile mortis repentinæ ſolet eſſe manifeſta cauſa. Brandolinus apud Mediolanenſes ferro lanceæ pro domus cuſtodia deſtinatæ ſibi mortem paravit, ut tenet Jovius *in Sfortia*. Lais meretrix ſcabello extincta fuit ab aliis mulierculis, ut tenet Athenæus *lib*.13. *c*.20. Toriſmundus Rex Gothorum armis proprijs fuit occiſus ab inſidiatoribus. Sigonius *lib*. 13. *Imperat. Occident*. Flagellator ſtatuæ Theagenis ab ipſa cadente in ipſum oppreſſus periit. Macrobius *lib*. 1. *Saturnal. cap*. 11. A noverca coronatus puer coronâ oppreſſus obiit. Calimachus *in* 1. *epigram*. Statua Melii Argivi incidens in percuſſorem, illum occidit. Plutarc. *de tarda Dei vindicta*. Hennethus Rex Scotorum contendens pomum aureum auferre ab ſtatua ob rarum ejus artificium, concidit & mortuus eſt. Cardanus *de rer. variet. lib*. 12.

Ruina non aliter ſolet eſſe cauſa violentæ ac repentinæ mortis. In Burgundia duo montes diſceſſere, & in valle plures viventes ruina periere. Crantz. *lib*.7. *Vandal. cap*. 25. Polidymus athleta in ſpeluncam aſcendens, ex nimio aquæ concurſu ruit ipſa, & vivus ſepultus fuit. Valer. Maxim. *lib*. 9. *cap*. 12. Syracuſis anno 1099. templum corruit, in quo plures obiere, relicto ſacrificante. Plat. Herm. & Gigas. Sabellicus *lib*. 10. *cap*. 5. tenet millia hominum periiſſe Fidenorum in theatri ruina. Samſon apprehendens columnas templi, ipſum ruinâ occidit, & tria millia hominum cum illo, *Iud. cap*. 14. Septem filii, & tres filiæ Job ruinâ domus extincti ſunt, *Iob cap*. 1. Tres Alexandri filii ruinâ domo ſciſſa periere. Dyctis refert apud Chios centum viginti pueros in una domo habitantes, ob domus ruinam una nocte fuiſſe extinctos. Joannes XXII. Pontifex ruinâ oppreſſus fuit extinctus. Fulgoſus *lib*. 9. Sic Bela Ungarorum Rex obiit, ut tenet Bonfin. *lib*. 3. *decade* 2. Sic Florianus Preſbyter perſequutor D. Benedicti obiit, ut tenet Vincentius *lib*. 21. Everſis muris Aphiſæ, vigenti & ſeptem millia virorum fuerunt extincti, *lib*. 3. *Reg. cap*. 1. Ioannes Dux Britanniæ in coronationis pompa Clementis X. Pontificis, ruinâ mori oppreſſus periit, ut tenet Platina. Eleazarus frater Judæ Machabæi ſub elephante quem ferit occiſus remanſit.

Varii ictus valent repentinam violentam mortem cauſare. Hippolytus filius Herculis baculi ictu interfecit Lycinium. Homerus *in Iliad*. Pyro ictus obiit Antiphanes in Chio, ut tenet Suidas. Æſchillus poëta teſtudine ab aquila immiſſa in ejus caput obiit, ut tenet Val. Maximus *lib*. 9. *cap*. 12. Euſebius Samoſatenus Epiſcopus ab Arriana ictus tegulâ periit, Theodor. *lib*. 2. *cap*. 31. *in acta Apoſtol*. Marſias victus ab Apolline excoriatus obiit. Ovidius *in Ibim*. Cambyſes Siſamenem juſſit excoriari, ut filius judex ſederet in ſella ex ejus corio contecta. Herodotus *lib*. 5. Artaxerxes aliquos injuſtos judices juſſit excoriari. Plut. *in Artaxerxem*. Joannes Martyr ſub Diocletiano excoriatus fuit, Sabellicus. Saïs Dux Coſroïs idem paſſus fuit. Cedrenus. Mahometus proditorem civitatis Conſtantinopolitanæ excoriari fecit, & ſale inſpergi, ut tenet Cuſpin. *in vita Conſtantini*.

Mutilatio fuit aliis repentinæ violentæ mortis cauſa. Adonibezec Rex mutilatus fuit manibus, & pedibus ab Iſraëlitis, *Iudic*. 1. Avidius Craſſus ſimili modo deſertores puniebat. Creſcentius Patricius victus ſic fuit punitus, ut tenet Sigon. *in Chronic*. Agag Rex Amalecitarum à Saüle Rege fruſtatim diſſectus fuit, 1. *Reg*. 15. Oſiris Rex Ægyptiorum fuit diſſectus à Typhone fratre, & corpus diviſum inter plures. Vives *lib*. 5. & Auguſtinus *de civitate Dei*. Medæa Abſyrtum fratrem membratim diſcerpſit. Ovid. *in Metamorph*. Palias Theſſalorum Rex à filiabus artuatim fuit diſcerptus. Diodorus *lib*.4. *cap*.5. Sic minutim conciſus Beſus ab Alexandro ob interfectum à ſe Darium. Diodorus *lib*.17. Cleomenes Rex inſanus factus ſe excoriavit, Herodotus *lib*. 6. Romulum ſui membratim trucidarunt. Ariſtobulus *lib*. 3. *rerum Italicar*. Protagenes in Senatu Romano membratim fuit trucidatus, ut tenet Zonaras. Theodorici milites ſpoliatores templi D. Juliani Arvernenſis, ſpiritibus correpti mutuis morſibus ſe dilaniarunt, ut tenet Gregorius Turonenſis *lib*. 3. *cap*. 11. Veneti cognoſcentes quoſdam è ſuis ſubornatos, per equos dilaniarunt eos. Sabellic. *lib*. 4.

Cibus ſine quo vivere non datur, manifeſta pleriſque ſolet eſſe cauſa mortis repentinæ. In exequiis Labani Philoſophi quadraginta milites Alexandri ob nimium

mium cibum mortui ſunt, ut tenet Ælianus *lib.* 2. *de varia hiſt.* Septimius Severus Imperator cum nimio cibo ſibi voluntariam paravit mortem, ex Sexti Aureliani Victoris epitome. Epheſtion Alexandri Magni Dux ægrotans pullo gallinaceo, & molto pane, & vino repletus obiit. Diodorus *lib.* 17. Dionyſius Siciliæ Tyrannus à ſimili cauſa extinctus fuit, ex Diodoro *cap.* 15. Sic Demetrius cibis, & vino deditus obiit. Plut. *in Demetrium.* In obſidione Hieroſolymæ Judæi, qui confugerunt in exercitum Titi, à fame ad plenum cibum tranſlati, cibo enecati ſunt. Joſephus *lib.* 7. *cap.* 15. Egnatius ex cibi repletione tenet fuiſſe mortuum Jovinianum Imperatorem. Sextus Aurelianus idem refert de Valentiniano Imperatore. Attila tecenter uxoratus, cibo repletus repentè obiit, ut tenet Paulus Diaconus. Inebriatus Alexander frater Imperatoris Leonis, & cibo repletus ſubitò obiit, ut tenet Cedrenus.

Fames etiam violentæ mortis repentinæ fuit pluribus manifeſta cauſa. Joſephus narrat quod uxor Hirami Ducis Judæorum mortua fuit fame in vinculis detenta à filio Ariſtobulo. Eriſthenes à matre inedia necatus, quia malè ſe geſſit in bello. Siſegambis mater Darii abſtinens à cibo ſe occidit. Curtius *lib.* 4. Suidas tenet, quod Eratoſthenes ſe peremit inedia. Cleanthes Philoſophus ſe nimia inedia interemit, ut tenet Laërtius. Pauſanias à patre Ageſilao fame conſumptus fuit, ut tenet Chryſermus *lib.* 2. *hiſtor.* Perſeus Romæ fame conſumptus eſt, ut tenet Lælius *lib.* 13. *cap.* 14. In excidio Hieroſolymitano inquit Joſephus, quod duodecim millia captivorum fame perierunt, *lib.* 7. *cap.* 16. Caligenus ſe inedia enecavit, ut tenet Valer. Maximus *lib* 9. *cap.* 8. Marcus Antonius Philoſophus ſe inedia interfecit. Sabellicus *lib.* 4. Polemon ſe injecit in ſepulchrum, & fame extinctus fuit juſſu Diocletiani, ut patet in Martyrologio. Joannes Papa XV. fame fuit extinctus, ut tenet Sabellicus. Benedictus VI. Othone imperante fuit fame extinctus, ut tenet Volaterranus *lib.* 22. Sic & Richardus periit Rex Anglorum, ut tenet Polydorus *lib.* 21. Cæcilia Veneta marito mortuo nullis precibus potuit vinci quominus ſe fame non interimeret. Folgoſus.

Et intra noſtrum inſtitutum longior eſſet enarratio eorum, qui à manifeſtis morbis ſubitò ſolent interire, de quorum caſibus Medici, Chirurgi, & Practici plures referunt hiſtorias: communior cauſa ſolet eſſe peſtis, quæ in variis ætatibus, nec ſolùm aliquos interfecit brevi curriculo temporis, ſed varias provincias, & regna devaſtavit. In decima plaga Ægypti una nocte de medio ſublati ſunt peſte unà primogeniti omnes regni, *Exodi cap.* 10. In Iſraël ſeptuaginta millia hominum peſte perierunt in tribus diebus, *lib.* 2. *Regum*, *cap. ult.* Una nocte Angelus Domini peſte occidit centum & octoginta quinque millia Aſſyriorum, *lib.* 4. *Reg. cap.* 19. Amphyonis Regis Thebani tota familia unà nocte fuit extincta peſte, ut tenet Pauſanias. In Orchomeno peſtis omnes viventes devaſtavit, & ſimul defecit Oraculum ibi, ut tenet Lælios *lib.* 8, *cap.* 16. In Apollinis templo aurea arcula à milite apertâ, peſtilens exivit aër, & præſentes occidit, & ad alias ſe extendit regiones. Lælius *lib.* 8. *cap.* 12. Lethaliſſimis accidentibus comitatam peſtem retulit Diodorus *lib.* 12. quæ totum ferè orbem devaſtavit. Plautus *in Pericle* refert ab illo cauſatam peſtem, quia totum exercitum clauſit intra civitatem. Diodorus refert *lib.* 15. Carthaginenſes tali peſte aggreſſos fuiſſe, ut morbo arrepti ſeipſos interficerent. Captis Fidenis à Romulo, peſtis ſupervenit in urbe Roma, quæ homines, & alia animalia invadebat, & ſine morbo mors ſubitò apparebat, ut tenet Plut. *in Romulo.* Alexander ab Alexandro *lib.* 6. *cap.* 19. defectu annonæ tenet Romæ ſuperveniſſe peſtem ſub Tarquinio Superbo, ad quam mulieres inſtituerunt tauri ludos Diis inferis. Livius tenet, quod Lucio Ebulſio, & P. Servilio Coſs. cœlum ardere viſum fuit, & pòſt omnia boum & equorum armenta peſte obiere, ac poſtea in homines ſimilis peſtis graſſata fuit. Romæ Coſs. P. Curiato, & Sexto Quintilio, ut tenet Sabellicus *lib.* 4. pluviarum defectum, & aquarum fontium penuriam, ac fluminum fertur Romæ peſtis fuiſſe cauſam, à qua reliqua viventia, & poſtea homines omnes ferè extincti, Coſs. Coſſo, & Tito Quinto, ut refert Sabellicus *lib.* 5. *enn.* 3. & idem *lib.* 9. *enn.* 5. refert peſtem ortam èx proventu locuſtarum. Joſephus *lib.* 15. *cap.* 11. narrat peſtem Hieroſolymitanorum urbem devaſtaſſe ob injuſtam mortem Reginæ Mariæ. Xiphilinus meminit alterius peſtis à qua unaquaque die Romæ moriebantur millia duo hominum. Per decem annos duravit peſtis, quam refert Euſebius *lib.* 7. *cap.* 21. quæ per totam urbem graſſata, pleraque loca devaſtata,

ſtata, & inhabitata reliquit, maximamque ubique incolentium extinxit partem. Nicephorus *lib.* 15. meminit peſtis ſub Marciano Imperatore obſtantis per annum terram coli, in quo miraculosè alimento aëreo vixerunt plures. Sigon. *lib.* 17. meminit peſtis, quæ à bubonibus incœpit, & in innumeros alios declinabat morbos, quibus major hominum pars obiit. Idem tenet Sigonius *lib.* 20. *Imperii Orientalis.* Sub Pelagio ſecundo Papa tenet Platina; quod ex pluviarum copia ſupervenit peſtis. Paulus Diaconus *lib.* 19. tenet quod in Imperio Conſtantis XI. Conſtantinopoli decidit de cœlo cinis, poſtea ignis, poſtea peſtis, & apparuit Angelus bonus, & malus, & tot quotidie in quavis domo moriebantur, quot Angelus malus venabulo quod geſtabat, oſtia percuſſiſſet. Sigonius *lib.* 3. *regni Italiæ*, meminit peſtis ſub Conſtantino, in qua cruces apparebant in veſtibus quaſi oleo ſignatæ, qua omnes ferè periere.

Sed qoid iis immoror, quorum me turba fatigat? Volui tamen tot cauſas manifeſtas mortis violentæ in Rempublicam Medicam à Mundi Theatro transferre, ut Medici poſſint brevi curriculo in illis cognoſcendis immorari. De cauſis autem mortis repentinæ internis, & occultis infra proponam longiorem diſputationem per varias Reſolutiones, reſolvens quid mihi promptius apparet.

RESOLVTIO V.

Utrum aliqua mors poſſit dici naturalis homini.

§. I.

Proponitur ratio pro parte negativa.

Diximus, quod mors alia eſt violenta, de qua plures retulimus cauſas; & quod alia dicitur mors naturalis homini. De hac dubitamus, an talis poſſit vocari? Videtur enim quod omnis mors ſit homini violenta.

Tum primò, quia violentum eſt illud quod opponitur ei, quod eſt alieni ſecundùm naturam: ſed vivere homini eſt ſecundùm naturam, cùm per vivere conſervet homo ſuum eſſe naturale: ergo mors quæ vitæ opponitur, & illius deſtruit eſſe, neceſſariò debet eſſe violenta, & præter naturam.

Tum ſecundò, quia omne quod eſt ſecundùm naturam alicui, vel illud naturaliter componit, vel ſaltem conducit ad conſervationem ſui eſſe: ſed quælibet mors eſt deſtructiva eſſe hominis: ergo nulla poteſt dici homini naturalis.

Tum tertiò, quia Ariſtoteles *lib.* 1. *de cælo*, *cap.* 8. docet quod ſi quid eſt alicui ſecundùm naturam, ejus contrarium eſt violentum: ſed homini eſſe eſt ſecundùm naturam: ergo mors quæ opponitur ſui eſſe, eſt violenta, & præternaturalis.

Tum quartò, quia quod eſt alicui naturale, poteſt per ſuas cauſas demonſtrari de illo: ſed quod mors ſit homini naturalis, ut docet Galenus *lib. de maraſmo, cap.* 2. non poteſt demonſtrari: ergo non eſt illi naturalis.

Tum quintò, quia ſi mors eſſet homini naturalis, placidè, & ſine dolore ſuperveniret illi: ſed mors quælibet, ex Ariſtotele, ſupervenit cum dolore & moleſtia, fit enim paſſo non conferente vim: ergo non eſt naturalis.

§. II.

Ex quodam præſuppoſito deducitur Reſolutio.

Supponendum, quod naturale multis modis dicitur, ut latiùs proſequuti ſumus *tom.* 1. *Reſolut. Medicar.* Naturale enim dicitur aliquid prout diſtinguitur à ſupranaturali: vel dicitur naturale prout diſtinguitur ab eo, quod fit ultra naturam à dæmone: vel dicitur naturale, quod diſtinguitur à libero: vel dicitur naturale, quia fit juxta communem ordinem rerum naturalium: vel dicitur naturale, quod convenit alicui juxta propriam naturam, ut homini ridere: vel dicitur naturale quatenus diſtinguitur à violento, ſive violentum ſit, quia fit contra naturalem inclinationem, ſive quia provenit ab extrinſeco, paſſo non conferente vim. Præterea naturale dicitur, quod diſtinguitur ab eo, quod dicitur præternaturale: vel naturale dicitur, quod naturaliter ſequitur à cauſis juxta naturæ præſcriptum ordinem operantibus. In hac acceptione mors ſubſequitur ad ætates, & ultimò ad ſenectutem.

Reſolvendum, quod licèt quælibet mors ſit contra naturalem hominis inclinationem, juxta alias acceptiones poteſt dici naturalis.

Probatur. Tum primò: nam aliqua mors ſupervenit divinitus à ſuprema Dei poteſtate. Sic ter centum millia Aſſyriorum una nocte à Domino interfecti ſunt: ſic Dathan, Abiron, & plures Hebræorum

per peſtem mortui ſunt, reſpectu quorum dicitur mors naturalis, quæ provenit à naturalibus cauſis, etſi violentæ ſint. Tum quia mors quæ provenit à cauſis naturalibus, reſpectu mortis quæ provenit à maleficiatis ope dæmonis, etiam naturalis poteſt dici; communiter enim dicimus, dum fit mors ſine ſuſpicione veneficorum, quod eſt illis mors naturalis, id eſt non à dæmone. Tum quia naturalis ſolet mors vocari à morbo proveniens, reſpectu ejus quæ fit à cauſis violentis, vel ab alterius arbitrio, aut ex B ſupplicio. Tum quia mors naturalis dicitur enti ut naturali, reſpectu appetitus materiæ primæ, cui naturalis eſt tranſitus ad novam formam. Tum quia homini poteſt dici mors naturalis reſpectu obedientialis potentiæ ad ſuum creatorem, à quo poſt Adam lapſum inditum eſt homini, quod moriatur morte corporea.

§. III.

Proponitur vera ratio, ob quam mors dicitur naturalis communiter à Medicis.

Reſolvendum ſecundò, quod ad uſum Medicum propriè dicitur mors naturalis, quæ opponitur violentæ, & ſubſequitur ad ultimam ſenectutem hominis ex cauſis inevitabilibus ex præſcripto naturæ ordine. Sic ſancivimus *tom. 1. Reſolut. Medicar.* & tenent Galenus *lib. 2. de temperam. cap. 2.* Avicenna *fen. 1. 1. doctr. 3. cap. 3.* Plato *dialogo de natura*, Ariſtoteles *lib. 4. meteor. cap. 1. & lib. 5. phyſicor. cap. 6.* ſequuntur Conimbricenſes, Thomas de Garbo D *in Summa, tract. 2. lib. 1. quæſt. 19.* Forlibius Jacobus de Partibus *in fen. 1. 1.* & ibi Gentilis, Valleſ. 4. *meteor. cap. 1. & lib. 6. controverſ. cap. 2.* Argenterius *lib. art. Medic.* Carreirus *fen. 1. 1. diſp. 18. cap. 1.* Sanctacruz *in fen. 1. 1. opuſcul. 5. cap. 1.* Vicentius Moles *in lib. de philoſoph. natural. ſacroſancti corporis Chriſti, cap. 13.*

Probatur quia ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori: ſed non omnibus accidit mori morte violenta: ergo ſaltem morte naturali & inevitabili, orta E ex principiis à generatione in hunc interitum deſtinatis.

Probatur ſecundò: Ætatum mutatio eſt actio naturalis naturaliter conſequuta ex inevitabili reſolutione humidi radicalis ab innato calore nobis inſito ex principiis generationis: ſed ex hac inevitabili actione naturali provenit mors inevitabilis homini; ergo ob has cauſas illi naturalis dicitur.

A Probatur tertiò: Effectus proveniens à cauſis naturalibus alicujus rei, illi ut naturalis adaptatur: ſed mors ſubſequuta ad ſenium provenit à cauſis homini naturalibus: ergo naturalis illi judicanda, id eſt naturaliter inevitabilis.

§. IV.

Solvuntur rationes primò propoſita.

Ad rationes dubitandi reſpondetur. Tum pro prima, quod vocamus B mortem naturalem, non quia ſit nobis ſecundùm naturam, ſed quia non provenit à cauſis extrinſecis, & violentis, ſed inevitabiliter à cauſis nobis inſitis ſecundùm naturam, à quibus ſubſequitur: vel cum P. P. Ruvio, quod licèt corruptio in morte naturali non ſit naturalis per ſe primò, ſed generatio eſt naturalis ſecundariò ut fiat generatio per ſe primò intenta.

Tum pro ſecunda, quod ratione finis præternaturalis eſt mors, quæ hominis eſſe deſtruit; denominatur enim naturalis, quia C ſubſequitur à cauſis quæ nobis à natura inſitæ ſunt per ſe primò in vitæ conſervationem, ex quibus per accidens ſequitur reſolutio humidi radicalis, & naturalis interitus.

Tum pro tertia, quod non vocatur mors naturalis, id eſt conveniens ſecundùm naturam; ſed denominatur talis à cauſis naturalibus, à quibus inevitabiliter ſecundariò accidit; vita enim eſt permanſio calidi in humido, & à calido provenit per ſe primò vitæ conſervatio, ſecundariò humidi reſolutio, ex qua inevitabilis fit mors.

Tum pro quarta, quod docet Galenus, quod à nullo fuerit demonſtratum mortem eſſe naturalem, non quòd non ſit demonſtrabile: vel potiùs dicendum, quod licèt non poſſit demonſtrari, quod aliqua mors ſit naturalis, id eſt ſecundùm naturam homini, benè tamen quod fiat à cauſis naturalibus in homine.

Tum pro quinta, quod ſi mors eſſet nobis naturalis, & fieret à nobis vim conſerentibus, nullam afferret moleſtiam; ſed dicitur naturalis, quia à cauſis in nobis naturalibus provenit, non ut per ſe operantur ad noſtram conſervationem, ſed quatenus pro accidens ex calore nos conſervante ſic pervenit radicalis humidi reſolutio.

Resolutio VI.

Utrum omni homini, cui non accidit mors violenta, ſit inevitabilis mors naturalis.

§. I.

Pars negativa proponitur, & aliqua fundamenta.

PRobatur, quod non ſit homini inevitabilis mors naturalis per aliqua fundamenta ſuprà jam propoſita.

Tum primò, quia ſi Adamus non peccaſſet, non mereretur; impoſuit enim Deus illi pœnam mortis propter peccatum: *Quocumque die comederis ex illo, morte morieris.* Ergo ſi non comediſſet, non eſſet illi neceſſaria aliqua mors.

Tum ſecundò, quia Ethnici totam mundi gubernationem tribuentes fato, illi tribuebant facultatem vitæ conſervandæ, aut mortis inducendæ: ergo apud illos mors naturalis poſſet à fato vitari.

Tum tertiò, quia pro comperto habetur apud Catholicos, quod adhuc vivi ſervantur in paradiſo terreno Enoch, Elias, D. Joannes ultra terminum debitum ſuæ naturali durationi: ergo ſimili modo poſſunt reliqui præſervari à morte naturali.

Tum quartò, quia inter Juniores Medicos eſt communis opinio de qua alibi diſputavimus, quod poſſit ſenectus retrotrahi in antecedentes ætates medicis auxiliis: ergo per illa poterit præſervari & ſenectus, & mors naturalis ſequuta ex illa.

Tum quintò, quia non minùs admittitur ab aliis ex Paracelſo, quod per ſua ſpagyrica auxilia poſſit humidum radicale præſervari & reſarciri, ita ut homo naturaliter non pereat defectu humidi radicalis.

Tum ſextò, ut nuper diximus ex Galeno *lib. de maraſmo*, non poteſt demonſtrari neceſſitas mortis naturalis: ergo non eſt neceſſaria.

§. II.

Sancitur neceſſitas in homine mortis, ſaltem naturalis.

REſolvendum, quod omni homini eſt neceſſaria mors, ſive violenta, ſive naturalis. Sic tenent omnes ſacri Scriptores.

Probatur ex ſacra Pagina; inquit enim *D. Gaſp. Bravo Tract. Miſcell.*

A D. Paulus ad Hebræos 9. *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* Ergo violenta, vel ſaltem naturali morte. Tum confirmat David *Pſalmo* 88. dicens: *Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem?* Tum quia ſupremus Deus Adamo, & ejus poſteritati neceſſariam impoſuit pœnam mortis ob prævaricationem legis.

Probatur ſecundò ab omnibus neceſſario eventu rerum. Nam, ut inquit Nancelius, innumera jam inde ab orbe condito hominum genitorum multitudo, vel
B ante noſtrum ſeculum morte occubuit, vel noſtro ævo quotidie moritur, aut non ita multò poſt concedit fatis; & quotquot deinceps naſcentur, eadem lege fati debent mori: quod aſſenſu plurimorum patet.

Præterea idem cecinere Poëtæ: idem, ut diximus, præcipuè de neceſſitate mortis naturalis referunt Philoſophi per plura apophthegmata. Socrates lugentibus quòd mittebatur in carcerem: *Quid ploratis*, inquit, *ſcientes me ex quo genitus ſum, ab ipſa natura morte fuiſſe damna-*
C *tum.* Anaxagoras, ut tenet Laërtius, morti damnatus dixit: *Aliis aliud mortis genus obtigit, ſed omnibus eadem eſt moriendi neceſſitas.* Diogenes dicebat, *quod cuique vita eſt iter ad mortem.* Theromanes inopinatè liberatus à ruina domus, congratulantibus dixit: *Neſcitis me morti ſemper eſſe obnoxium.* Heraclitus dicebat, *mortem ſemper latère in omnibus.* Hormiſda interrogatus à Conſtantino, quid magis admiraretur in Roma? reſpondit, quod in tanta opulentia omnes moriantur ſicut in
D quovis alio loco. Sic Fulgoſus. Æſchines dicebat, cùm neceſſariò ſit moriendum, non mori, ſed glorioſè mori quærendum.

Probatur tertiò à Valeſio: Id quod perpetuò fit, ſecundùm naturam eſt, & quod certis & ſtatutis temporibus fit: ſed hoc modo fit mors naturalis: ergo eſt neceſſaria ex naturæ legibus.

Probatur quartò: Virtus durationis rerum ſublunarium in eſſendo, & in efficiendo eſt finita, ut docent Ariſtoteles
E *lib.* 8. *phyſic. cap.* 10. & Avicenna *fen.* 1. 1. *doct.* 3. ſed noſtræ vitæ conſervatio habet ſublunares, & finitas cauſas, à quibus conſervetur: ergo debet ob illas in tempore finito finiri.

Probatur quintò: Mors naturalis habet inevitabiles cauſas: ergo ipſa inevitabilis eſt. Probatur antecedens ex infra proponendis illius cauſis, & ex Ariſtotele, qui illas ponit in permanſione calidi in humido.

§. III.

Solvuntur rationes dubitandi primò poſitæ.

AD argumenta reſpondetur.

Tum pro primo, quod ſi Adamus non peccaſſet, non moreretur morte animæ per peccatum originale, nec morte corporea, niſi poſt longiſſimum tempus.

Tum pro ſecundo, quod Ethnici delirarunt admittentes fatum, niſi ſub nomine fati intellexerint verum Deum.

Tum pro tertio, quod ſecundum naturalem rerum ordinem non poteſt vitari mors ab illo proveniens, quæ ideo naturalis dicitur, & illius prolongatio ultra illud tempus, in manu eſt veri Dei.

Tum pro quarto, quod jam alibi demonſtravimus, eſſe vanam opinionem dicentium, poſſe ætates retrotrahi.

Tum pro quinto, quod ſtulti ſunt credentes humidum radicale poſſe inſtaurari naturaliter.

Tum pro ſexto, quod Galenus tenet non poſſe demonſtrari, quod mors aliqua ſit homini naturalis, id eſt conformis ejus naturæ; non autem quod non ſit illi naturalis, id eſt naturaliter neceſſaria ſecundùm ordinem cauſarum naturalium.

RESOLVTIO VII.

Quænam ſit cauſa neceſſaria, & inevitabilis mortis naturalis.

§. I.

Proponitur dubitandi ratio, & fundamenta.

AVicenna *fen.* 1. 1. *doct.* 3. *cap.* 3. plures refert cauſas mortis naturalis valentes inducere ſiccitatem: aërem ſcilicet, calorem innatum, laborem ex motionibus, animi pathemata, imminutionem nutritivæ virtutis, alimentum ſubſtantiam minùs perfectam reponens: ſed inter has cauſas ſub dubio cadit, an calidum innatum, conſumens, & reſolvens humidum radicale, ſit præcipua cauſa quam Deus deſtinavit in homine ad inevitabilem mortem cauſandam, dum ſtatutum reliquit omnibus hominibus ſemel mori.

Doctiſſimus Carreirus renuens admittere, quod in mixto dentur partes materiales elementorum, diſcedit à doctrina Avicennæ, quem interpretatur, & omnium reliquorum Authorum, qui tenent inevitabilem, & præciſam mortis naturalis cauſam eſſe innatum, & internum noſtrum

A calorem continuò reſolventem humidum radicale, ſine quo vita nequit ſubſiſtere, quam dicit Ariſtoteles, quod eſt *permanſio calidi in humido*.

Carreirus ſuum placitum contendit ſuadere: Tum primò, quia ut alibi dixit, probari non poteſt remanentia partium materialium in mixto, ut aliæ in alias agant. Nam pars non poſſet fieri ex illis mixta, niſi penetrarentur, quod eſt impoſſibile: nec ſine tali diverſitate poteſt dari reſolutio humidi à calido innato.

B Tum ſecundò, quia ſi calor innatus ageret in humidum, à calore proprio, & naturali fieret putredo, quod nequit admitti, cùm petat putredo fieri à calore extraneo. Tum tertiò, quia cùm humidum radicale ſit homogeneæ naturæ, ſi in illud ageret calor, totum ſimul reſolveretur, & ſtatim in prima ætate ſuperveniret mors naturalis. Tum quartò, quia ut alibi diximus, idem ſuadet quod homo componitur ex materia prima, à qua provenit quod omne ens ſublunare quod C componitur ex illa, ſit corruptibile; & ideo ab illa habet homo quod perveniat neceſſariò ad mortem, ſeu interitum naturalem. Tum quintò, quia calor nativus in homine provenit ab anima determinata per temperamentum ſubſtantificum, ut illum producat in intenſione, quæ requiritur pro illius conſervatione: ergo ab illo ut tali non poteſt provenire interitus; nam ille provenit per partium reſolutionem, quæ petit fieri à calore extraneo.

D Dices, quod calor non reſolvit, quia naturalis, aut præternaturalis eſt, ſed quia calor, à quo provenit tanquam effectus primarius, productio alterius caloris; tanquam ſecundarius, reſolutio partium humidarum, quæ calore attenuatæ, arraratæ, & leves factæ reſolvuntur; nunquam tamen ſive ſit naturalis, ſive ſit præternaturalis, abſolvitur calor ab hoc quod reſolvat.

Contrà: calor ut calor, eſt naturalis diſpoſitio: ſed naturalis diſpoſitio conſer- E vat, & perficit ſubjectum: ergo nequit illud ſimul conſervare & corrumpere.

Tum ſextò, quia omnes corporis partes informantur per unam formam ſubſtantialem: ergo non eſt major ratio quare aliæ reſolvant alias, & non econtrà. Tum ſeptimò, quia nihil poteſt ab interno principio mutari in terminum violentum, & ſui corruptivum; ſed calor innatus eſt internus viventi: ergo nequit ab illo fieri viventis corruptio. Tum octa-

vò,

vò, quia principium internum ducens hominem in interitum, aut eſt materia, aut forma : ſed non eſt materia, quia illa nihil agit, cùm tantùm ſit potentia paſſiva : nec forma, nam eſt quæ dat eſſe rei : ergo non corrumpit illud. Tum nonò, quia quod naturaliter deſinit eſſe, per putredinem deſinit : ſed calor innatus nequit putredinem cauſare; hæc enim fit à calore extraneo : ergo.

§. II.

Proponitur communis opinio Authorum.

RESolvendum, quod calor innatus, ſeu adſcititius, ortus in noſtro corpore ex partibus igneis, & aëreis, mediante formâ ut mixtâ, eſt inevitabilis, & neceſſaria cauſa mortis naturalis. Sic tenent Authores citati à nobis *tom. 1. Reſol. Medic.* D. Thomas *1. part. quæſt. 97. art. 4. & quæſt. 119. art. 1. & quæſt. 5. de malo, art. 5. ad 8. lib. de juvent. & ſenect. lib. de comm. animal. motu*, deſumpſitque ex Ariſtotele *lib. de juvent. & ſenect. 3. problem. 5. lib. de reſpirat. & lib. de longit. & brevit. vitæ*, & tenet Hippocrates *lib. de corde, lib. de genitura, lib. de diæta, 1. aphoriſm. 13. & 7. aphor. 59. lib. 6. epidem. part. 3. text. 20.* quem ſequuntur Galenus, præcipuè *lib. de maraſmo, lib. 2. de ſanit. tuenda, cap. 2. 3. & 4. & 7. aphoriſm. comm. 59.* tenet Avicenna *fen. 1. 1. doct. 3.* & omnes ejus commentatores : ſequuntur Fernelius *lib. 4. part. natural. cap. 8. & lib. 3.* Conciliator *different. 111.* Thomas de Garbo *in Summa, tract. 2. quæſt. 19.* Peramatus *lib. de temperam.* Mercatus *lib. de ſanit. tuenda, & lib. de principiis*, Sanctacruz *in fen. 1. 1. opuſcul. 5. cap. 2.* Segarra *lib. natura hominis, cap. 2.*

Probatur primò ex locis adductis ab iis Authoribus, & ab eodem Carreiro. Tum quia Hippocrates docuit, *quod calor qui nos vivificat, nos occidit* : ſed nativus noſter calor nos vivificat tanquam inſtrumentum operationum naturalium: ergo nos occidit reſolvens humidum radicale per inevitabilem reſolutionem, quæ ab ipſo ſeparari nequit : *& lib. de alimento*, inquit Hippocrates, *una natura eſt, & non eſt* : id eſt, unus calor dat eſſe, & non eſſe.

Carreirus contendit, quod Hippocrates velit dicere, quod calor naturalis nos vivificat, & febrilis nos occidit; quod contendit deducere ex Galeno.

Sed diſplicet ſolutio; nam calor febrilis nunquam nos vivificat, & ideo dum de A calore dicit, quod nos vivificat qui nos occidit, de naturali, & non de febrili loquitur. Tum probat reſolutionem Hippocrates *lib. 1. aphor.* dicens : *Qui creſcunt, plurimùm habent calidi innati, & ideo plurimo indigent alimento, alioquin corpus abſumitur* : ergo ab innato noſtro calore abſumitur, & reſolvitur noſtrum corpus.

Tum Ariſtoteles *lib. de juvent. & ſenect.* inquit : *Neceſſitas igitur, ut vita, & calor unà cuſtodiatur, præſcribit ut quem dicimus obitum, illius ſit interitus.* D. Thomas *lib. de comm.* B *motu animal.* ait : *Unde intelligendum eſt, quod in animalibus continua ſit aliqua deperditio; calidum enim agens in humidum, aliquid reſolvit, & cùm continuò agat, continuò reſolvit.* Idem repetit locis citatis ſuprà.

Tum Galenus *lib. 2. de ſanit. tuend. cap. 2.* ponit cauſas continuò nos reſolventes, ſic : *Altera eſt, quæ etiam in animalibus continuò cernitur, totius ſubſtantiæ fluor, quem inſitus calor excitat.* Idem repetit *cap. 3. & 4. & lib. de maraſmo, cap. 3.* inquit: *Exſiccari quidem corpora ſecundùm quandam* C *conſequutionem naturalem, hocque ob calorem innatum fieri omninò veriſſimum eſt.* Et *lib. 7. aphoriſm. 59.* docet reſolvi corporis partes continuò ab aëre extrinſeco, & intrinſecùs à calore nativo. Et Avicenna idem manifeſtè docet loco citato.

Probatur ſecundò : Ita eſt neceſſarius in homine calor innatus, ſicut ipſa vita, cùm vita ſit permanſio calidi in humido, ex Ariſtotele : ſed eo ipſo, quod detur calor, ſunt neceſſarii, & inevitabiles naturaliter illius effectus, tam primarius, qui D eſt calefacere, quàm ſecundarius, qui eſt reſolvere : ergo eo ipſo, quod homo vivat, inevitabile eſt, quod non calefiat continuò, & quod continuò non reſolvantur partes ejus humidæ uſque ad interitum.

Probatur tertiò : Ex divinæ providentiæ decreto ſtatutum eſt omnibus hominibus mori; ergo debuit ſtatui in illis inevitabilis cauſa talis mortis : ſed nulla alia cauſa magis inevitabilis poteſt allegari, quàm ipſe calor, qui eſt princi- E pium vitæ, quod ideò. Hippocrates in calore conſtituit.

Probatur quartò : Mors naturalis eſt effectus inevitabilis in homine : ergo debet provenire ab aliqua cauſa inevitabili non naturali, aut præternaturali : ſed cauſæ non naturales poſſunt ſæpe ab homine vitari, aliàs homo non perveniret ad ultimum ſenium; ſimiliter & præternaturales : ergo moriendi neceſſitas in cauſa nobis naturali & inevitabili eſt alligata.

Probatur quintò : Agens naturale intra A ſphæram ſuæ activitatis, ſi ponatur paſſum aptum recipere actionem, neceſſariò, & inevitabiliter illam tenetu recipere : ſed humidum radicale in noſtro corpore eſt intra ſphæram activitatis caloris valentis illud reſolvere : ergo neceſſariò debet ab illo reſolvi uſque ad interitum.

Probatur ſextò : Hominem corrumpi ex parte principii materialis eſt illi neceſſarium : ergo debuit illi ineſſe cauſa inevitabilis, à qua neceſſariò ſuperveniret mors effectivè ; & cùm nulla alia ſit inevitabilis præter calorem, illi debet tribui. B

§. III

Solvuntur fu damenta contrariorum.

AD argumenta primò poſita reſpondetur : Tum pro primo, quod *tom. . Reſolut. Medicar.* demonſtravimus neceſſitatem remanentiæ partium materialium elementorum in mixto, & quod non ſunt penetratæ, ſed juxta poſitæ, & quod eſt neceſſarium, quod aliæ C in alias agant, cùm quælibet ſit intra ſphæram activitatis alterius ; & quod calor humidas reſolvit partes, in quas agit, cùm reſolutio ſit neceſſarius eff.ctus ſecundarius caloris.

Tum pro ſecundo, quod aliud eſt quod calor ſit extraneus rei quæ putreſcit, aliud quod ſit extra illam : dum putreſcit humor prohibita ventilatione à calore extraneo humoris putreſcentis, & præternaturali, fit putredo, non tamen ab externo, ſed ab illo qui præternaturalis oritur à propria forma, & agit deuniendo D oppoſita patibilia. Vel dicimus, quod homo in morte naturali non deficit per pu edinem, in qua partes, quæ putreſcunt, manent deunitæ ; ſed per reſolutionem, in qua partes humidæ ſeparantur, & reſolvun ur ; & partes quæ remanent, ſunt cum tanta ſiccitate, ut hæc perveniat ad illum gradum, in quo ſit incompatibilis cum vita.

Tum pro tertio, quod ſi æqualis, ac vehemens calor æquè applicetur, fieret E brevis omnium partium humidarum reſo utio, ut contingit in aliquibus febribus colliquantibus : ſi autem calor ſit temperatus, proximiores, & aptiores reſolvuntur primò, & paulatim, ut contingit in aqua in lebete, quæ licèt ſit homogeneæ naturæ, & tota igni applicata, tamen reſolutio fit ſecundùm aliquas tantùm partes, quæ in homine per alimentum inſtaurantur magna ex parte.

Tum pro quarto, quod homo ex eo quod componitur ex materia prima, eſt corruptibilis ratione talis principii, ſed non efficienter ab illa, ſed ab aliis cauſis deſtinatis in hominis corruptionem, aut mortem, non naturalibus, præternaturalibus, aut naturalibus, modo quo diximus.

Tum pro quinto, & ad ultimam replicam, quod calor ut talis ſolùm dicit, quod ſit id cui competit congregare homogenea, & diſgregare heterogenea ; quod eſt illi eſſentiale ; & quod primariò calefaciat, & ſecundariò reſolvat. Quod autem ſit diſpoſitio naturalis, aut præternaturalis, advenit illi ab eo quod ſit ſubjecto proportionatus, aut improportionatus ; & hæc proportio, aut diſproportio non aufert ab illo, quod eſt illi debitum ex ſua natura, ſcilicet calefacere, aut reſolvere juxta ſuam intenſionem.

Tum pro ſexto, quod aptitudo ad reſolutionem non advenit à forma informante, ſed à partibus materialibus, quatenus humidiores ſunt, & aptiores, ut attenuatæ à calore faciliùs reſolvantur.

Tum pro ſeptimo, quod cùm in mixto ſint diverſæ partes materiales, calor qui eſt in partibus igneis poteſt agere in partes aëreas, & aqueas, & illas reſolvere ; quia licèt ſit calor toti viventi internus, non eſt tamen internus in illis partibus quas reſolvit.

Tum pro octavo, quod forma quæ per ſuam eſſentiam dat eſſe rei, per ſuas qualitates poteſt illam corrumpere.

Tum pro nono, quod res naturaliter poſſunt deſinere per corruptionem, & per marcorem, conſumpta naturali humiditate ; & hæc conſumptio ſupervenit per reſolutionem.

Dices ; quod ſi à proprio calore in homine proveniret per reſolutionem mors, idem contingeret in aliis mixtis : ſed longa plurium duratio demonſtrat, in illis non contingere : ergo in homine mors non à ſuo proprio provenit calore, ſed ab alia cauſa.

Reſpondetur, quod in omnibus mixtis contingit per reſolutionem, & deſiccationem, quod tandem perveniant in marcorem, & deſinant eſſe : ſed in homine, & aliis viventibus dicitur ille interitus mors, quia privantur vita ; in aliis mixtis dicitur corruptio, ſeu caries, quia privantur ſola forma non vivente. In viventibus autem, propter heterogeneitatem, & partium organicarum diverſitatem eſt magis ſenſibilis mutatio durationis, & ætatum,

tum, & magis conſpicua mors, & finis. In reliquis mixtis homogeneis. à cauſis externis facilior eſt corruptio, difficilior ab internis; & ideo pleraque mixta maximæ ſunt durationis, & etiam quia non habent humidum radicale, ſicut viventia, in cujus permanſione conſiſtit vita, quæ cùm ex facili ejus reſolutione pendeat, faciliùs in marcorem deferuntur.

Resolvtio VIII.

Utrum res præternaturales coadjuvent ad cauſandam mortem naturalem.

§. I.

Partis negativæ ponuntur fundamenta.

Pars negativa ſuadetur, quia ex hoc differunt cauſæ mortis naturalis, quia cauſæ mortis naturalis ſunt ſecundùm naturam. Ergo cauſæ præternaturales non poſſunt concurrere ad cauſandam mortem naturalem.

Probatur ſecundò: Licèt cauſæ præternaturales, ut febris hectica, valeant inducere marcorem calidum, a quo provenit mors violenta, nequeunt tamen producere marcorem frigidum, qui eſt cauſa mortis naturalis: Ergo à cauſis præternaturalibus non fit mors naturalis.

Probatur tertiò: Mors naturalis fit à cauſis à natura præſcriptis ad ipſam cauſandam: ſed natura nullas determinavit cauſas præternaturales morboſas pro morte naturali: ergo ab illis non fit mors naturalis.

§. II.

Supponitur fundamenti ratio, & admittitur pars affirmativa.

Supponendum ex dictis à nobis *tom.1. Reſol. Medic.diſp.4.ſect.2.reſolut.2.* quod in mutatione ætatum acquirit homo pro unaquaque diverſam temperiem aptam pro actionibus debitis pro illa ætate. In pueritia calorem, qui eſt inſtrumentum conformationis, & augmenti requiſiti in prima conformatione; & humiditatem, quæ aptam reddit materiam, ut conformentur, & augeantur partes. Permanet calor in pueritia, ut adimpleatur homo versùs omnem magnitudinem requiſitam pro virilitatis actionibus, ob quas accreſcit ſiccitas partes roborans. Cúmque in homine ultra vires debeat conſilium prodeſſe, ſicca accreſcit temperies, calor contemperatur in conſiſtentia, ſupervenitque frigiditas ſuperaddens vires prudentiæ, & intellectui, donec accreſcens frigus, & ſiccitas hominem deducunt ad remiſſionem omnium actionum, & tandem ad interitum. Hic terminus cùm à natura præfixus ſit, habet cauſas neceſſarias, & inevitabiles intrinſecas, & extrinſecas, ſeu coadjuvantes, & neceſſarias. De cauſis neceſſariis, & inevitabilibus egimus Reſolutione antecedenti: proſequemur agere de coadjuvantibus, & proximè de præternaturalibus.

Reſolvendum, quod res præternaturales poſſunt eſſe cauſæ coadjuvantes ad cauſandam mortem naturalem.

Probatur: Tum quia res præternaturales poſſunt coadjuvare ad properandas ætates coadjuvando ad reſolutionem humidi radicalis, ut apparet in variis rebus præternaturalibus, quæ nimio calore nos valent reſolvere. Tum patet ex variis morbis à cauſis præternaturalibus ortis, atrophiam, & maraſmum inducentibus, & cauſantibus alios morbos reſolventes partes humidas noſtri corporis. Tum patet ex intemperatis regionibus, in quibus ob nimiam intemperiem calidam, & ſiccam habitatores breviorem multò conſequuntur vitam, quàm illi qui habitant in humidioribus, & frigidioribus regionibus.

§. III.

Solvuntur argumenta primò poſita.

Ad primum reſpondetur, quod cauſæ per ſe deſtinatæ ad mortem naturalem differunt à cauſis violentis, quia illæ per ſe, & inevitabiliter illam cauſant, reliquæ per accidens, coadjuvando ſæpe.

Ad ſecundum reſpondetur, quod præternaturales cauſæ calidæ reſolvendo humidum, frigidæ deſiccando coadjuvant inevitabilem reſolutionem nativi caloris, non per ſe & inevitabiliter.

Ad tertium reſpondetur, quod dari præfixas & inevitabiles naturalis mortis cauſas à natura deſtinatas, non tollit quod aliæ per accidens poſſint illas coadjuvare.

Resolutio IX.

Utrum res non naturales poſſint eſſe cauſæ coadjuvantes mortis naturalis.

§. I.

Proponuntur dubitandi aliqua fundamenta.

Galenus *lib. artis parva, cap.* 84. vocat res non naturales cauſas ſalubres, ſeu conſervatrices ſanitatis. Arabes præcipuè illas vocarunt res non naturales, vel quia corpus noſt um non conſtituunt, ſicut res quæ naturales dicuntur; vel quia ſi indebitus ſit illarum uſus, ſanitatem prævert nt, reſque naturales evertunt. Sunt hujuſmodi res ſex, aër, cibus, & potus; ſomnus, & vigilia; excreta, & retenta; motus, & quies; & animi pathemata, de quibus dubitamus an valeant eſſe cauſæ coadjuvantes mortem naturalem.

Pars negativa videtur admittenda. Primò, quia ex Galeno nuper citato, cauſæ non naturales ſunt cauſæ ſalubres, & conſervativæ ſanitatis: ergo non debent poni inter cauſas mortis naturalis.

Secundò, duratio cujuſlibet ætatum, per quas fit tranſitus ad mortem naturalem, eſt à natura præfixa unicuique illarum: ergo nequit hæc duratio properari à cauſis non naturalibus.

Tertiò ſi res non naturales conducerent ad cauſandam mortem natnralem, id agerent vel per repoſitionem ſubſtantiæ ſiccæ, & frigidæ, vel per humidæ reſolutionem: ſed has actiones nequit immutare appoſitio cauſarum non naturalium, cùm ſit connaturalis viventi: ergo nec coadjuvare ad mortem naturalem.

Quartò patet de cibo, & potu; nam per illos reſtituitur id quod reſolvitur in noſtro corpore à calore, ab inedia, à laboribus, & nova reſarcitur ſubſtantia loco deperditæ, & novæ reparantur vires: ergo ſaltem per cibum, & potum non coadjuvatur mors naturalis. Patet conſequentia præcipuè de potu vini, quo utendum docet Aëtius *tetrab.* 1. *ſerm.* 4. *cap.* 30. ad retardandam mortem naturalem, inquit enim; *Vinum verò ſenibus utiliſſimum eſt, quale eſt quod ſubſtantiâ quidem tenue eſt, colore autem fulvum, aut flavum. Atque unum quidem hoc maximum bonum ſenibus accidit, quod calefacit omnes corporis partes, deinde quod ſerum ſanguinis per urinas expurgat.* Ergo & vinum, & cibus conferunt pro vita conſervanda.

Quintò, quod vigilia, & ſomnus non coadjuvent ad cauſandam mortem naturalem, patet. Tum quia vigilia, vt tenet Oribaſius *lib.* 6. *Medic. collect. cap.* 6. maximè conducit ad vitam. *Vigilia*, inquit, *plenitudinem per halitum digerit, quæ in ventre ſunt minuit, & ut per partes infernas exeant, præparat: languorem diſſolvit, gravitatem diſpenſat, reſoluta corrigit, & robur naturæ atque animo jungit.*

Tum de ſomno inquit Ægineta *lib.* 1. *de re medica, cap. de ſomno: Somnus animalium facultatum quies eſt, bona humiditate cerebrum rigante contingens. Quod ſi rectè admittatur, multa bona facere poteſt; nam & cibos concoquit, & dolorem mitigat, laſſitudineſque lenit, & diſtortorum laxitatem efficit; ſed & animalium affectionum oblivionem inducit, & emotam mentis rationem corrigit.* Ergo vigilia & ſomnus nequeunt eſſe concanſæ mortis naturalis. Sextò patet de exercitio & quiete, quod non ſint cauſæ coadjuvantes ad mortem naturalem. Tum de exercitio, de quo ex Paulo & Oribaſio deducit Quercetanus, quod nuſtri innati caloris ſit verum fomentum, & fuliginoſarum ſuperfluitatum in corporibus redundantium aptum remedium; omnis plethoræ, ſive plenitudinis inducendæ obſtaculum ac impedimentum, agilitatis ac promptitudinis comparandæ incitamentum, nervorum & juncturarum corroborandarum idoneum & opportunùm auxilium; primaria, ac præcipua cauſa apertionis pororum, ac meatuum, per quos fuliginoſa illa, & ſuperflua ſanguinis, & ſpirituum, qui aliàs vitæ noſtræ fomites ſunt, materia foras propellitur, ac diſſipatur: ideo ab exercitio omnes facultates omnium ſenſuum roborantur: ergo nequit eſſe mortis naturalis cauſa. Tum patet de quiete, quæ convenit bilioſis, & qui ſunt calidæ, & ſiccæ temperaturæ, à quibus naturalis mors appropinquatur: convenit extenuatis, macris, emaciatis, imbecillibus; refocillantur quippe quiete ſpiritus, corpuſque perfunditur humiditate: ergo potiùs obſtat morti naturali, quàm illam poſſit cauſare.

§. II.

Proponitur modus, quo res non naturales coadjuvent ad mortem naturalem.

REſolvendum, quod res non naturales coadjuvare poſſunt ad mortem naturalem. Ita tenet Avicenna *fen.* 1. 1. *doct.* 3. *cap.* 3. & illius Commentatores.

Probatur primò ratione fundamentali, ex *tom.* 1. *Reſol. Medic.* Res non naturales dicuntur, quæ medio modo ſe habent inter res omnino naturales, & res omnino præternaturales, quia moderatæ vicem habent cauſarum conſervantium ſanitatem; & immoderatæ, inter cauſas præternaturales annumerantur: ergo ſi immoderatæ coadjuvent ad exſiccationem, & reſolutionem humidi radicalis, coadjuvabunt ad accelerandam mortem naturalem.

Probatur ſecundò: Mors naturalis ſupervenit ſenectuti poſt conſumptionem humidi radicalis, & caloris innati: ergo cauſæ non naturales, quæ juvant ad properandas ætates, coadjuvabunt ad accelerandam mortem naturalem.

C Probatur tertiò, quod cibus, & potus coadjuvent ad naturalem mortem. Tum quia à nutritiva facultate nequit reponi ex communi cibo æquè perfecta ſubſtantia, ac deperditur in humido radicali. Tum quia ex cibo, & potu pravæ qualitatis generantur pravi, & cacochymi humores, ex quibus venenoſæ, & malignæ qualitates vitam depopulantes fiunt, ut docet Galenus *lib. de cibis boni, & mali ſucci.* Tum quia ex copia illorum supervenit plenitudo, *à qua*, inquit Aëtius lib. 1. de re Medica, *venæ repletæ affliguntur, diſtenduntur, rumpuntur, obturantur, valde gravantur: inde & graves morbi, & peſſima nutritio.* Tum quia ex ciborum, & ebrietatis abuſu longior antiquorum vitæ duratio coarctata fuit per plurimos annos: ergo ab uſu cibi, & potus coadjuvari poteſt mors naturalis.

Probatur quartò de ſomno, & vigilia, quod coadjuvent ad mortem naturalem. Tum quia vigiliæ, ſi immodicæ, corpus attenuant, & deſiccant, deducuntque in marcorem, quia temperamentum hominis immutant, facies ab illis palleſcit, corpus contabeſcit, oculi fiunt cavi, vultus triſtis, frons rugoſa, & deformis, facultates depravantur, fit prava nutritio, copiâ malignorum humorum variæ proveniunt febres, & ardentes, ac ſiccæ ægritudines. Tum quia ſomnus, ſi nimius, eſt mortis imago, & diſpoſitio ad lethargum

A aut apoplexiam, calorem extinguit, & nimia frigiditate naturalem mortem accelerat.

Probatur quintò de exercitio, & quiete, quod valeant mortem accelerare. Tum quia ex nimio exercitio in ſanis coporibus magna fit reſolutio partium, & extenuatio, corporis laxatio, humidi reſolutio: in cacochymis, accenſis humoribus fiunt febres ardentes, & aliæ fiunt puſtulæ, & varia tumorum genera. Tum quia ex nimia quiete, ac otioſa vita torpet corpus, B augetur ignavia, membrorum ſocordia accidit, corpus refrigeratur, amittitur proprius color, obſtruuntur pororum meatus, fiunt defluxiones, morbique frigidi, nativoque extincto calore, ſenilis frigiditas augetur, calido innato extincto: ergo coadjuvant res non naturales ad mortem naturalem.

§. III.

Solvuntur rationes primò propoſitæ.

AD primum reſpondetur, quod Galenus docet, quod res non naturales debitè applicatæ ſe habent ex parte rerum naturalium, & cauſarum nos conſervantium; & ſi indebitè illis utimur, ſimul coadjuvant cauſas præternaturales, & reliquas coadjuvantes ad mortem naturalem.

Ad ſecundam reſpondetur, quod ætatum duratio, & totius vitæ eſt unicuique præſcripta, juxta calidum innatum, & humidum radicale præſtitum à natura. D Sed quia hæc poſſunt conſervari, aut reſolvi magis, aut minùs à cauſis non naturalibus, ideo hæc ponuntur inter cauſas valentes properare ætates, & coadjuvare ad celeriorem mortem naturalem.

Ad tertiam reſpondetur, quod cauſæ neceſſariæ mortis naturalis coadjuvantur, aut properantur à cauſis non naturalibus.

Ad quartam reſpondetur, quod in cibo, & potu moderatis rectè probat argumentum, non autem de illorum exceſſu, & adhuc de cibi continuitate, quæ imper- E fectiorem ſemper offert ſubſtantiam eâ quæ deficit reſolutione.

Ad quintam reſpondetur, quod eadem eſt ratio de vigilia, & ſomno, quæ moderata ſunt utilia, & neceſſaria; immoderata afferunt relata incommoda.

Ad ſextam reſpondetur, quod ſimilis eſt ratio de exercitio & quiete, à quibus debitè applicatis ſubſequuntur propoſita commoda: ſi indebitè illis utamur, progignunt incommoda relata.

RESOLVTIO X.

Utrum aër ſit cauſa neceſſaria mortis naturalis.

§. I.

Suadetur pars negativa, aliquibus fundamentis.

PRobatur primò, quod aër non poſſit eſſe cauſa coadjuvans ad mortem naturalem. B Nam aër eſt inevitabilis cauſa præcisè neceſſaria ad vitam conſervandam mediâ reſpiratione, ita ut ſi deficiat reſpiratio, deficit animal; nam ex Ariſtotele, *animal vivere, & non reſpirare, impoſſibile eſt.* Et ſi continuo pulſu non attrahatur aër, ſtatim concidit animal: inquit enim Galenus, quod ſi ſpatio trium pulſationum deficit pulſus, perit animal: ergo aër ſic neceſſarius pro vita conſervanda, non poteſt poni inter cauſas mortis naturalis.

C Probatur ſecundò, quod aër vitam conſervet, & naturalem interitum retardet, qui purus, & naturalis eſt, ex Galeno *lib. 1. de valetudine tuenda, cap. 11.* dicente: *Optimum aerem cenſeo, qui prorſus ſit purus; ejuſmodi verò fuerit, ſi nec ſtagni, nec paludis halitu ſit perturbatus, nec ex profundo ſpecu peſtilentem auram ſpirante infectus, nec qui ex cloacis, quæ magnam aliquam urbem, aut numeroſum exercitum purgent, vitium contraxit; neque qui ex animalium, olerum, aut leguminum putredine, aut fimo coinquinatur; neque qui ob ſtagnum, vel ob flumen victnum nebuloſus eſt; neque qui editis undique montibus in cavo loco elanſus nullum percipit flatum; ſuffocans enim, putriſque eſt, ſimilis et qui in domibus quibuſdam eſt incluſus, in quibus ob putredinem, & perflatûs defectum plurimùm exacerbatur. Hujuſmodi ergo aer omni ferè ætati eſt noxius, ſicut è diverſo qui purus omninò eſt, nulli non ætati eſt utilis.* Ergo ſi purus aër, nequit poni inter cauſas coadjuvantes ad mortem naturalem.

E Probatur tertiò: Aëri neceſſariò immiſcentur venti ad noſtram conſervationem ita neceſſarii, ut ſine illis nequeat ſubſiſtere vita: ergo aër ob ventorum mixtionem ſit ineptus, ut coadjuvet ad mortem naturalem. Probatur antecedens: ſive ventus ſit aër fluens in aliquam partem, ſive illius commotio vi quadam ſe inſinuans, aut curſus aëris paulò vehementior ſolito, ſe ſemper aëri inſinuat, A & ad vitæ conſervationem illum coaptans, facit illum non pigreſcere, & quod aſſidua motione, ut inquit Valleriola, fiat utilis difflatus, vitalis, ſalubriſque, ut imbres fundat, & depulſis nubibus cauſet ſerenitatem.

§. II.

Proponuntur cauſa ob quas aër coadjuvet cauſas mortis naturalis.

REſolvendum, quod ſunt plura in aëre juvantia ad mortem naturalem cauſandam.

Probatur primò, quod nos aër vario modu immutet; inquit enim Ægineta: *Verùm ambiens nos aer temperamenta mutat, atque pervertit, dum aut immodicè calidior, aut frigidior, aut ſiccior, aut humidior evadit. Nam reliquis cauſis non omnes ſimul obnoxij ſumus, nec per totum diem occurſamur. Aer autem nos ambiens forinſecus omnibus nobis circunfuſus eſt, & per inſpirationem trahitur. Neceſſe igitur, ut ad mutationes ejus juxta temperamentum ipſius coafficiantur etiam animalium corpora.* Ergo variis modis nos valet alterare, & immutare.

Probatur ſecundò. Aër qui continuò inſpiratur neceſſe eſt eſſe commixtum & alteratum à ventis: ij ſunt diverſi, quatuor cardinales, orti ex plaga orientali, occidentali, meridionali, & ſeptentrionali, quorum ſinguli ad unumquodque latus habent alios ventos collaterales, & fiunt duodecim venti, & ex horum lateribus alii naſcuntur, quos omnes nautæ D extendunt ad triginta & duos, quorum unicuique diverſa eſt temperies, vel à locis ex quibus oriuntur, vel à locis per quos tranſeunt: & penes tales intemperies, quas communicant aëri nos circundanti, & noſtræ reſpirationi deſervienti, vario etiam modo alteramur, vel frigore nos comprimente, vel calore nos reſolvente: ergo ab iis nos immutandi, & ad mortem naturalem coadjuvandi magna eſt aëri vis.

Probatur tertiò: Aër ratione loci, in quo permanet, noſtra immutat temperamenta, & mortem naturalem valet accelerare: ergo debet poni inter cauſas coadjuvantes ad illam. Probatur antecedens ex Ægineta ſuprà adducto, *& lib. 2. de re medica, cap. 3.* dicente: *Sed & locorum natura communes morbos ſæpe invexerunt, quandoque paludem, quandoque barathrum vicinum habentium, quod exhalationem venenoſam, ac pravam emittit. Atque hæc frequenter contingere ſolent: verùm ambiens*

biens nos aër mutat temperamenta, ſive immediatè calidior, frigidior, aut ſiccior, aut humidior fiat.

Probatur quartò: Per anni tempora vario modo immutantur aëris temperies, & ex variis illis mutationibus varii etiam ſuperveniunt morbi, quos refert Hippocrates *lib. 3. aphoriſm.* inter quos plurimi abſumere valent humidum radicale: ergo poteſt aër coadjuvare cauſas mortis naturalis.

§. III.

Solvuntur primò poſitæ rationes dubitandi.

AD primam reſpondetur, quod inter cauſas non naturales præcipuè eſt aër neceſſarius ad vitam conſervandam. Per hoc tamen non abſolvitur ab hoc, quod indebitè applicatus, & impurus redditus nos valeat lædere, & coadjuvare ad mortem naturalem properandam.

Ad ſecundam reſpondetur, quod aër, & venti illi commixti, cùm ſint ex rebus non naturalibus, poſſunt ſe habere & ex parte naturæ, & ex parte cauſarum nos corrumpere valentium.

RESOLUTIO XI.

Utrum aſtra, & cœli ſint neceſſaria cauſa mortis naturalis.

§. I.

Proponitur pars affirmativa, & ejus fundamenta.

ASTrologi conantes inveniri in aſtris cauſas omnium actionum naturalium, planetis tribuunt mutationes omnium ætatum, ſimul & neceſſitatem mortis naturalis, ſine recurſu ad cauſas inferiores.

Probavimus primò *tom. 1. Reſolut. Medicarum*, ex pluribus ibi citatis, qui tenent cœlos, & aſtra agere in hæc inferiora noſtram alterando naturam, & illam immutando: ex quo inferunt, quod illam trahant in interitum.

Probatur ſecundò Aſtrologorum fundamento: Quæ ſunt principia ad eſſe, ſunt etiam principia naturalis reſolutionis, ex Ariſtotele *lib. 1. phyſicorum.* Sed orbes cœleſtes, aſtraque ſunt principia ad eſſe rerum naturalium: Ergo & cauſa interitus illarum. Probatur minor ex Ariſtotele *lib. 1. meteor. cap. 2. lib. 1. de gener. animal. cap. 2. lib. 2. de gener. animal. cap. 15. lib. 2. cœli text. 20. & 21. lib. 8.* A *phyſicor. text. 16.* ubi tenet, cœlos concurrere ad generationes ſublunarium.

Probatur tertiò: Ab illis cauſis provenit neceſſariò mors, quæ per varias temporum mutationes vario modo nos valent alterare: Sed aſtra, & ſtellæ continuò nos alterant varias inducendo temporum mutationes: Ergo & ab illis provenit neceſſariò mors naturalis. Probatur minor ex alibi à nobis propoſitis aſtrorum, & ſtellarum mutationibus, ex Quercetano, & aliis. Nam vigeſima, aut vigeſimaprima B die Martii, dum Sol ingreditur Arietem, exoritur mane Pegaſus, incaleſcit aër, fiunt magnæ aëris perturbationes. Die decimaoctava, decimanona, & vigeſima Aprilis menſis Pleiades ſiiæ ad oculum Tauri, exorientes cum Sole frigiditatem magnam cauſant; ideo ii dies dicuntur vindemiatores. Vigeſimaoctava ejuſdem menſis Orion cum Sole occidit: Hyades circa primum Maii cum Helice orientes tempeſtates, & pluvias cauſant, magnaſque mutationes. Die ſeptima Maii Sol ad C Geminos Amycleos tranſiens frigoris temperat vehementiam. Die ſexta Junii poſt occaſum Solis Arcturus occidit; die nona Delphinus emergit ante ortum Solis: vigeſima octava oritur Orion, & variæ ſubſequuntur aëris mutationes minantes varios morbos. Die tertia Julii aſtrum Orionis conſpicitur ad orientem integen die decimaquarta caoicula minor exoritur manè: die decimanona canicula major, à qua dies caniculares vocantur, cum magna uſtione magnos cauſante morbos. Die decimaſeptima Septembris Arcturus D exoritur magnas excitans turbationes, Sol Libram ingreditur, fit æquinoctium, & plures intemperies noſtra alterant corpora. Die vigeſimatertia Octobris Pleiades occidunt, & aër perturbatur. In principio Septembris perſpicitur Orion, Sol permanet in Scorpione, fiuntque aëris perturbationes. Dies prima Decembris tempeſtuoſa apparet, manetque per dies trigintaſeptem; ſin minùs totidem dies ſunt ſereni, & Sol divertit ad capricornum, E unde glacies, & frigidæ intemperies exoriuntur. Ergo ab aſtris, & ſtellis continuò fiunt variæ intemperies valentes nos maximè immutare.

Probatur quartò: Seoectus, & mors naturalis ſubſequuta ex illa dicuntur naturales, quia fiuot inevitabiliter à cauſis inevitabilibus: Ergo hæ ſunt internæ, aut externæ. Non ſunt internæ & naturales, quæ cùm ſint vitæ conſervativæ, nequeunt mortem cauſare. Ergo inevita-

bilis moriendi cauſa cauſis externis & aſtris, quæ nos inevitabiliter alterant, eſt tribuenda. Probatur minor ex D. Thoma *lib. 2. de cælo, lect. 4. §. Senectus eſt præter naturam rei particulari, quia eſt corruptio & defitio iſtius virtutis conſervativa, & contra illius finem naturalem: illa enim ſemper intendit ſe conſervare, & ſuum individuum. At verò ſenectus eſt ſecundùm naturam univerſalem, quia natura univerſalis bonum univerſi reſpiciens, etiam agit ad corruptionem, propter generationem aliarum rerum.*

§. II.

Orbes cæleſtes, & aſtra coadjuvant ad interitum naturalem.

RESolvendum quod cœli, & aſtra non ſunt cauſa omninò inevitabilis mortis naturalis, ſed coadjuvant ad illam per ſuos influxus.

Probatur prima pars. Cauſa inevitabilis, & neceſſaria mortis naturalis debet eſſe uniformis, & ſemper eodem modo reſolvens humidum radicale, ex cujus reſolutione ſubſequitur mors naturalis. Sed influxus, & alterationes, quibus nos cœli valent immutare, non ſunt uniformes, & ſemper humidum radicale reſolventes, ſed ſæpe calore, aliàs frigiditate, ſiccitate, aut humiditate noſtra corpora alterant. Ergo non ſunt neceſſariæ & inevitabiles cauſæ reſolutionis humidi radicalis.

Probatur ſecunda pars, quod ſæpe coadjuvent cauſas neceſſarias mortis naturalis; agunt enim in hæc inferiora luce, & motu, ut alibi deduximus ex variis authoribus, & tenent Avicenna, & Averroës *lib. 2. cæli, text. 42.* Agricola *lib. 4. & 5. de cauſis ſubterraneis*, Medina *lib. 2. ſua parent. cap. 1.* Alexius Damaſcenus *apud Philoponum*, Philalthæus *lib. 1. cæli, cap. 25.* Joannes Picus *lib. 3. contra Aſtrologos, cap. 4.* Mirandulanus *de ſingulari certamine, lib. 22.* Paviſius *diſp. 4. meteoror. quæſt. 9.* Simul & nos cœli valent alterare per occultas qualitates, & influxus, ut tenent D. Thomas *lib. 2. de cælo, & quodlib. 6. art. 19.* Bonaventura *in 2. diſt. 14.* Ferrarienſis *3. contra gentes*, Richardus, & alii: qui omnes licèt nos aſtra alterare teneant, non tamen ſemper per calorem noſtrum humidum reſolventem, ſed per contrariam frigiditatem, & alias qualitates.

A

§. III.

Fundamenta Aſtrologorum primò poſita ſolvuntur.

AD primum reſpondetur, quod ex variis citatis Authoribus, qui probant cœlos agere in hæc inferiora, non infertur quod non ſint admittendæ cauſæ ſecundæ, à quibus peculiares in nobis proveniant operationes, ad quas poſſunt coadjuvare influxus cœleſtes, & Aſtrorum
B ortus, & interitus: non tamen illi ſunt fixi, & determinati, ut neceſſariò inducant naturalem mortem.

Ad ſecundum reſpondetur, quod materia, & forma ſunt prima principia ad eſſe entis naturalis, & eorum diſſolutio, ſeu ſeparatio ſunt principia ad corruptionem talis eſſe; cœli autem non ſunt principia illius eſſe intrinſeca, ſed cauſæ extrinſecæ, efficientes, & coadjuvantes ad hominis generationem; quia ut inquit Ariſtoteles, Sol & homo generant ho-
C minem; & ſicut pater qui fuit hominis cauſa efficiens, non eſt neceſſaria cauſa mortis filii, ſic nec cœli.

Ad tertium reſpondetur, quod variæ mutationes frigoris, & caloris, quæ ſuperveniunt ex aſtris, potiùs ſunt cauſæ mortis violentæ morbos inducendo, quia ut docet Hippocrates, ſubitas mutationes ad calorem, aut frigus ægrè fert natura. At verò ad reſolvendum humidum radicale non ita ſunt uniformes, ut ſolùm ex illis poſſet naturalis mors regulariter, &
D inevitabiliter ſubſequi.

Ad quartum reſpondetur, quod ſuprà demonſtravimus, quod calor ut inſtrumentum animæ nos conſervat; at ut calor eſt, abſolutè non potuit abſolvi ab effectu ſuo ſecundario, per quem nos reſolvit, ſiccat, & tandem deducit ad mortem naturalem, quam vocat D. Thomas effectum naturalem reſpectu cauſæ univerſalis; & nos etiam vocamus naturalem, quia ex ordine naturæ fuit inſtitutum, quod calor qui nos vivificat, nos
E occidat, ut eſſet inevitabile ſtatutum à Deo, quod homo ſemel teneatur mori.

Resolutio XII.

Utrum ſpiritus vitales ſint inevitabilis cauſa mortis naturalis.

§. I.

Proponuntur aliqua fundamenta partis affirmativa.

Spiritus vitales ponuntur inter partes noſtrum corpus adintegrantes, quæ ſunt continentia, contenta, & impetum facientia, ex Hippocrate; & ſunt corpora mobilia, à corde per arterias in totum corpus diffuſa, genita in ſiniſtro cordis ventriculo vi inſita cordis, ex aëre cum ſanguinis vapore commixto, ut facultas vitalis conſervetur, & naturalis calor in ſua temperie cuſtodiatur. Juxta probabiliorem opinionem ſunt corde calidiores, reliquiſque partibus, ut *tom.* 1. *Reſolut. Medicar.* decrevimus, & tenent Veiga *lib. art. medicinal. cap.* 28. Peramatus *lib. de temper. cap.*6. Sanctacruz *fen.*1.1. *opuſcul.* 3. *cap.* 10. *& opuſc.* 2. *de cauſ. pulſuum*, *cap.* 10. Petrus Garcia *in fen.* 1. 1. *diſp.* 12. *cap.* 1. Andreas Laurentius *lib.* 9. *Anatom. quaſt.*13. tenent & alii Avicennæ commentatores. Quâ præſuppoſitâ ſententiâ, & continuâ eorum generatione, & inevitabili alteratione illorum in omnibus partibus noſtri corporis, dubitatur an mediâ tali alteratione ita valeant reſolvere totas corporis partes & humidum radicale, ut ab illis neceſſariò & inevitabiliter provenire debeat mors naturalis.

Pars affirmativa videtur ſuaderi ex dictis. Nam mors naturalis debet provenire à cauſa neceſſaria, & inevitabili, quæ valet ſuo intenſiori calore continuò reſolvere humidum radicale, & reliquas noſtri corporis partes deſiccare & frigiditatem incompoſſibilem cum vita inducere: Sed talis actio debet tribui parti noſtri corporis calidiori, & quæ continuò nos valet calefacere, quales ſunt ſpiritus vitales: Ergo illis per ſe tribuendum, quod ſint neceſſaria cauſa mortis naturalis.

Secundò: Actio calefaciendi, & reſolvendi humidum noſtri corporis, debet tribui potentiori cauſæ calefacienti, quæ reperitur in illo. Sed ſpiritus vitales ſunt hujuſmodi: Ergo illis tribuendum, quod ſint inevitabilis cauſa mortis naturalis.

Tertiò: Ideo admittitur, quod ſpiritus vitales ſunt calidiores reliquis corporis partibus, quia à natura ſunt deſtinati, ut adaugeant, & conſervent omnium partium calorem: ergo ſi quid valet reſolvere reliquas partes, id tribuendum ſpiritibus vitalibus, à quibus omnes calefiunt.

§. II.

Poſſunt vitales ſpiritus eſſe cauſa coadjuvans mortis naturalis.

Reſolvendum, quod calor ſpirituum vitalium eſt cauſa coadjuvans calidi innati reſolutionem, non inevitabilis cauſa, ſicut innatus calor. Sic *tom.* 1. *Reſolut. Medic.*

Probatur: Cauſa per ſe intenta à natura, neceſſaria, & inevitabilis eſt, à qua non poteſt non fieri continuò reſolutio humidi radicalis, quæ eſt efficiens diverſæ mutationis ætativæ: Sed ſpirituum vitalium calor non neceſſariò, & inevitabiliter eſt reſolutivus noſtri humidi radicalis, etiamſi ſpiritus petant eſſe corde calidiores: Ergo tantùm poſſunt eſſe cauſa coadjuvans, quatenus coadjuvant conſervationem caloris innati, à quo fit inevitabilis reſolutio.

Probatur minor: Calor ſpirituum intra ſtatum naturalem remittitur ab aëre attracto pulſu, & reſpiratione ad eam intenſionem, quæ eſt proportionata viventi, ut per illam conſervetur nativus calor partium.: Ergo ſpirituum calor manet proportionatus nativo calori.

Probatur ſecundò: Calor innatus eſt partibus inſitus, & proportionatus, ut tanquam per ſe intentus ſit debita diſpoſitio permanens in ipſis partibus. Calor influens ſpirituum eſt ab extrinſeco in partibus communicatus in ſubſidium nativi caloris: Ergo actio conſervandi & reſolvendi inevitabiliter per ſe primò proprio partis calori, & innato debet tribui per ſe; influenti verò calori tanquam coadjuvanti.

§. III.

Solvuntur primò poſita dubitandi rationes.

Ad primam reſpondetur, quod cùm unumquodque operetur ſecundùm id quod habet in actu, licèt potentiâ ſpiritus vitales ſint calidiores reliquis, non tamen in actu; quia impeditur caloris pullulatio in illis ultra debitam moderationem ab aëre pulſu, reſpiratione, & tranſpiratione attracto.

Ad ſecundum reſpondetur, quod cauſa actu calida eſt potentior ad calefacien-

dum, quàm cauſa calidior in potentia; & ideò à calore innato actuali potiùs quàm ab ſpirituum potentiali fit actio calefaciendi, & reſolvendi. A

Ad tertiam reſpondetur, quod ſpirituum calor per hoc fovet calorem innatum, quia in illis remittitur frigiditas aëris ambientis, à qua ſi non remitteretur, impediretur pullulatio debiti caloris in partibus; & ideo ſemper partes manent cum ſuo innato calore, niſi à cauſis præternaturalibus impediatur hic naturalis naturæ ordo in producendo & conſervando in omnibus partibus proprium innatum calorem.

Resolutio XIII.

Utrum in mixtis non viventibus ſit cauſa interitus naturalis commixtio partium materialium elementorum.

§. I.

Proponitur fundamentum Reſolutionis.

Omnia entia naturalia phyſica ſunt corruptibilia; conſtant enim ex materia & forma. Materia prima eſt principium corruptionis ob innatum appetitum ad omnes formas naturales; & cùm tantùm ſit potentia paſſiva, aliæ determinatæ cauſæ corruptionis ſuperadditæ ſunt, quas docuit Ariſtoteles dicens, *generationes, & corruptiones opus ſunt primarum qualitatum.* Ab iis provenit mors naturalis hominis modo quo diximus: Entia naturalia non Viventia, aut ſunt elementa, aut mixta: Elementa, cùm ſint corpora ſimplicia, non habent ſui interitus cauſas internas inevitabiles, ſed ſunt locata juxta ſua contraria, à quibus invicem corrumpuntur ſecundùm aliquas ſuas partes. Mixta non viventia non ita ſunt contigua contrariis corrumpentibus, & ideo debuerunt in ſe habere principia ſuæ corruptionis & interitus naturalis. De iis dubitamus, an hæc ſint partes materiales elementorum, ex quibus mixtum componitur, ita ut ſicut viventia, quorum eſſe, & permanentia ſtat ex Ariſtotele in permanentia calidi in humido, & ab illis neceſſariò interimunt; ita mixta, quorum eſſe ſtat in miſcibilium alteratorum unione, prout informantur forma mixta ſubſtantiali, ab illis etiam neceſſariò corrumpantur, eorumque interitus inevitabilis ſtet in ipſis partibus materialibus, ex quibus componuntur.

Pro horum intelligentia recurrendum ad ea quæ diximus *tom. 1. Reſol. Medic. ſect. 2. de remanentia partium materialium element. in mixtis*, ubi decrevimus, quod ſicut anima nequit informare niſi corpus organicum, ita nec forma mixta niſi corpus mixtum compoſitum ex materiis omnium elementorum, à quibus determinatur forma mixta ad producendnm in unaquaque parte elementali qualitates ſuo elemento debitas, à quibus dubitamus an ſit inevitabilis formæ corruptio?

B Pars negativa fulcitur ex Durando *in 2. diſtinct.* 30. *quæſt.* 1. *num.* 5. contra admittentes elementa manere formaliter in mixto, à quibus fiat illius corruptio: cujus ratio opponitur etiam noſtræ opinioni, ſic: Si ab iis qualitatibus fieret mixti corruptio, talis actio tantùm poteſt intelligi duobus modis; aut ita ut una qualitas agat in aliam contrariam, ut calor in frigus; vel ut agat in aliam non contrariam, ut calor in humidum: Sed non primum, quia idem non agit in ſeipſum; & calor, &
C frigus ſunt una tantùm qualitas, quia ſunt in uno numero ſubjecto, à quo individuantur, & fiunt unum numero. Nec poſſunt dici diverſæ ſecundùm eſſentiam, aliàs duo contraria eſſent ſimul in eodem ſubjecto: quod repugnat.

Probatur ſecundò, quod calor in eodem ſubjecto non agat in qualitatem diverſam, ſcilicet in humidam. Nam qualitates primæ inter ſe dicuntur agere, quatenus contrariæ ſunt, & mutuò ſe valent corrumpere: quod nequit contingere in-
D ter calorem, & humiditatem, quæ non ſunt contrariæ.

Probatur tertiò: Qualitates primæ ſub forma mixta ſunt remiſſæ: ergo nequit una in aliam agere, & illam corrumpere, aliàs intenderetur, & fieret incorruptibilis in mixto: Ergo nequit mixtum corrumpi à ſuis qualitatibus.

§. II.

Calor partium miſcibilium quid agat ad corruptionem viventium.

E Reſolvendum, quod licèt vivens corrumpatur inevitabiliter à calido innato, juvat tamen partium miſcibilium calor ad ejus interitum.

Probatur primò ex D. Thoma *in 3. diſtinct. 16. quæſt. 1. art. 1.* dicente: *Neceſſitas moriendi partim homini eſt à natura quidem, quia corpus hominis compoſitum eſt ex contrariis, quæ nata ſunt agere & pati ad invicem.* Ergo hominis mors naturalis

coadju

coadjuvatur à contrariis miſcibilibus.

Probatur ſecundò: Partes materiales elementorum in non viventibus ſufficiunt ad illorum naturalem interitum, ut jam probavimus: ergo in viventibus ſaltem juvabunt.

§. III.

Mixtorum non viventium ponitur cauſa naturalis interitus.

Reſolvendum ſecundò, quod mixtæ elementorum partes ſunt inevitabilis cauſa naturalis interitus in non viventibus.

Probatur primò ex Ariſtotele *lib. 1. de cælo, cap. 12.* ubi probat, quod omne generabile eſt corruptibile, ſic: *Corruptibilia enim, generabilia, & alterabilia ſunt univerſa; alterantur autem contrariis, ex quibus conſtant ea quæ ſunt naturâ, ab iis ipſis & corrumpuntur.* Ergo mixta ab internis contrariis habent interitum.

Probatur ſecundò ex D. Thoma *3. part. quæſt. 14. art. 3. ad 2.* dicente: *Ad ſecundum dicendum, quod cauſa mortis, & aliarum corporalium diſpoſitionum eſt duplex in humana natura: una quidem remota, quæ accipitur ex parte principiorum materialium humani corporis, in quantum eſt ex contrariis compoſitum.* Ex quibus apparet, corpora corrumpi, quia ex contrariis ſunt compoſita.

Probatur tertiò ex D. Thom. *in 4. diſtinct. 47. quæſt. 2. art. 1. quæſtiunc. 1. ad 3.* dicente: *Corpus mixtum excedit ſimplex in perfectione; corpus ſimplex excedit mixtum* D *quantum ad perpetuitatem durationis, quia non habet à ſeipſo unde corrumpatur, niſi ejus corruptio fiat ab aliquo extrinſeco: corpus autem mixtum in ſeipſo habet cauſas ſuæ corruptionis, ſcilicet operationem contrariorum.*

Probatur quartò: Contraria poſita intra ſphæram ſuæ activitatis mutuò debent inter ſe agere: Sed in mixti compoſitione ex omnium elementorum partibus, ſunt partes materiales omnium elementorum cum ſuis qualitatibus intra activitatis ſphæ- E ram mutuò ſe tangentes: Ergo debent inter ſe agere mutuò ſe corrumpendo. Patet ex loco citato.

Probatur tertiò: Sic ſe habent in pugna partes miſcibilium in mixto, ſicut calidum innatum cum humido radicali in vivente: Sed calidum innatum tandem humidum radicale reſolvit, & vivens ducit in interitum: Ergo & calor mixti agendo in ejus partes mixtas humidas.

§. IV.

Solvuntur fundamenta adducta ex Durando.

Ad primum reſpondetur, quod calor ſub forma mixta agit in frigus tanquam in ſuum contrarium, remittendo illud, & inter ambo fit contraoperantia: & quia reſolutio eſt effectus ſecundarius caloris, ſimul reſolvit humidum, & inducit ſiccitatem. Nec inconvenit, quod duo contraria ſint in eodem ſubjecto in B gradibus remiſſis, imò eſt neceſſarium: nam ſi non remitterentur qualitates per contrarias, intenderentur in ſummo, & ſupervenirent forma ſui elementi. Nec videtur digna Durandi ratio contendens quod calor & frigus, quia ſunt in eodem ſubjecto, debent eſſe unum numero accidens, aliàs omnia hominis accidentia eſſent unum numero accidens, & riſibilitas in Petro eſſet calor, albedo, frigus, & reliqua illius accidentia.

Ad ſecundum reſpondetur, quod calor C agit in frigus per ſe, tanquam in ſuum contrarium; in humidum per accidens reſolvendo ſubſtantiam in qua inhæret.

Ad tertium reſpondetur, quod in qualibet parte mixta adæquata ſunt materiæ omnium elementorum, ſimul & qualitates: & licèt in ſua parte elementali ſit cuilibet remiſſa qualitas, in illa eſt intenſior, quàm in reliquis, & ita eſt aptior ut agat in illas.

RESOLUTIO XIV.

Utrum per mortem corporis corrumpantur omnes formæ viventes.

§. I.

Proponuntur varii ſentiendi modi, & opinantes.

Mortem corpoream diximus eſſe vitæ terminum, ſeu animæ deunionem à corpore: hæc deunio poteſt fieri, vel quia anima præſtans vitam corrumpitur, & materiâ illâ deficiente, tranſit ad aliam formam; vel quia anima quæ informabat materiam, deunitur, & ſeparatur ab illa; permanet tamen ſine eo quod per deunionem corrumpatur. Antiqua fuit controverſia de hac re in omnibus Philoſophorum Ethnicorum ſcholis, in Hebræorum ſectis, & in Catholicorum Decretis continuata. Tullius in Tuſculanis quæſtionibus tenet, quod Pherecides Philoſophus, qui

qui vixit regnante Tullio Hoſtilio, fuit primus qui dubitavit, an omnis anima, & præcipuè rationalis, in morte corporea omninò amitteret eſſe, an ſeparata ab illo corpore ſubſiſteret? Pythagoras Tarquinio Superbo regnante in Italiam tranſtulit eandem diſputationem. Zoroaſtes illam propoſuit apud Perſas, tandemque totum per orbem divagata, apud Ethnicos, Judæos, & Catholicos, & præcipuè apud hæreticos vario modo fuit recepta.

Prima opinio, ſive impius error eſt, quod per mortem corporis omnes animæ vegetativæ, ſenſitivæ, & rationales per mortem corrumpuntur, ſeu potiùs diſſolvuntur, & præcipuè de anima rationali conantur ſuadere, quod ea ipſa die, & inſtanti, quo moritur homo, ipſa anima rationalis interit, & quaſi fumus, aut ventus evaneſcit, & diſſipatur, nec uſquam ulterius eſt aliquid. Inter Ethnicos antiquus fuit hic error, ſed impiè illum conatus eſt comprobare Dicæarchus in tribus libris, quos inſcripſit Liſbyaticos, quem ſequuti ſunt Ethnicorum plures: ſed maximi tutelares mortalitatis fuerunt Sadducæi. Poſt illos plures hæretici ſequuti ſunt eundem errorem, quos refert & refutat D. Auguſtinus *lib. de hæreſibus, num.* 83. Subſequuti etiam ſunt Atheïſtæ, & clam omnes hæretici noſtræ ætatis, qui animæ immortalitatem credentes, non verentur varias profiteri ſectas, prout in illis proprias temporales commoditates inveniunt.

Secunda opinio eſt communior, quæ aſſerit, quod ſit mors non per hoc, quod in illa omnis anima intereat, & reſolvatur in nihilum, ſed præcipuè in homine per hoc, quod anima deuniatur à corpore, & ſeparata ab illo permaneat, ac ſubſiſtat. Sic admittebant antiquiores Philoſophi Ethnici, inter quos fuerunt Pherecides, Pythagoras, Triſmegiſtus, Diogenes, Thucidides, Thales Mileſius, Zoroaſtes, Anaxagoras, Aratus, Proclus, Numerius, Theocritus, & alii, quos citat & ſequitur Cicero *lib. 1. quæſt. Tuſculan.* Sequuti ſunt Stoïci; ſed non fuerunt uniformes in determinando loco, in quo reſident animæ, quæ ſeparantur à corpore poſt mortem, & permanent ſubſiſtentes. Aliqui Stoïcorum nullum pro illis determinantes locum dicebant, quod mane ant ſeparatæ à corpore, & quod paulatim conſumebantur, exceptis ſapientum animabus, quæ durabant uſque ad mundi interitum. Pythagorici omnes animas judicabant permanere, tam vegetati-

A vas, quàm ſenſitivas & rationales, illaſque per mortem tranſire ab uno corpore in aliud, ita quod anima hominis tranſiens in piſcem fiebat piſcis, & leo tranſiens in materiam leonis; & quæ erat leo, tranſie s in hominem, fiebat homo, ſi aptam pro illo informaret materiam.

Reliqu Philoſophi admittebant animas ſenſitivas, & vegetativas per mortem corrumpi, & diſſolvi, & ſolam animam rationalem in morte hominis ſeparari ab illius corpore, & permanere ſubſiſtentem B per ſe. Sic docuit tenaciter Plato *Dialogo de anima immortalitate, in Timæo, in Philebo, in Manone, & in lib. de Republica,* in quibus aſſignans locum, in quo permanet anima rationalis ſeparata à corpore, tria aſſignat loca, in quibus perſiſtat in ſtatu ſeparationis, juxta merita, aut demerita ipſius, dum permanſit in corpore.

Catholici unanimi conſenſu fatemur, animas ſenſitivas, & vegetativas per mortem interire, & diſſolvi; mortem tamen hominis provenire, quia anima rationalis C ſeparatur à corpore, & quod illa permanet ſubſiſtens per Dei æternitatem juxta propria merita, aut demerita in inferno, in purgatorio, aut aut in cœlis: & hæc veritas de Fide habetur apud Catholicos recepta à Conciliis, à Sanctis Patribus, & Expoſitoribus ſacræ Scripturæ, & ex variis locis ſacræ Paginæ id atteſtantibus, ex quibus illam conteſtantur. Concilium Lateranenſe ſub Leone X. *ſeſſ.* 8. ſic ſancivit: *Damnamus, ſacro approbante Concilio, omnes aſſerentes animam intellectivam eſſe mortalem.* D Et ſic etiam Concilium Viennenſe ſub Clemente V. & refertur *in ſecunda Clementina de Trinitate & Fide Catholica.* Determinatur etiam receptum ab univerſa Catholica Eccleſia, quod rationalis anima per mortem deunita à corpore immortalis remaneat. Deducunt Sancti Patres hanc veritatem ex ſacræ Paginæ variis locis: ex Geneſi *cap.* 37. Job *cap.* 21. Eccleſiaſt. *cap.* 2. Sapientiæ 1. *à cap.* 2. *ad* 5. Machabæorum 2. & aliis in locis. Subſcribunt, & approbant Patres Sanctæ Eccleſiæ ex aliis pluribus locis no- E vi & veteris Teſtamenti.

§. II.

Qualiter hæc veritas lumine naturali fuerit cognita.

RESolvendum, quod lumine etiam naturali cognoſcitur, quod per mortem corporis animæ vegetativæ, & ſenſitivæ deſinunt eſſe per corruptionem, aut diſſolutionem:

lutionem : anima verò rationalis deunita à corpore permanet immortalis, & per ſe ſubſiſtens in æternum in cœlis, aut in inferno, vel per aliquod tempus in purgatorio.

Probatur prima pars, quod per mortem corporis deſinant eſſe, & diſſolvantur vegetativæ, & ſenſitivæ animæ brutorum. Tum quia cum Ariſtotele ab omnibus receptum eſt, quod omne eſſe eſt propter operari : ſed hujuſmodi animæ irrationales non habent operari, niſi dum informant corpus materiale, & mediis organis, & potentiis quæ in illis ſolùm reperiri ſolent : ergo cùm per mortem privantur ſuis operationibus, privantur ſimul & ſuo eſſe.

Probatur ſecunda pars, quod mors hominis fiat per deunionem animæ rationalis à corpore permanentis immortalis: primò à Platone acerrimo defenſore immortalitatis animæ rationalis, qui ut tenet Eugubinus *lib. 9. de perenni Philoſophia, in dialogo de anima immortalitate*, inquit : *Iuſtum eſt ſceleſtos homines poſt obitum ſuorum criminum pœnas dare*. Ex quibus verbis deducitur, quod Deus debuit, cùm ſit juſtus, creare animam rationalem immortalem, ut præmia, aut ſupplicia, quæ meretur in hac vita, percipiat in alia, ſi in hac non perceperit. D. Clemens *lib. 3. recognitionum*, affirmat quod D. Petrus hanc etiam demonſtravit doctrinam, dicens : *Deus juſtus eſt, anima immortalis eſt*. Quod demonſtrat D. Clemens evidenti conſequentia : Deus eſt juſtus : Ergo anima rationalis eſt immortalis. Patet conſequentia; nam ut inquit Job *cap. 21.* ſtudioſi homines in hac vita frequentiùs adverſa patiuntur; improbi verò proſperè habent : ergo anima debet eſſe immortalis, ut Dei juſtitia exerceatur.

Probatur ſecundò ex phyſicis principiis. Nam anima rationalis eſt ſubſtantia, cùm det homini eſſe ſubſtantiam : eſt per ſe ſubſiſtens, quia eſt apta per ſe operari, & intelligere independenter à corpore; apta enim eſt producere intellectionem ſpiritualem, ad quam nequit concurrere ſubſtantia corporea, utpote imperfectioris naturæ. Eſt etiam anima rationalis ſpiritualis, quia ſui actus ſpirituales ſunt, cùm poſſint terminari ad objecta ſpiritualia, quæ materialis potentia non attingit, ſicut nec actus liberos, quales exercet anima rationalis : Ergo mors hominis fit per animæ deunionem.

Probatur tertiò : Nam appetitus ad fruendum beatitudine eſt homini inſitus, A & naturalis : Sed non poteſt conſequi in vita corporali : Ergo debet poſt illam remanere anima rationalis, ut fruatur illâ. Probatur major ab experientia in omnibus, & præcipuè in aliquibus, qui ob fruendam beatitudinem mortem deſiderarunt : & D. Paulus ob eandem cupiebat diſſolvi.

Probatur quartò, per mortem animam rationalem permanere ſeparatam à corpore, & ſubſiſtentem, & hoc cognoſci lumine naturali. B Nam Philoſophi Ethnici ſuprà enumerati, cum Pherecide, & Platone ſic profitebantur ſolis phyſicis fundamentis convicti : quod & per reliquas ætates aliis contigiſſe fatentur hiſtorici. Phocilides in ſuis præceptis docuit animæ immortalitatem : illam atteſtari ſunt Epicharmus, ut tenet Clemens Alexandrinus : Socrates, ut tenet Eraſmus *declamatione de morte* : Porus *lib. 4. cap. 10.* Philiſtius, ut tenet Max. *ſerm. de anima*: Agytius, ut tenet Nicephorus *lib. 11. capit. 45.* & plurimi alii. C Fortunius Licherus librum conſcripſit de animæ immortalitate, in quo per totum probat, ab Ariſtotele illam fuiſſe non ſolùm cognitam, ſed innumeris locis demonſtratam.

Probatur quintò : Forma hominis ex ſua natura eſt immortalis, quia non educitur de potentia materiæ, ſed fit à Deo ſubſiſtens & ſpiritualis, ut probat D. Thomas *lib. 2. contra Gentes, cap. 87.* Nam omnis ſubſtantia producitur, aut generatur per ſe, aut per accidens, aut creatur : Sed animæ rationales non generantur per ſe, D cùm non conſtent ex materia, & forma; nec per accidens, quia cùm ſint formæ corporum, orirentur per eorum generationem ex virtute ſeminis, & eſſent quid poſterius ad ſuum ſubjectum, quod fit tale per formam. Favet quod cùm hæ formæ præſtent reliquis formis dignitate, debent eſſe illis præſtantiores & ſubſiſtentes, & per creationem à Deo factæ, ſicut Angeli : Sed formis ſic à Deo creatis ex nihilo debetur ex natura ſua perpetua duratio, ita ut à nullo agente naturali poſſint E corrumpi, niſi à ſolo Deo per ſuam abſolutam potentiam, ſicut ob eandem rationem id debetur Angelis : Ergo per mortem hominis anima rationalis nequit corrumpi, aut deſinere; ſed deunita, & ſeparata à corpore manet immortalis & ſubſiſtens.

Probatur ſextò : Forma hominis eſt ſpiritualis : ſed forma ſpiritualis non dependet à corpore, ut apparet in omni ſpirituali forma : Ergo ſeparata per mor-

tem & deunita permanet & ſubſiſtit. Probatur major. Intellectus eſt accidens & potentia reſultans ex anima rationali: ſed intellectus eſt potentia, & entitas merè ſpiritualis: Ergo anima à qua reſultat, ſpiritualis debet eſſe; à re enim materiali nequit ens ſpirituale fieri, quia nemo dat quod non habet. Probatur ultima minor. Tum quia ſi intellectus eſſet potentia corporea, eſſet organica, ſicut reliquæ corporeæ potentiæ, & ſuo organo affixa. Tum quia haberet determinatum objectum ſui ordinis, ultra quod nequiret B progredi: ipſe autem omne cognoſcibile attingit. Tum quia ſi eſſet materialis, non poſſet attingere niſi objectum materiale, ultra quod etiam ſpiritualia attingit: ergo eſt potentia ſpiritualis.

Probatur ſeptimò: Animæ rationali eſt naturale, quod per mortem deuniatur, & ſeparetur à corpore: Ergo per mortem naturaliter deunitur, & ſeparatur ab illo.

Probatur antecedens: Anima rationalis ex ſua natura eſt immortalis, & per- C petua, ut nuper probavimus: Ergo naturaliter eſt debita illi perpetua conſervatio in ſuo eſſe. Sed proprium ejus eſſe in corpore corruptibili non poteſt conſervari, niſi illo corrupto ſeparetur ab illo: ergo eſt illi naturale quod per mortem deuniatur, & ſeparetur ab illo.

SECTIO TERTIA.

De Morte repentina, & de primis illius gradibus, lipothymia, & ſyncope.

MORS, ut patet ex dictis, alia eſt naturalis, cujus tradidimus cauſas: alia eſt violenta, quæ ante mortem naturalem à violentis valet cauſis ſupervenire. Hæc alia eſt paulatina, quæ paulatim ab illis provenit: alia eſt repentina, quæ repentè, & quaſi E improviſa accidit. Repentina hæc mors alia eſt manifeſta, quæ repentè provenit à cauſis manifeſtis, quarum plurimas jam ſuprà enumeravimus: alia eſt mors repentina occulta, quæ repentè provenit ab occultis cauſis ſubitò extinguentibus cordis vitalem calorem; de qua, & de illius cauſis agendum reſtat in hac, & ſubſequente Sectione. Habet hæc mors quoad uſum medicum tres gradus, nam A aut eſt in termino, in quo nullam admittit curationem, aut in fieri, & ſic aut in principio, & dicitur lipothymia; aut in augmento, & dicitur ſyncope, quæ ut ſic curationem aliquam admittit: & de iis ſub hac agemus Sectione.

RESOLUTIO I.

Quid ſint Lipothymia, & Syncope.

§. I.

Quid protulit Galenus pro explicandis iis affectibus.

ULtimus gradus mortis repentinæ, qui eſt terminus ſyncopis, vocatur mors repentina, de qua non tradit definitionem Galenus, attentus ad explicandos antecedentes gradus, qui admittunt curationem. De lipothymia, quæ eſt primus gradus, inquit *lib. 1. ad Glaucum, cap.* 14. quod eſt ſyncope imperfecta, & ab illo docetur, quod ſyncopen ſemper præcedit, ſicut ſyncope præcedit repentinam mortem occultam. De ſyncope agit *lib. 12. methodi, cap. 5. & lib. 1. ad Glauc. cap.* 14. definitque illam dicens, quod eſt *præceps virium lapſus*. Lipopſychiam lipothymiam diminutam eſſe contendunt aliqui: plures ſunt qui tenent non differre niſi in nomine; nam animi defectio apud Hippocratem ſumitur pro lipothymia, ut patet *ex 2. aphor.* 41. dicente: *Qui frequenter, & fortiter abſque cauſa manifeſta animo linquunt, repentè moriuntur.* D Ubi animo linquere ſumit pro lipothymia.

§. II.

Animi deliquii, ſeu lipothymiæ ponitur definitio.

REſolvendum, quod lipothymia eſt repentina imminutio virtutum ſenſitivæ, & motivæ, propter debilitatem caloris vitalis cordis. Differt à ſyncope, in qua eſt earum privatio. Dicitur, *ob debilitatem caloris cordis*, ex cujus imminutione, ſeu frigiditate ſubſequuta neceſſe eſt imminui actiones ſenſitivas, cognoſcitivas, & locomotivas, tum defectu vitalis caloris, tum defectu illuſtrationis communicandæ ab ſpiritibus animalibus, qui deficiunt defectu vitalium, ex quibus deberent generari: eſt tamen prima origo debilitatis, aut deſtructionis vitalium actionum cordis debilitas, à qua proveniunt

ſpiritus

ſpiritus vitales. Ex quo colligitur, quod ii affectus proveniant ab extinctione caloris naturalis: hæc provenit à frigiditate, vel à calore præternaturali extinguente naturalem, ut tenet Galenus *comment. 4. in 6. epidem. text. 17.* & hæc caloris extinctio adhuc facta à præternaturali calore vocatur etiam frigiditas, ut docet Galenus *lib. de marcore, cap. 5.*

§. III.

Proponitur definitio ſyncopis ex Avicenna, & aliis.

RESolvendum ſecundò, quod ſyncope eſt deſtructio plurium virtutum ſenſivæ, & motivæ, propter debilitatem cordis. Sic definit Avicenna *fen. 1. 1. doct. 3. text. 2. cap. 6.* ſuperaddens, *propter debilitatem cordis*, quam omiſit Galenus. Ponit *deſtructionem* pro genere, ſub qua ſunt lipothymia, ſyncope, & mors repentina. *Plurium virtutum ſenſitivæ, & motivæ*, ponit pro differentia, non ſuperaddens virtutes vegetativas, quia non ita breviter conſentiunt. Superaddit particulam, *propter debilitatem cordis*, tanquam formalem ſyncopis rationem, per quam differt à caro, & apoplexia, in quibus deficit ſenſus, & motus, & non ſunt ſyncope, quia non deficiunt ob cordis debilitatem, ſed ob cerebri obſtructionem: non ſuperaddit, quod deſtructio harum virtutum ſit repentina, quia hoc apparet in particula, *ob debilitatem cordis.*

Albertinus aptè definit ſyncopem dicens, quod eſt repentinus caſus actionis vitalis cordis, cum conſequutione repentini caſus actionis ſenſitivæ, & motivæ, ob frigidam affectionem ejus innati calidi.

RESOLVTIO II.

Quæ ſint cauſæ lipothymiæ, & ſyncopis.

§. I.

Proponitur proxima cauſa lipothymiæ, & ſyncopis.

ALbertinus, & reliqui proximam cauſam lipothymiæ & ſyncopis tenent eſſe cordis frigiditatem: hanc duplicem admittunt, aliam poſitivam à frigiditate actuali productam, aliam privativam provenientem à præternaturali calore cor-

A rumpente calorem nativum, non in eſſe caloris, ſed in eſſe naturalis, per cujus corruptionem tenent provenire frigiditatem in corde nocivam vitalibus actionibus: quod comprobant ex pulſibus, qui fiunt parvi, tardi, & rari adhuc in vehementiſſimis febribus.

Reſolvendum tamen, quod lipothymiæ, & ſyncopis proxima, & immediata cauſa eſt defectus vitalis caloris, qui penetrabat communicari ab ſpiritibus vitalibus cordi, & reliquis corporis partibus: non

B totalis defectus, nam jam eſſent in termino, & fieret repentina mors; ſed remiſſus, ita ut licèt vitam conſervare valeat, cum tanto tamen diſpendio, ut natura vel non habeat ſpiritus, quos poſſit impartiri reliquis partibus à corde, ſed potiùs illos pro vita conſervanda ad ſe tanquam ad vitæ principium cor attrahat à reliquis partibus per pulſificam facultatem, quibus in cor retractis, defectu illorum, & caloris in illis neceſſarii pro ſuis actionibus, imminuuntur ſenſitivæ, & locomotivæ actiones illarum, & ſimul quia retra-

C ctis à cerebro, vel non communicatis vitalibus ſpiritibus, deficiunt in illo neceſſarii pro generandis ſpiritibus animalibus, quibus deficientibus deficit in partibus illuſtratio requiſita pro actionibus ſenſitivis, & locomotivis.

§. II.

Proponuntur cauſæ remota generica lipothymiæ, & ſyncopis.

D RESolvendum ſecundò, quod defectus ſpirituum vitalium, & vitalis caloris poteſt provenire ex quadruplici genere cauſarum: vel quia ſpiritus vitales non generantur in ſufficiente copia: vel quia jam geniti diſſipantur, & evacuantur: vel quia præternaturaliter alterantur, & corrumpuntur: vel quia ſuffocantur, & obſtruuntur. Sic philoſophantur Juniorum doctiores.

Patebit hæc doctrina ex dicendis ſectione ſequenti, in qua latiùs agemus de cauſis particularibus mortis repenti-

E næ, quæ eædem ſunt ac cauſæ lipothymiæ, & ſyncopis.

RESOLVTIO III.

Qualia ſint ſigna lipothymiæ, & ſyncopis.

§. I.

Proponuntur ſigna per quæ diſtinguuntur lipothymia, & ſyncope ab aliis affectibus.

REſolvendum primò, quod ſunt aliqua ſigna, per quæ lipothymia, & ſyncope differunt ab aliis affectibus.

Probatur: nam ſyncope licèt conveniat cum apoplexia in eo, quod in utraque deficiant operationes ſenſitivæ motus, & ſenſus, differunt tamen: Tum quia in ſyncope mutatur faciei color in viridem, ſubalbidum, aut plumbeum; in apoplexia non mutatur, & ægri apparent dormire. Tum quia in ſyncope reſpiratio apparet parva, & in pleriſque nulla; in apoplexia eſt major. Tum quia in apoplexia nulla ſervatur memoria eorum, quæ offeruntur in illa; eſt enim omnimoda privatio ſenſus, & motus: in lipothymia, & ſyncope licèt ſit caſus virtutum, non abolitur memoria, ſed tranſacto accidente referunt patientes quæ in illo offerebantur. Tum in apoplexia eſt ſtertor, non lipothymia & in ſyncope.

§. II.

Proponuntur ſigna per quæ lipothymia, & ſyncope inter ſe differunt.

REſolvendum ſecundò, quod ſua ſunt ſigna per quæ differat lipothymia à ſyncope.

Probatur: Tum quia inter ſe differre ſecundum magis, & minus, docet Galenus *lib.* 12. *Methodi, cap.* 5. *& lib.* 1. *ad Glaucum, cap.* 14. Tum quia in ſyncope apparet frigiditas totius corporis, & ſudor diaphoreticus, ſeu ſyncopticus; non verò in lipothymia, in qua ſudor deficit, & ſi quæ ſit frigiditas, tantùm percipitur in extremitatibus. Tum quia in lipothymia ſi E quandò accidat ſudor; non pervenit ad frigiditatem, ſed calidus apparet circa faciem, frontem, aut tempora, & ſi circa pectus, jam tranſit ad ſyncopem, quæ confirmatur ſuperveniente frigiditate, ut docet Galenus *lib.* 1. *prognoſt. textu* 16. & ſtatim ſequuntur abolitæ actiones omnium ſenſuum, quæ priùs erant diminutæ; vel ſaltem imminuitur actio viſus & auditus, & ſit pulſus parvus, & debilis, & A paulò poſt tardus, & rarus, & tandem deficiens. Tum in lipothymia omnia hæc ſigna tantùm perveniunt ad imminutionem, non ad ablationem; in ſyncope ad totalem ablationem. Tum lipothymiæ ſunt ſigna quæ illam proximam eſſe denunciant, quòd patientes fiant puſillanimes, præcipuè fœminæ, aut virgines menſtruantes, aut gravidæ: contingit etiam in illis, qui ſunt raræ contexturæ, & melancholici, quibus advenit improviſa anxietas, aut multiplex animi perturbatio, aut varioB rum colorum mutatio in facie, aut pulſuum differentiæ.

RESOLVTIO IV.

Utrum ſint aliqua ſigna cauſarum lipothymiæ, aut ſyncopis.

§. UNICUS.

Proponuntur aliqua ſigna cauſarum harum affectionum.

C REſolvendum, quod ſunt plura ſigna, quæ valent plures cauſas lipothymiæ, & ſyncopis manifeſtare.

Probatur primò: Tum quia ſi hæ affectiones proveniant à cauſa calida, ſive ab intemperie, aut hæc eſt ſine affluxu humoris, aut cum illo; ſi ſine affluxu, demonſtrant illam præcedens ingens caleſactio totius, aut partis conſentientis cum corde, præcedens magna reſpiratio, pulſus magni, celeres, & crebri, ex Ga-D leno *de cauſis pulſuum, cap.* 5. niſi impediat arteriæ durities, aut debilitas facultatis; ſubſequitur ante ſyncopem pulſus parvitas, tarditas, & frequentia; proximè ſubſequitur ſyncope. Tum ſi caliditas, quæ eſt cauſa ſyncopis, eſt cum præſentia materiæ, apparent externa ſigna peccantis humoris in partibus, in quibus prædominatur: ſi in internis, affectus ortus ex illis cognoſcitur ex læſa actione partis patientis: ſi materia ſit vaporoſa, extra paroxyſmum cor ſine gravitate remanet, & calor ſentitur vaporoſus. Tum ſi caliditas provenit ex humorum putredine, apparent ſigna febris putridæ; ſi ex humoroſa ſubſtantia, permanet calor in corde extra paroxyſmum, & in toto corpore, cum gravitate, & cum inæqualitate pulſus. Tum ſi ſyncope proveniat à frigiditate, oſtendunt illam ſigna frigidorum affectuum, ſi æger permanſit in frigidis locis, ſi fuit timore obrutus, ſi in nive detentus, aut glacie, aut bal-

neo

tieo aquæ frigidæ, aut ſi frigidis cibo, & potu ſe æger ingurgitavit.

Probatur ſecundò, quod ſunt ſigna quæ oſtendunt an ſyncope, aut lipothymia pendeat à cauſis per eſſentiam, aut per conſenſum. Tum quia lædi per eſſentiam oſtendit, quòd æger frequenter laboret ſyncope, & breviſſimo tempore interficiatur. Tum patet, quod laboret per conſenſum, quòd per intervalla accidat paroxyſmus, vel non continuò affligat. Tum ſi cor patitur per conſenſum cum pulmone, inde cognoſcitur à calore, quòd ſit per omne corpus calor, aut ingens in pectore cum maximo incendio, ſint pulſus maximi, celerrimi, creberrimi, & tranſacto paroxyſmo manet pectoris incendium, calida reſpiratio, ingens ſitis, faucium uſtio, ac aſperitas. Tum ſi vitio ventriculi cor patitur à calore, eſt ſitis ingens, quæ reſpiratione non ſedatur, ſed potu, & cibo frigidis, & fit in ventriculo morſus: ſi fit vitio fundi ventriculi, vitiatur coctio, generantur pravi ſucci, bilioſi, corrupti. Tum ſi cor conſentit cum ſepto tranſverſo, illud contrahitur, fit pulſus durus: ſi ſit phlegmon, major eſt difficultas reſpirandi. Tum ſi fit ſyncope per conſenſum ab utero ob inflammationem, major eſt difficultas reſpirandi, ſupra illum apparet dolor, & incendium, & circa lumbos. Tum ſi ob conſenſum jecoris, manet in illo dolor, ſimul & gravitas.

Probatur tertiò ex aliis ſignis. Tum ſi cor compatitur ob ſpirituum defectum, quia non generantur defectu ſanguinis, cognoſcitur ex longis ſanguinis evacuationibus, ex magna inedia, & ciborum defectu, quòd non coquantur, non aſſumantur, non retineantur, quòd chilus non tranſferatur ob obſtructiones ad jecur, quòd non præſtet aptam materiam pro ſpiritibus generandis, ob ſuam pravitatem, aut conjunctam venenoſam, aut malignam qualitatem, quorum ſua ſunt propria ſigna. Tum ſi ſpiritus deficiunt defectu ſanguinis, quia inſenſibiliter fuit evacuatus, cognoſcitur ex cauſis; vel enim provenit evacuatio ob cutis raritatem, vel ob humorum tenuitatem, vel ob utrumque, quæ apparent ex præcedente labore, ex mora in balneo calido, hypocauſto, vel quia eſt febris humoralis minuta, in regione calida ſuperveniens, & ſicca, in æſtate, in complexione calida; & tunc demonſtrant inſtantem ſyncopem, aut deliquium facies Hippocratica, naſus acutus, oculi cavi, tempora collapſa, aures frigidæ

A & contractæ. Tum defectum materiæ remotæ demonſtrant patientis relatio diù ac multùm jejunaſſe; vel ob morbum, ut in bulimo; vel ex defectu coctionis, ut in ſummis cruditatibus ob nimium calorem nidoroſis, in nimia frigiditate acidis, viſcidis, glutinoſis, cum ventris gravitate, & ructibus, ex materiæ chiloſæ corruptione: ſi à cibis, apparet quia illi facilè corrumpuntur: ſi à venenoſa qualitate, aut materia, quia talis occurrit conſtitutio, aut eſt veneni ſuſpicio.

B Tum ſi fit ſyncope, quia alimentum non permeat, demonſtrant ſigna obſtructionum, & impedimenti in viis. Tum ſi fit, quia geniti ſpiritus deperduntur, oſtendunt nimiæ aliorum humorum concitatæ evacuationes, ſivè aliorum ſuccorum, ut puris, aut ſeroſæ ſubſtantiæ, vel quia ſpiritus nimia expanſione reſolvuntur, ut in gaudio. Tum ſyncopis, aut lipothymiæ ſunt ſigna, dùm ſpiritus deficiunt ob ſuffocationem, ſi extra paroxyſmum, quia fit pulſus inæqualis, nunc languidus, nunc

C vehemens, aut celer, aut creber, aut rarus, quæ differentiæ oſtendunt pugnam naturæ cum cauſa morbifica: denotant etiam ſuffocationem recurſus ſuccorum ad cor, ut in metu, & timore, & in vehementiſſimis aliis paſſionibus animæ, aut in ſanguinis ſuppreſſionibus, hæmorrhoïdum, aut lochiorum.

Probatur quartò, quod ſint plura ſigna partium à quibus hæ affectiones fiunt per conſenſum. Tum ſi ſuffocatio ſpirituum pendet ex cruditate ventriculi, & viſce-

D rum, præcedit ventriculi imbecillitas, ſupervenit febris ſyncopalis humoroſa, inflantur præcordia, corpus apparet cum majori mole, cum albicante colore, & cachexia, eſt nauſea ventriculi, eructatio, vomitus, ſunt tormina ventris, & ſi ſucci crudi aſcendant in venas, ſunt urinæ crudæ cum ſedimento craſſo & divulſo. Tum ſi ſuffocatio ſpirituum pendet à materia in venis, ſi hæc eſt ſanguis, ſunt ſigna plenitudinis, & præceſſit plurimus alimentorum uſus aptorum pro generando

E ſanguine: ſi pituita, melancholia, aut bilis redundant, horum humorum redundantem copiam demonſtrant propria ſigna. Tum ſi fovens ſyncopem materia ſit extra venas, de ventriculo tradidimus ſigna; ſi in pulmone, fit difficilis reſpiratio; ſi ob pulmoniam, reſpiratio fit frequens, & difficilis, rubentque genæ; ſi ex aſpera arteria, nec exſufflant, nec calidum ſpiritum emittunt, ſed ſtertere videntur; ſi ſit tumor in pulmone cauſa ſyncopis, non

tantum aëris inſpiratur, pectus dilatatur; ſi fiat abſceſſus, aut inflammatio, ſunt ſigna empiematis, quæ oſtendit exſpuitio, anhelitus, graveolentia, corporis macies & conſumptio, tuſſis, & præcedentes capitis diſtillationes. Tum ſi fiant hæ affectiones ex vaporoſa materia tranſmiſſa in cor, ſi ſint malefici vapores, aut venenoſi, tranſmiſſi per reſpirationem, demonſtrant externæ cauſæ, à quibus elevantur; ſi proveniant ex parte interna, monſtrant ſigna partis affectæ.

Resolutio V.

Utrum aliqua ſit certa prognoſis lipothymiæ, & ſyncopis.

§. Unicus.

Pars affirmativa proponitur, & fulcitur.

RESolvendum, quod ex variis principiis ſumuntur in lipothymia, & ſyncope variæ prædicendi rationes.

Probatur. Tum ex variis gradibus: nam cùm differant penes magis, & minus, & ſic differant à morte repentina, cum qua conveniunt in hoc quod ſint præceps vitium lapſus corde patiente, inter ſe magis, aut minùs approximantur periculo. Tum ratione cauſarum, quia cauſa calida eſt frequentior, & celerior reliquis, ex Galeno 7. *Methodi*, *cap.* 5. Si calida cauſa eſt habitualis, ut in hectica, eſt ſimul incurabilis, ex Avicenna *fen.* 1. 1. *doct.* 3. *cap.* 8. Idem contingit in ſimili æquali intemperie frigida. Sed ſi humores ſint calidiſſimi, & bilis flava, cærulea, æruginoſa, atra intra venas cauſent has affectiones, ut in ardentibus febribus, malignis, aut peſtilentibus, licèt periculum minantur, non ſemper exequuntur illud, ex Galeno 2. *de præſagat ex pulſibus*, *cap.* 5. Tum ſunt lethales ſyncopes, ſi ſæpe accidant ſine manifeſta cauſa, ex Hippocrate 2. *aphoriſm.* 41. Similiter ſi in cordis ventriculis ſit minera, ut contingit in peſtilentibus febribus, proxima eſt mors dum pervenit æger ad faciei viridem colorem, aut plumbeum cum ſudore circa caput & cervicem, qui ſi ſit calidus, minatur mortem; ſi frigidus, ejus proximitatem. Tum ſi ex cordis inflammatione fit ſyncope, velociter mors ſubſequitur, ex Hippocrate 2. *de rat. victus text.* 47. Si provenit à cerebri inflammatione, non ita celeriter futuram prænuntiat mortem. Similiter ſi accidat ex im-

A pactis ſuccis in aliqua parte conſentiente cum corde, ut in pulmone, aut utero. Tum ſi fit ſyncope ab externa caliditate, ut à balneo calido, non omnino eſt incurabilis, ex Avicenna *fen.* 1. 1. *doct.* 3. *text.* 2. *cap.* 8. Tum in ſyncope orta ex frigore variat prognoſis: ſi à frigitate, ſiccitate, & tabe eveniat, eſt incurabilis: ſi ab ingenti cordis frigiditate, ita ut fiant pulſus languidi, tardiſſimi, poſt hæc ſubitò pereunt ægri, ex Galeno 2. *de præſagat ex pulſib. cap.* 4.

B Proximior autem eſt mors cordis corpore per ſe frigiditate laborante, ſi pulſus raritas mutatur in intermittentem; ſi verò frigitas communicatur à cauſa externa, ſæpe ſyncope fit curabilis, ſicut in animi affectionibus. Tum varia eſt prognoſis in iis affectionibus ex aliarum partium conſenſu, ut ſi ex conſenſu ventriculi, aut ejus dolore, fit ſyncope cardiaca, quæ frequens eſt, & citiùs curabilis: ſi ex conſenſu cum utero, non ita citò curatur, nec quæ fit ex hypochondriorum
C conſenſu. Tum ſi fiat ex nimia evacuatione ſpirituum cum ſanguine, aut aliis ſuccis, non ſemper eſt omninò lethalis: fit talis in debilioribus ſubjectis; ideo pereunt hydropici in paracentheſi, & febrientes cum inſenſili tranſpiratione tenuium ſuccorum, ut in ſyncopali minuta; & in bulimo. Tum fiunt lethales dum proveniunt à corruptis humoribus, à peſtilente qualitate, ab aëre corrupto, & ex venenoſo aëre elevato ex immundis locis: ſimiliter ſi deficit materia pro ſpirituum
D generatione. Tum lethalis ſyncope, ſi fit à cauſa ſtrangulationis laqueo, aut ſimili cauſa, præcipuè ſi accidit ſpuma in ore, vel ſine illa, ut in apoplexia.

Resolutio VI.

Utrum aliquæ indicationes curativæ poſſint deſumi in lipothymia, & ſyncope.

E

§. I.

Proponuntur aliquæ indicationes curativæ lipothymiæ, & ſyncopis.

RESolvendum, quod cùm in lipothymia, & ſyncope facultas vitalis cadens vitio cordis ſit cauſa ut ſimul cadant ſucceſſivè reliquæ vitales facultates uſque ad interitum, ab illius caſu ſumitur prima indicatio, quatenus fit caſus à diminutis ſpiritibus, & extinctione vitalis caloris: unde

unde ille calor fovendus, & ne recurrentes ad cor ſuffocentur ſpiritus, vel aliàs expandantur ad extra, præcavendum, & ſimul recurſus, aut expanſio prohibenda.

Probatur neceſſitas ſubveniendi per has indicationes. Tum ratione urgentiæ, & periculi vitæ imminentis in ſyncope, à quacunque fiat cauſa, dum illud demonſtrant imminens pulſus rariſſimus, formicans, obſcurus, aut abolitus, color faciei cum pallore, aut livore, extremorum frigiditate, aut totius corporis, cum ſudore ſyncoptico in temporibus, & thorace, illicò vincit indicatio inſtaurandi vires per ea quæ illas valent ſuſcitare, per ſupinum decubitum, per aſperſiones aquæ frigidæ, aut vini in faciem, per ſternutamenta, per vini generoſi exhibitionem, aut aquæ cinnamomi, vel elixir vitæ, per admotionem ad nares nutrientium vaporum ex vino irrorato in pane recenter ex furno extracto, aut calefacto, per vociferationem, narium compreſſionem, digitorum torſionem, pilorum avulſionem, frictiones, ligaturas, cucurbitulas, ut ſancivit Galemus 12. *Method. cap.* 6. §. *Sic itaque in omnibus hujuſmodi curationibus, ſi jam deprehenſus à ſyncope cubans ſit, omnis ſolicitudo medentis ad ſymptoma vertitur, ut cogamur primò removere ſymptoma quàm morbum.* Tum ſi ſumatur indicatio à frigiditate, & ſpirituum imminutione, proſequenda indicatio inſtaurandi illos per ea quæ celeriter valent calefacere, & materiam pro illis generandis præſtare. Confert maximè vinum generoſum, cruſta panis madefacta in illo abſumpta, alimenta ſorbilia, ut ova, & juſcula, inſtillatitia ex alimentis optimæ ſubſtantiæ, intèr quæ præfertur vinum generoſum à Galeno 12. *Methodi, cap.* 6. §. *Vinum tamen, quod & calidum naturâ ſit, & decoctionem in corpus promoveat, omnibus quos ſyncope male habet, offerre convenit. Conſtat autem ex vinis ea eligenda eſſe, quæ ex flavo colore ſunt, & ſubſtantia tenui, & ætate veteri, talia nimirum & boni odoris continuò fuerint.* Laudatur ferculum ex ovis, ſaccharo, & vino paratum, cum guttulis aquæ cinnamomi; deſiderat enim Galenus id quod magis valet nutrire, 12. *Method.* §. *Curandum itaque eſt, ut quæ ſpiritus ſubſtantiæ portio ab eis defluit, hanc per appoſitionem farciamus.* Tum in aggregatione ſpirituum ad cor indicatur avocatio ad extra metu ſuffocationis: ideo Galenus docet in principiis acceſſionum, ſi refrigerentur extrema, calefacere, & calorem ad extra revocare, crura, & manus fricare, ac alligare. Nec in ſolo mœrore fit retractio ſpirituum, ſed in omni ſyncope: natura enim dum pauci ſunt ſpiritus in corde, ab omnibus partibus illos ad cor retrahit, ut principio vitæ ſuccurrere valeat. Tum ſi deperditur calor ſpiritibus ad cutem expanſis, indicatur retentio; ſi juvat tenuitas, per incraſſantia; ſi juvat pororum apertio, per conſtringentia & occludentia. Præcipuè in animi paſſionibus juxta illas tentanda indicatio; inquit enim Galenus 12. *Method. cap.* 6. *In omnibus perturbationibus animam per ſeipſam moveri ſciendum eſt, quæ nimirum in aliis activis functionibus movet corpus: ob id reſolvitur ejus robur utroque motuum ſuorum genere, ſi modum excedit: ergo nec rarefaciendum corpus, ſi ſpiritus in ipſo retinere ſtudes, ſed nec quæ in eo ſunt, per comeſta, & bibita immodicè extenuanda.* Tum ex variis ſyncopis cauſis variæ ſumuntur curativæ indicationes: ſi à gaudio, inducendus timor, & ſpirituum motus revocandus: ſi à timore, evocandi ſpiritus ad extra, evitanda timoris cauſa, gaudii procurandæ variæ ſortes: ſi à ſanguine, ſanguis mittendus, ex Hippocrate 4. *acutor.* In paroxyſmo ipſo ſi fiat à cauſa frigida, illa vitanda: ſi à ſanguinis penuria, cibi offerendi, & evacuationes ſiſtendæ: ſi ab obſtructionibus, ipſæ aperiendæ.

§. II.

Ex Galeno, & Avicenna ponuntur occaſiones remediorum.

Reſolvendum, quod in ſyncope tota curatio convertatur ad illam, in intermiſſione ad cauſam.

Probatur, quod urgentia ſyncopis totam ad ſe convertat curationem, ex Avicenna *fen.* 1. 4. *text.* 2. §. *Et ſcias quod quandoque aggregantur ſyncope, & febris, & tunc ſyncope eſt dignior curatione.* Et ait Galenus *lib.* 12. *cap.* 6. §. *Ergo in omnibus hujuſmodi curationibus, ſi jam deprehenſus ſyncope cubans ſit, omnis ſolicitudo medentis ad ſymptoma vertitur, qui ſi vires labantur, non tamen vehementer ſint reſolutæ, ſed adhuc reſiſtant, ad ſymptoma tantùm ſumus attenti, atque id quamprimùm tollere maturamus.* Tum pro viribus reſolutis non admodum duplex urget indicatio, & inſtaurandi vires, & corrigendi ſymptomata: vires firmantur in cauſis calidis cum frigidis auxiliis, & econtrà; alexipharmaca etiam permiſcentur cum juſculis ex carnibus, cum vino generoſo, cum

aqua

aqua cinnamomi; apponuntur cordi epithemata, ventriculo aromatica cum pane biſcocto & vino, aut cum carne aſſata; ſunt ex uſu pulli columbini diſſecti, & in corde & arteriis oleum Mathioli, ſimul & in plantis pedum. Tum ſi à plenitudine fiat ſyncope ex venarum interceptione, Hippocrates 4. *acutor.* ſanguinem mittit in acceſſione ſyncopis, & docet Avicenna *lib. de medendo corde, text.* 2. *cap.* 2. dicens, quod *phlebotomia prodeſt debilitati ex copia ſanguinis*: id eſt, in ſyncope ex copia ſanguinis. Tum ſi ſubſiſtant vires poſt acceſſionem, debet auferri omnis & quævis cauſa; nam manente cauſa conſervante, nequit effectus tolli, ex Galeno *lib.* 7. *methodi, cap.* 12. & hoc exercetur juxta indicationes deſumptas à cauſa; ſi ſit ſanguis, ſanguinis miſſione; ſi cacochymi humores, purgatione. Hæc doctrina maximè exercetur in febre ſyncopali intermittente, in qua quia humor ſeparatus à commixtione ſanguinis in ſubſequente acceſſione timetur quod decumbat in cor, & cauſet ſyncopem, exhibetur die quietis purgans medicamentum, de quo plura *tom.* 3. *tract. de febribus intermittentibus lethalibus*, diximus.

SECTIO QUARTA.

De Morte repentina, & illius cauſa immediata.

De morte repentina quæ provenit ex repentina extinctione vitalis caloris in corde, diximus quod conſideratur à Medico, vel ut eſt in fieri, & ſi in principio, dicitur lipothymia; ſi in augmento, dicitur ſyncope: vel conſideratur in facto eſſe. De illa prout in fieri, egimus in Sectione antecedente, quatenus aliquam admittit curationem. De ea in facto eſſe, quæ propriè vocatur repentina mors, agemus ſub hac ſectione, non quia in illa ſuperſit aliqua curationis ſpes, ſed quia plura ſe offerunt in illa, quorum cognitio eſt Medicis neceſſaria, & ad inveſtigandas illius cauſas, & ipſas diſtinguendas, ſimul & ut ipſam ab aliis diſtinguamus ſimillimis affectionibus.

Resolutio I.

Quid ſit mors repentina, & quot illius acceptiones.

§. I.

Proponuntur variæ acceptiones mortis repentinæ.

Reſolvendum, quod quid nominis repentinæ mortis eſt multiplex.

Probatur: Tum quia aliqui vocant repentinam mortem, quæ provenit ante ſenectutem, præcipuè in pueritia, aut adoleſcentia. Tum quia repentina ſolet vocari mors quæ ex repentina morbi ingraveſcentia advenit, ut dum morbus lenis apparet in principio, & ſubitò ingraveſcens ægrum de medio tollit. Tum dicitur repentina mors quæ repentè accidit à qualibet externa violenta cauſa, ut in ſuffocatione, aut capitis abſciſſione. Tum propriè à Medicis vocatur mors repentina, quæ ex repentina caloris extinctione in corde repentè ſupervenit. Tum hæc ut in fieri conſideratur à Medicis, & dum incipit, vocatur, ut diximus, lipothymia, & eſt imminuta ſyncope, ſeu imminutus caſus virtutum cum virium languore, & ſenſus, & motus imbecillitate, orta ex debilitate caloris vitalis in corde. Dum fit intenſior, vocatur ſyncope, & eſt ultima jactura virium cum deperditione ſenſus, & motus ob ferè extinctum vitalem cordis calorem. Tandem mors repentina propriè ſumitur pro morte ſubſequuta ad ſyncopen, de qua inquirimus quid ſit?

De morte repentina, in fieri, & ejus cauſis egit Galenus *lib.* 12. *methodi*, *capit.* 5. *lib.* 1. *ad Glauc. cap.* 14. & poſt illum omnes ferè Practici. De ipſius cauſis, prout ab eis provenit mors repentina in facto eſſe, unus tantùm egit de illa Dominicus Tyrillus, Genuenſis, qui laconicè & doctiſſimè mortem repentinam definit, quod ſit *illud mortis genus, quod clam & repentino quodam motu homines propriis muneribus, quantum ad omnes operationes vitales, animales, & naturales attinet, privando de medio tollit, ac ſurripit.*

A

§. II.

Traditur definitio mortis repentinæ propriè dicta.

RESolvendum, quod mors repentina propriè accepta, eſt murs ſubſequuta ad ſyncopen ob repentinam extinctionem caloris vitalis in corde.

Patet ex propriis definitionis conditionibus: datur enim per proprium genus, quod eſt *mors*, ſub qua ſunt mors naralis, & mors violenta; mors paulatim accidens, & mors repentina; mors repentina à cauſis manifeſtis, & mors ex occultis proveniens cauſis. Particula, *ſubſequuta ad ſyncopen*, excludit reliquas differentias mortis provenientis ab aliis diverſis cauſis. Particula, *ob repentinam extinctionem caloris vitalis*, excludit mortem ſic provenientem ob extinctionem paulatinam vitalis caloris cordis, ut in hectica.

Tyrillus poſtquam *cap.* 3. deſcripſit modo quo diximus mortem repentinam, illam contendit definire *cap.* 5. dicens, quod eſt *extinctio caloris innati influentis à corde in univerſum corpus, ab aliqua cauſa, ſive interna, ſive extrinſecus occurrente, affatim, & cum maxima, ac violenta celeritate id agente.*

Diſplicuit hæc definitio. Tum quia mors, quæ eſt vitæ terminus, formaliter non ſtat in extinctione caloris, quæ eſt caloris corruptio, ſed in extinctione vitæ, quæ eſt in homine realis deunio animæ à corpore, & in reliquis viventibus animæ corruptio. Tum quia extinctio caloris non eſt ipſa mors: ſed proxima cauſa mortis; vitæ enim conſervatio inevitabiliter dependet à calore conſervante, quo deficiente ſubſequitur mors; quia vita ſine illo ſubſiſtere nequit, tanquam quid realiter diſtinctum ab ipſo calore. Tum quia dicit quod calor innatus influit à corde, quod eſt falſum; nam calor innatus eſt qui reſultat in partibus à calido innato illarum; calor autem, qui influit à corde in partes, ad illius ſubſidium, eſt calor influens dictus, quia E influit in ipſis ſpiritibus vitalibus, à quibus communicatur in partes. Tum quia vita non deficit ex toto, quia in partibus deficit calor, donec ex toto deficiat in corde, ut infra demonſtrabimus. Tum quia mors repentina, de qua agimus, quæ eſt mors in facto ſubſequuta ad ſyncopen, nequit ſine vitio cordis ſupervenire, nec definiri per ſolum defectum caloris in aliis partibus à corde.

RESOLVTIO II.

Utrum mors repentina ab univerſalibus tantùm fiat cauſis.

§. I.

Proponuntur aliqua opiniones affirmantes.

PRima opinio, quam alibi retulimus, fuit quorundam Ethnicorum, præci-
B puè Stoïcorum, qui inter ſuos falſos Deos admittebant fatum, à quo tenebant provenire omnes inferiorum actiones, imò & actiones reliquorum ſuorum Deorum, & ab illo affirmabant pendere vitam, & mortem omnium viventium, ſimul & mortes repentinas à ſolo illo poſſe provenire, aliis quibuſvis cauſis ablatis.

Sed fatuus iſte Stoïcorum error jam diu receſſit ab hominum mente, & fuit ut error damnatus, & à Sanctis Patribus confutatus, præcipuè à D. Auguſtino
C convictus *tract.* 34. *in Ioannem*, & *lib.* 5. *de civitat. Dei cap.* 5. tollit enim liberum arbitrium ab hominibus, & innumera abſurda ſubſequuntur ab hoc errore.

Secunda opinio proxima huic eſt Aſtrologorum, ſive Genethliacorum, qui tribuunt Aſtris omnes inferiorum actiones, ſalutem, & morbos, ſanitatem, & mortem. Sed hæc opinio ſimiliter damnata eſt à Catholica Eccleſia, & refutata à Sanctis Patribus; auferunt enim ſic opinantes ab hominibus liberum arbitrium, & ſuarum
D actionum meritum, aut demeritum; à cauſis inferioribus vires agendi, & ab hominibus liberè operandi, contra id quod nos docet ſacra Pagina *in Geneſi cap.* 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illi.* Et *in Eccleſiaſtici cap.* 15. *Appoſui tibi aquam, & ignem, ad quod volueris, porrige manum.*

§. II.

Qualiter repentinæ mortes poſſunt à Deo cauſari.

REſolvendum, quod plures repentinæ mortes occultæ, aut manifeſtæ proveniunt à Deo in punitionem noſtrorum ſcelerum.

Probatur: Tum ex Dei omnipotentia, quâ noſtra valet punire ſcelera non ſolùm in hac vita, illam exterminando, ſed in alia, ſuâ juſtitiâ infinitâ animam puniendo. Tum ex variis exemplis, quibus ſacra Pagina id atteſtatur. Sic Deus igne

de cœlo immiſſo repentè occidit omnes A Sodomæ habitatores, & in quinque eivitatibus, *Geneſis* 19. Sichem & omnes civitatis habitatores repentè occiſi periere à filiis Jacob, *Geneſis* 34. Nadab & Abiu devorati repentè in infernum ſunt ſepulti, *Numerorum* 16. Pharaon & ejus exercitus repentè ſunt ſubmerſi in mari, *Exodi* 14. Blaſphemus Goliath repentè obiit ictu lapidis à David immiſſi, Deo annuente, 1. *Regum* 17. Abſalon ſuſpenſus capillis repentè extinctus fuit, 2. *Regum* 18. Achab in bello occiſo, lin- B xerunt canes ejus ſanguinem, 3. *Regum* 21. Duo urſi ſubitò occiderunt quadraginta pueros Eliſæum irridentes, 4. *Regum* 2. Athalia repentè occiſa, Deo jubente, quia ſemen Regum interfecit, 4. *Reg.* 11. Holofernes capite truncato à muliere repentè obiit, 4. *Regum* 19. Superbus Aman patibulo ſuſpenſus repentè extinctus fuit, *Eſther* 7. Tum ſicut iis per manifeſtas cauſas has, & alias mortes repentinas Deus cauſavit, ſimiliter & ob ſimiles cauſas credendum plures alias C exercuiſſe: ergo ex Dei omnipotentia credendum plures mortes repentinas cauſari.

§. III.

Per cauſas ſecundas, Deo ſimul concurrente, plures fiunt repentinæ occultæ mortes.

Reſolvendum, quod communiter mortes repentinæ proveniunt à cauſis ſecundis morboſis, ſimul Deo concurrente. D

Probatur. Tum de cauſis ſecundis demonſtrabitur infrà, dum probabimus modum, quo cauſæ ſecundæ valent cauſare mortem repentinam. Tum de concurſu Dei ſimultaneo cum illis, & quod ſe accommodet ex communi rerum ordine ad operandum cum cauſis ſecundis, patet ex D. Thoma 1. *part. quæſtione* 115. *art.* 6. & 2. 2. *quæſt.* 95. *art.* 5. & 6. & *lib.* 3. *contra gentes*, *cap.* 3. Ergo relictis fictitiis cauſis, pro morte repentina recurrendum ad cauſas ſecundas E morboſas valentes modo dicendo nos repentè occidere.

Resolutio III.

Utrum omnis mors repentina, quæ fit à cauſis ſecundis occultis, fiat læſo corde.

§. I.

Proponitur diverſitas partium principum individui.

Partium noſtri corporis aliæ ſunt ignobiles, aliæ nobiliores, & principes, à quibus principaliter vita dependet. De principatu contendunt Authores, aliis ponentibus animam in determinata corporis parte, ſimul & principatum: aliis in toto corpore. Sed ſunt etiam diſcordes in aſſignanda principe inter omnes corporis partes per illam informatas. Qui ponebant animam in determinata parte corporis, ibi ponebant principatum, & ut diximus, Parmenides, & Epicurus animam ponebant in ſolo pectore, Straton in fronte, Hierophilus in baſi cerebri, Eraſiſtratus in ejus ſinu, Aſclepiades in membrana veſtiente cerebrum, Zenocrates in toto corpore, Critias in ſanguine, Diogenes in tenuiore ſanguine, aut in ſpiritibus. Admittentes animam in toto corpore, partem principem diſtinguebant in illo. Plato pugnavit pro cerebro, Ariſtoteles pro corde, Galenus pro cerebro, corde, & jecore: Communis omnium Medicorum aſſenſus jam diu aſſentitur Ariſtoteli docenti animam informare omnes partes primæ conſtitutionis noſtri corporis, & cum Galeno in hoc quod ex partibus animâ informatis tres partes, cerebrum, cor, & jecur ſint dicendæ partes principes reſpectu individui. Inter hos ſupervenit dubium, qualis pars inter illas ſit dignior, & præſtantior pro vita conſervanda, & ſine qua vita perſiſtere nequit.

§. II.

Cor præſtantior pars habenda pro vita conſervanda.

Reſolvendum primò, quod cor eſt præſtantior noſtri corporis pars pro vita conſervanda, & ſine cujus læſione nequit ſupervenire mors.

Probatur. Tum ex Ariſtot. *lib.* 2. *de part. animal. cap.* 7. *lib.* 13. *de part. animal. cap.* 4. *lib.* 2. *de gener. animal. lib. de vita & morte, lib. de ſomno & vigilia, lib. de cauſis motus animal.*

animal. ubi principalitatem cordis probat ex ejus neceſſitate pro vita conſervanda. Tum ex Galeno *lib. 7. meth. cap. ultim. §. Maxima ſanè eſt cordis dignitas, & ægrotantibus ejus actio omninò neceſſaria.* Tum *lib. 5. de locis affect. cap. 1. §. Cùm itaque tres ſint partes principes, quibus gubernatur animal. Quippe præter cordis principatum oſtenſum eſt, & ſenſum, & motum univerſis corporis partibus à cerebro ſuppeditari, jecur verò neutrius facultatis eſſe principium; & ſemper mors ad immodicas ſequitur cordis intemperantias, ſimul enim cum ipſo omnes vitiantur partes: cùm enim, ut oſtendimus, ipſa peculiari cordis temperie actiones ſuas perficiant, hac pereunte, actiones etiam ipſarum perire neceſſe eſt, ac proinde cerebri quoque, ac jecoris. Horum verò temperie deperdita, non oportet ſimul actiones cordis perire: ſi enim nec ſentiendi, nec movendi ab electione facultatem animal habuerit, neque nutriatur, veluti in latentibus accidit animalibus, nihilominus vivere ipſum poſſe, quoad cor manſerit illæſum, haudquaquam negandum eſt.* Tum à læſione illius partis debet mors ſupervenire, quæ eſt inſtrumentum conſervans vitam, & præſtat diſpoſitionem ſine qua vita nequit conſervari: ſed cor præſtat vitalem calorem, à quo vita conſervatur, & ſine quo nequit vita perſiſtere: ergo ſine ejus læſione nequit vita deficere.

§. III.

Cor poteſt infeſtari omni morborum genere.

RESolvendum ſecundò, quod cor præter intemperies varias omnium qualitatum, valet infeſtari per morbos in ſoluta unitate, & in mala conformatione.

Probatur: Cor eſt pars organica, compoſita ex ſimilaribus debitè inter ſe unitis & conformatis: ergo ratione partium ſimilarium poteſt pati varias intemperies, ratione unionis illarum poteſt pati morbos in ſoluta unitate, ratione ſuæ conformationis morbos in mala conformatione.

Probatur ſecundò ex variis Authorum obſervationibus. Zacutus *de PP. M. Hiſtor.* narrat in corde vidiſſe tumores ſcirrhoſos. Schenkius *lib. 2.* obſervat carnoſas excreſcentias in cordis ventriculis. Benivenius *cap. 35.* obſervat tuberculum intra cordis arteriam. Tulpius *lib. 1. cap. 27.* obſervat polypum in corde. Schenkius vidit duplicatum cor in aliquibus animalibus. Zacutus meminit cordis hirſuti, & alterius cartilaginei. Hildandus *4. obſervat.* vidit abſceſſum in corde. Severinus vidit in illo pus. Schenkius vidit vulnera in corde ſanata. Eraſtus *conſilio 14.* obſervat cordis compreſſionem, Hugo ejus tremorem, Bartholinus *in hiſtor. anatomica,* refert repertum fuiſſe os in corde Pontificis Urbani VIII. ſimul & in corde phthiſici ab eo diſſecti: ex quibus convincitur, quod licèt cor ſit vitæ principium, poteſt infeſtari omni morborum genere, & per aliquod tempus cum illis vitam ſuſtinere.

D. Gaſp. Bravo Tract. Miſcell.

§. IV.

Varios etiam morbos per conſenſum valet cor pati.

RESolvendum tertiò, quod cordi eſt multiplex conſenſus cum reliquis corporis partibus, & ob id varios etiam morbos valet pati ob conſenſum cum illis.

Probatur: Tum de conſenſu cum ventriculo, ex Galeno *lib. 5. de locis affect. cap. 2. & lib. 2. de ratione victus, cap. 47.* ubi ob hunc conſenſum ventriculi morbos vocat cardiacos, & docet ſæpè ex ventriculi morbis ſubſequi ſyncopen. Tum conſentit cum thorace, & jecore cor, ut tenet Galenus *4. de præſagat. ex pulſib. cap. 4.* & jecoris conſenſus cum corde patet ex communicatione cum illo per venam cavam aſcendentem. Tum conſentit cor cum ſepto tranſverſo, ex Galeno *lib. 2. de cauſis pulſuum, cap. 12.* Tum conſentit cum pulmone, ex Galeno *4. de præſagat. ex pulſib. cap. 2.* ob confluxum per maxima oſtia in utrumque ſinum: ex quibus provenit quod ob harum partium, & aliarum conſenſum plures valeat cor pati morbos, & ob illos varias mortes repentinas cauſare.

RESOLUTIO IV.

Quot ſint facultates, quæ reperiuntur in corde.

§. I.

Proponitur dubitandi ratio, & illarum numerus.

COnſtat ex dictis, quod cor eſt principium vitalitatis, quia conſervat omnes partes corporis, & illarum vitam; & quod ideo nequit nec repentina mors, nec alia quævis ſupervenire, donec vita deficiat in corde, à quo illa conſervatur in aliis partibus, licèt particularis mors

de cœlo immiſſo repentè occidit omnes A Sodnmæ habitatores, & in quinque civitatibus, *Geneſis* 19. Sichem & omnes civitatis habitatnres repentè occiſi periere à filiis Jacnb, *Geneſis* 34. Nadab & Abiu devorati repentè in infernum ſunt ſepulti, *Numerorum* 16. Pharann & ejus exercitus repentè ſunt ſubmerſi in mari, *Exodi* 14. Blaſphemus Goliath repentè nbiit ictu lapidis à David immiſſi, Den annuente, 1. *Regum* 17. Abſalon ſuſpenſus capillis repentè extinctus fuit, 2. *Regum* 18. Achab in bello occiſo, lin- B xerunt canes ejus ſanguinem, 3. *Regum* 21. Duo urſi ſubitò nccideruut quadraginta pueros Eliſæum irridentes, 4. *Regum* 2. Athalia repentè occiſa, Den jubente, quia ſemen Regum interfecit, 4. *Reg.* 11. Holnfernes capite truncato à muliere repentè obiit, 4. *Regum* 19. Superbus Aman patibuln ſuſpenſus repentè extinctus fuit, *Eſther* 7. Tum ſicut iis per manifeſtas cauſas has, & alias mnrtes repentinas Deus cauſavit, ſimiliter & ob ſimiles cauſas credendum plures alias C exercuiſſe: ergo ex Dei omnlpotentia credendum plures mortes repentinas cauſari.

§. III.

Per cauſas ſecundas, Deo ſimul concurrente, plures fiunt repentinæ occultæ mortes.

REſnlvendum, quod communiter mortes repentinæ prnveniunt à cauſis ſecundis morboſis, ſimul Deo concurrente.

Probatur. Tum de cauſis ſecundis demonſtrabitur infrà, dum prnbabimus modum, qun cauſæ ſecundæ valent cauſare mnrtem repentinam. Tum de cnncurſu Dei ſimultaneo cum illis, & quod ſe accommodet ex communi rerum nrdine ad operandum cum cauſis ſecundis, patet ex D. Thoma 1. *part. quæſtione* 115. *art.* 6. & 2. 2. *quæſt.* 95. *art.* 5. & 6. & *lib.* 3. *contra gentes*, *cap.* 3. Ergn relictis fictitiis cauſis, pro morte repentina recurrendum ad cauſas ſecundas E mnrboſas valentes modo dicendo nos repentè occidere.

RESOLVTIO III.

Utrum omnis mors repentina, quæ fit à cauſis ſecundis occultis, fiat læſo corde.

§. I.

Proponitur diverſitas partium principum individui.

B PArtium nnſtri corporis aliæ ſunt ignobiles, aliæ nnbilinres, & principes, à quibus principaliter vita dependet. De principatu contendunt Authores, aliis ponentibns animam in determinata corporis parte, ſimul & principatum: aliis in toto enrpore. Sed ſunt etiam diſcordes in aſſignanda principe inter omnes corporis partes per illam informatas. Qui ponebant animam in determinata parte corporis, ibi ponebant principatum, & ut diximus, Parmenides, & Epicurus ani- C mam pnnebant in ſolo pectore, Straton in frnnte, Hierophilus in baſi cerebri, Eraſiſtratus in ejus ſinu, Aſclepiades in membrana veſtiente cerebrum, Zenncrates in toto corpore, Critias in ſanguine, Diogenes in tenuiore ſanguine, aut in ſpiritibus. Admittentes animam in toto corpore, partem principem diſtinguebant in illn. Plato pugnavit prn cerebrn, Ariſtoteles pro cnrde, Galenus pro cerebro, corde, & jecore: Communis nmnium Medicorum aſſenſus jam diu aſſentitur D Ariſtnteli docenti animam informare omnes partes primæ conſtitutionis noſtri corporis, & cnm Galenn in hoc quod ex partibns animâ infnrmatis tres partes, cerebrum, cor, & jecnr ſint dicendæ partes principes reſpectu individui. Inter hos ſupervenit dubium, qualis pars inter illas ſit dignior, & præſtanrinr pro vita conſervanda, & ſine qua vita perſiſtere nequit.

§. II.

Cor præſtantior pars habenda pro vita conſervanda.

REſolvendum primò, quod cor eſt præſtantior nnſtri cnrporis pars pro vita ennſervanda, & ſine cujus læſione nequit ſupervenire mors.

Probatur. Tum ex Ariſtot. *lib.* 2. *de part. animal. cap* 7. *lib.* 13. *de part. animal. cap.* 4. *lib.* 2. *de gener. animal. lib. de vita & morte, lib. de ſomno & vigilia, lib. de cauſis motus animal.*

animal. ubi principalitatem cordis probat A ex ejus neceſſitate pro vita conſervanda. Tum ex Galeno *lib.* 7. *meth. cap. ultim.* §. *Maxima ſanè eſt cordis dignitas, & ægrotantibus ejus actio omninò neceſſaria.* Tum *lib.* 5. *de locis affect. cap.* 1. §. *Cùm itaque tres ſint partes principes, quibus gubernatur animal. Quippe præter cordis principatum oſtenſum eſt, & ſenſum, & motum univerſis corporis partibus à cerebro ſuppeditari, jecur verò neutrius facultatis eſſe principium; & ſemper mors ad immodicas ſequitur cordis intemperantias, ſimul enim* B *cum ipſo omnes vitiantur partes: cùm enim, ut oſtendimus, ipſa peculiari cordis temperie actiones ſuas perficiant, hac pereunte, actiones etiam ipſarum perire neceſſe eſt, ac proinde cerebri quoque, ac jecoris. Horum verò temperie deperdita, non oportet ſimul actiones cordis perire: ſi enim nec ſentiendi, nec movendi ab electione facultatem animal habuerit, neque nutriatur, veluti in latentibus accidit animalibus, nihilominus vivere ipſum poſſe, quoad cor manſerit illæſum, haudquaquam negandum eſt.* Tum à læſione illius partis C debet mors ſupervenire, quæ eſt inſtrumentum conſervans vitam, & præſtat diſpoſitionem ſine qua vita nequit conſervari: ſed cor præſtat vitalem calorem, à quo vita conſervatur, & ſine quo nequit vita perſiſtere: ergo ſine ejus læſione nequit vita deficere.

§. III.

Cor poteſt infeſtari omni morborum genere.

Eſolvendum ſecundò, quod cor præter D intemperies varias omnium qualitatum, valet infeſtari per morbos in ſoluta unitate, & in mala conformatione.

Probatur: Cor eſt pars organica, compoſita ex ſimilaribus debitè inter ſe unitis & conformatis: ergo ratione partium ſimilarium poteſt pati varias intemperies, ratione unionis illarum poteſt pati morbos in ſoluta unitate, ratione ſuæ conformationis morbos in mala conformatione.

Probatur ſecundò ex variis Authorum E obſervationibus. Zacutus *de PP. M Hiſtor.* narrat in corde vidiſſe tumores ſcirrhoſos. Schenkius *lib.* 2. obſervat carnoſas excreſcentias in cordis ventriculis. Benivenius *cap.* 35. obſervat tuberculum intra cordis arteriam. Tulpius *lib.* 1. *cap.* 27. obſervat polypum in corde. Schenkius vidit duplicatum cor in aliquibus animalibus. Zacutus meminit cordis hirſuti, & alterius cartilaginei, Hildandus 4. *obſervat.*

vidit abſceſſum in corde. Severinus vidit in illo pus. Schenkius vidit vulnera in corde ſanata. Eraſtus *conſilio* 24. obſervat cordis compreſſionem, Hugo ejus tremorem, Bartholinus *in hiſtor. anatomica*, refert repertum fuiſſe os in corde Pontificis Urbani VIII. ſimul & in corde phthiſici ab eo diſſecti: ex quibus convincitur, quod licèt cor ſit vitæ principium, poteſt infeſtari omni morborum genere, & per aliquod tempus cum illis vitam ſuſtinere.

§. IV.

Varios etiam morbos per conſenſum valet cor pati.

Eſolvendum tertiò, quod cordi eſt multiplex conſenſus cum reliquis corporis partibus, & ob id varios etiam morbos valet pati ob conſenſum cum illis.

Probatur: Tum de conſenſu cum ventriculo, ex Galeno *lib.* 5. *de locis affect. cap.* 2. & *lib.* 2. *de ratione victus, cap.* 47. ubi ob hunc conſenſum ventriculi morbos vocat cardiacos, & docet ſæpè ex ventriculi morbis ſubſequi ſyncopen. Tum conſentit cum thorace, & jecore cor, ut tenet Galenus 4. *de præſagat. ex pulſib. cap.* 4. & jecoris conſenſus cum corde patet ex communicatione cum illo per venam cavam aſcendentem. Tum conſentit cor cum ſepto tranſverſo, ex Galeno *lib.* 2. *de cauſis pulſuum, cap.* 12. Tum conſentit cum pulmone, ex Galeno 4. *de præſagat. ex pulſib. cap.* 2. ob confluxum per maxima oſtia in utrumque ſinum: ex quibus provenit quod ob harum partium, & aliarum conſenſum plures valeat cor pati morbos, & ob illos varias mortes repentinas cauſare.

Resolutio IV.

Quot ſint facultates, quæ reperiuntur in corde.

§. I.

Proponitur dubitandi ratio, & illarum numerus.

Onſtat ex dictis, quod cor eſt principium vitalitatis, quia conſervat omnes partes corporis, & illatum vitam; & quod ideo nequit nec repentina mors, nec alia quævis ſupervenire, donec vita deficiat in corde, à quo illa conſervatur in aliis partibus, licèt particularis mors

partis poſſit fieri impedito cordis influxu A ad illam, ut iu eſthiomeno. Sub dubio venit inquirendum, quæ ſint in corde vitales facultates, ut ex illarum cognitione deducamus, à qua illarum dependet vitæ conſervatio in corde, & reliquis partibus,& ex cujus defectu ſubſequatur mors repentina.

Reſolvendum, quod in corde ſunt ſeptem facultates, vitalis, calorifica, ſpirituum generatrix, pulſifica, iraſcibilis, animoſa, & gaudifica.

Probatur ex doctrina Ariſtotelis *lib. 2.* B *de anima*, ubi docet, quod potentiæ uniuſcujuſque partis debent inveſtigari à poſteriori per ſuas operationes in illa parte inter ſe diſtinctas: ſed cordis operationes ſunt ſeptem inter ſe diſtinctæ: ergo facultates reſidentes in corde, à quibus fiunt, ſeptem d bent eſſe inter ſe diſtinctæ.

Probatur minor: illæ res ſunt diverſæ, quarum unam ſine alia valet intellectus percipere: ſed intellectus nequit intelligere, quod ſit idem id, in quo aliud eſt, & illud quod eſt in illo: & cùm vita ſit C permanentia in calido, differt vitalis actio à calorifica, & caloris productio ab utraque, & ſpirituum diſtributio per pulſum ab illis tribus. Tum ab iis differunt actiones appetitus, nec inter illas eſt idem iraſci, fortem eſſe, & gaudere. Nam ira eſt appetitus vindictæ: fortitudo eſt virtus facultatis animoſæ, per quam quis facilè percellitur impetu mortis: triſtitia eſt quidam dolor: ergo ſeptem facultates ſunt admittendæ in corde, vitalis, calorifica, ſpirituum generativa, pulſifica, iraſcibilis, animoſa, & gaudifica. D

Probatur ſecundò ex Galeno *lib. quod animi mores corporis temperaturam ſequantur, cap. 2.* ubi probat plures facultates eſſe in aloë, quia ſunt in illo plures operationes, quæ arguunt plures eſſe potentias in aloë, à quibus eliciantur; inquit enim: *Quocirca & tot poteſtatibus ſubſtantiam, quot effectibus eſſe præditam dicimus, ut exempli gratiâ aloëm vires habere purgandi, & ventriculum roborandi, cruenta vulnera glutinandi, plana ulcera ſolidandi, & humidas palpebras reſiccandi:* E *neque profectò dictorum operum quodque ab ullo, præterquam aloëm, effectore provenit: ipſa namque eſt omnia illa faciens; quoniamque & illa efficere poteſt, tot facultates, quot opera, habere dicta eſt.* Ergo ſimili ratione demonſtratur à paritate ex Galeno, quod cùm in corde ſint ſeptem diſtinctæ operationes, ſint ſimul ſeptem diſtinctæ facultates.

Probatur tertiò: In cerebro licèt una ſit determinata pars corporis, plures diverſæ ſpecie operationes exercentur: ergo idem tenendum de variis cordis facultatibus.

Dices, quod in corde aliæ ſunt plures operationes contrariæ ab enumeratis, & conſequenter aliæ deberent ſuperaddi potentiæ.

Reſpondetur, quod contrariæ operationes non fiunt ab eadem potentia, & ideo non admittitur in oculo potentia ad non videndum.

§. II.

Qualis ſit præſtantior inter cordis facultates.

RESolvendum ſecundò, quod inter cordis facultates vitalis eſt præſtantior.

Probatur, quia cùm cor ſit principium deſtinatum ad conſervandam vitam, illa potentia in illo præſtantior debet haberi, quæ magis, & per ſe conducit in hunc finem: Sed vitalis eſt, quæ illi tribuitur à natura, ut per illam valeat vitam conſervare, & ideo ratione hujus finis vitalis dicitur: ergo reliqnis eſt præſtantior.

Probatur ſecundò, quia potentiæ cordis aliæ ſunt principales, ut vitalis, aliæ illi proximè inſervientes, ut calorifica, ſpirituoſa, & pulſifica: aliæ non tam proximè vitali ſerviunt, ſed ad alias utilitates conferunt: ergo vitalis facultas reliquis in corde eſt præſtantior.

Probatur tertiò præcipuè de facultatibus iraſcibili, aut concupiſcibili, quæ remotè conducunt ad vitæ conſervationem, proximiùs ad bonam animi conſequutionem: ergo præſtantior pro vita conſervanda eſt vitalis.

RESOLVTIO V.

Quid ſit potentia dicta vitalis cordis.

§. I.

Proponitur quale eſt in corde principium vitæ radicalis.

INter reliquas potentias cordis, primam diximus eſſe vitalem, quam præcipuè quærimus, tanquam propriam hujus doctrinæ, cùm ejus repentina extinctio ſit propria ratio mortis.

Reſolvendum primò, quod facultas vitalis cordis eſt duplex: alia radicalis, alia proxima ac actualis. Patet, radicalis

enim

enim eſt ipſa anima, quæ informat omnes partes viventes, & præcipuè prout reſidet in corde, eſt in illo radicale principium vitalitatis, & conſervationis vitæ pro reliquis partibus, quia ordinatur ut producat vitalem calorem, qui eſt inſtrumentum vitæ conſervativum, tam in corde, quàm in illis.

§. II.

Proponitur potentia præſtantior vitalitatis in corde.

REſolvendum ſecundò, quod inter cordis potentias præſtantior vitalis potentia eſt concoctrix. Pro quo eſt notandum, quod licèt facultas concoctrix noſtri corporis eſt una ſecundùm ſpeciem, & communis omnibus corporis partibus, tamen ab earum ſubſtantiæ modo, & temperamento modificatur, itaut vario, & heterogeneo modo operetur, & varios producat effectus, & ſubſtantias cum variis virtutibus: ſic in ventriculo concoquit alimentum, & generat chilum: in jecore diverſo modo modificata ab illius ſubſtantiæ modo ſanguinem producit, & reliquos humores: in cerebro aliter modificata producit, ac generat ſpiritus animales, mediis quibus caput, & reliquæ partes recipiunt vim movendi, & cognoſcendi. Simili modo prout reſidet in corde modificata ab ejus ſubſtantiæ modo, & ab ejus temperamento, à vitali ſpirituum calore generat ſpiritus vitales, à quibus calor qui pullulat, propriam vim retinet conſervandi vitam in illo, ſive conſervandi radicale principium vitæ ſimul & in reliquis corporis partibus, in quas deferuntur ſpiritus per pulſificam facultatem tranſmiſſi. Quia licèt unicuique parti ſuum inſit materiale temperamentum, & innatus calor conſervativus vitæ illius, ſine quo vita nequit conſervari, cùm tamen talis calor continuò remittatur à frigore, aëris attracti reſpiratione, tranſpiratione, & pulſu, periret animal, calore à frigore remiſſo, niſi ab ſpirituum vitalium calore inſtauraretur E continuo affluxu calor omnium partium, & ab aëris offenſione defenderetur: ex quibus

Probatur primò Reſolutio: Sic ſe habet cor, quod eſt deſtinatum principium pro conſervanda vita, ad productionem inſtrumenti conſervativi illius, ſicut jecur ad producendos humores, quibus renutriatur, & ſicut cerebrum ad producendos animales ſpiritus, per quos partes A ſentiant, & moveantur. Sed jecur, & cerebrum fiunt principes per facultatem; per quam producunt inſtrumenta ſui muneris, quæ in illis eſt facultas concoctrix: Ergo ob eandem rationem cor per concoctricem facultatem, per quam generat ſpiritus vitales, per quos communicat vitalem calorem, fit pars princeps in eſſe principii vitalis; & hæc facultas concoctrix debet eſſe illi præſtantior in eſſe vitalis potentiæ.

Probatur ſecundò: Cor vocatur pars B princeps; & principium vitalitatis in corpore, non ratione ſui abſolutè, ſed ratione finis, quatenus eſt principium caloris vitalis: ſed per facultatem concoctricem generat talis caloris inſtrumentum: ergo illa eſt prima vitalis illius potentia.

Probatur tertiò: Illa eſt facultas principalior vitalis, à qua reliquæ vitales dictæ ſumunt denominationem vitalis, quatenus ipſi deſerviunt in ordine ad vitam conſervandam in reliquis partibus. Sed C ſpiritus generati à concoctrice, ab illa recipiunt eſſe inſtrumentum ad vitam conſervandam, & vitalis denominationem, quia ei deſerviunt deferendo calorem vitæ conſervativum; & calor vitalis, & pulſus vitales etiam dicuntur ob eundem finem: ergo ab illa recipiunt vitalitatis denominationem, quia in finem ab ipſa intentum deſerviunt.

Dices, quod cùm quodlibet vivens ſit mixtum, & omne mixtum habeat debitam temperiem ortam à debita commix- D tione partium elementalium, ſine illo vitali à corde communicato calore habet quælibet pars calorem ſibi debitum.

Reſpondeo, quod licèt vivens, quia mixtum, dum eſt debitè temperatum, habeat partes materiales elementorum, per quas recipit ſibi debitum calorem, tamen quia talis calor remittitur in animali per aërem reſpiratione, & tranſpiratione attractum, ad ejus ſupplementum indiget calore vitali ſpirituum, quo conſervetur, & ſuas valeat elicere operationes.

§. III.

Proponuntur aliæ cordis facultates, quæ etiam dicuntur vitales.

REſolvendum tertiò, quod ratione finis, vitales etiam dicuntur in corde, quæ deſerviunt concoctrici aliæ vires, & inſtrumenta, ſcilicet ſpiritus vitales, qui ab illa generantur, calor ab illis productus etiam vitalis dictus, & facultas

pulſifica, quæ ſimpliciter, & per antonomaſiam ſolet appellari facultas vitalis, præcipuè apud Medicos.

Probatur: Nam hæc omnia data ſunt à natura cordi in hunc finem, ut mediis illis cor tribuat omnibus corporis partibus vitalem calorem, quo vita in illis conſervetur, & ſibi debitas eliciat operationes: Ergo ratione hujus finis, qui nequit ſine illis conſequi, nec vita conſervari, tam alteratrix cordis virtus, quàm ſpiritus vitales, & illorum calor, facultaſque pulſifica debent vitales vocari; omnia enim in principio ſunt deſtinata pro vita conſervanda in omni corpore.

Dices, quod inter Medicos facultas pulſifica tantùm vocatur abſolutè vitalis, & quod reliquæ non vt vitales ſunt recipiendæ.

Reſpondetur, quod in phyſico rigore vitales facultates ſunt, quæ ad vitæ conſervationem ſunt deſtinatæ à natura tanquam deſervientes in hunc finem cordi, quod eſt membrum deſtinatum ad vitam conſervandam mediis illis inſtrumentis; ſed quoad uſum medicum pulſifica facultas propriè vitalis habetur, quia non ſolùm ordinatur ad prædictum finem, ſed ſimul per varias differentias quas ponit, docet Medicos diagnoſin, quâ percipere poſſunt non ſolùm corpus frui debita proportione caloris, ſed pati quaſcumque alias differentias diſpoſitionum, quibus homo intra, aut extra naturalem ſtatum conſtituitur: & quoad hunc uſum præſtantiorem eſſe pulſificam facultatem, quàm concoctricem, diximus *tom. 1. Reſol. Medicar. diſput. de Arte Sphygmica*, ubi egimus de pulſifica facultate.

RESOLUTIO VI.

Utrum mors repentina proveniat ex ſolius caloris vitalis cordis extinctione.

§. I.

Proponitur ratio propoſita difficultatis.

PAtet ex dictis, quod eſſentialis ratio vivendi in homine eſt per animam informantem corpus; & quod ratio conſervationis vitæ ſtat in debita partium conformatione, unitate & temperie: hæc fulcitur, & conſervatur à corde, & adhuc reliquis exiſtentibus, communior eſt cauſa, cujus defectu vita perit ex partiali illius defectu in reliquis partibus: ſed ex A totali caloris defectu in corde, quod eſt vitæ principium, vita aufertur in reliquis partibus ſimul; & quia vivificatio illarum fit per calorem communicatum à corde, ejus extinctio in corde, ſi paulatina, paulatinæ mortis fit cauſa; ſi repentina, mortis repentinæ: & hæc eſt unica, & immediata cauſa repentinæ mortis, de qua agimus; ſunt tamen plures aliæ cauſæ remotæ, à quibus hæc fit, de quibus agemus poſtea, quatenus ſunt cauſæ extinctionis vitalis caloris repentinæ.

B Tyrillus contendit, quod mors repentina provenit ex extinctione ſolius caloris innati. Poteſt ſuaderi hoc placitum: nam vita eſt permanſio ſalidi in humido, ut diximus ex Ariſtotele, intelligente per calidum calorem innatum: Ergo mors quæcumque debet eſſe illius extinctio.

§. II.

Proponuntur differentiæ caloris naturalis in noſtro corpore.

C REſolvendum primò, quod in noſtro corpore triplex reperitur differentia caloris.

Probatur primò ex triplici cauſarum diverſitate, à quibus producitur. Nam alter eſt calor elementalis, qui provenit à cauſis non naturalibus, ut ab igne, aut ſole: alter eſt præternaturalis, qui communicatur à rebus præternaturalibus, qualis eſt febrilis: alter eſt calor naturalis, & eſt triplex: alter innatus, qui provenit à calido innato: alter adſcititius, qui re-D ſultat ex partibus, quæ reponuntur loco calidi innati: alter eſt calor influens, ſeu vitalis dictus, qui à corde influit, & per ſpiritus vitales communicatur ad omnes partes in ſubſidium innati, & adſcititii caloris illatum: Ergo triplex calor in corpore noſtro valet reperiri.

Probatur ſecundò triplex caloris differentia in corpore ex calorum primario effectu, à quo ſpecificatur. Calor enim elementalis pro primario effectu habet calefacere noſtrum corpus, & ſe conti-E net in eſſe elementali, ſe accommodans cum modo caloris, cum quo adjungitur. Calor præternaturalis, & febrilis, ut talis, prorumpit primò ad lædendas operationes, quia ſtatim ut talis induit rationem morbi. Calor verò naturalis per ſe primò ordinatur ad vitæ conſervatio m, & per ſuam fermentationem excitat actiones neceſſarias pro vita, & efficit ut corpus nutriatur, humores concoquantur, & reliquæ naturales actiones perficiantur:

Ergo

Ergo ex propriis actionibus ſpecificantur ii tres calores.

Probatur tertiò : Horum trium calorum proprii, & primarii effectus nequeunt ab uno pro alio ſuppleri : ergo quia inter ſe ſunt ſpecie diverſi. Patet antecedens : Nam ſi calor vitalis deficit, ut contingit in ſyncope ſuperveniente in febre ardente, nequit vitalis, cujus defectu fit, ſuppleri à calore febrili, nec ab elementali, donec ſpiritus reficiantur præſtando materiam, ex qua fiant: & ſi quis alter prodeſt calor, hoc tantùm fit quatenus externæ refrigeranti cauſæ opponitur. Tum patet in calore vitali, qui utcumque ſit intenſior, ut in pueritia, & juventute, nunquam lædit, & prout intenſior, magis perficit operationes. Tum patet in febrientibus, in quibus licèt præternaturalis calor exſuperet naturalem, hic tamen ſemper concoquit, & ſuas aggreditur operationes, materiam benignam reponendo pro nutritione, & minùs aptam coquendo in nocitivo, reducendo illam in benigniorem ſtatum, dum præternaturalis calor in ineptiori materia & putredinem, & corruptionem proſequitur.

Dices primò, quod febris, ex Galeno, eſt converſio nativæ caliditatis in igneam naturam : ergo calor naturalis dum convertitur in igneum, fit febrilis.

Reſpondetur, quod Galenus non intendit, quod nativus calor ſit febris ; ſed ille, qui ultra intenſionem illius convertitur in igneam naturam ; nativus enim ſemper manet proportionatus, & ſanitas & morbus ſunt ſimul diſpoſitiones, quarum altera perficit, altera lædit, juxta majorem, aut minorem intenſionem. Si morbus nimis intenſus expellit ſanitatem, fit mors ; ſi è contra, acquiritur ſanitas: opponuntur enim poſitivè, ſicut frigiditas, & calor, & inter ſe pugnant, donec alter ab altero privetur.

Dices ſecundò, quod calor nativus, & febrilis ſemper manent ſub eadem ſpecie caloris.

Reſpondetur, quod licèt non differant ſpecie entitativè, differunt modaliter, quod ſufficit ut alter lædat operationes, alter perficiat ; ſufficit enim hæc modificatio ad variandas operationes, ut apparet in calore ut quatuor, qui modificatus per ſanitatem omnes perficit ſuas operationes ; ſi in eadem intenſione modificatur qualitate venenoſa, maligna, aut peſtilente, lædit omnes operationes, & mortem inducit ; febres enim parvæ, & malignæ in-

A fidis ſignis firmatæ, quarto die, aut citiùs interimunt.

§. III.

Deciditur cujus caloris extinctio ſit cauſa mortis repentina.

Reſolvendum ſecundò, quod repentina extinctio caloris vitalis in corde eſt cauſa mortis repentinæ immediata.

Probatur primò : Cauſa immediata mortis repentinæ debet eſſe illa, à qua B immediatè repentè oblata neceſſariò repentina mors ſupervenit, utcunque ab aliis mediatis cauſis ſubſequuta : ſed utcumque ab aliis cauſis proveniat caloris vitalis extinctio, ſtatim ab illa mors repentè accidit, cùm nequeat retineri vita ſine vitali calore, à quo pendet tanquam à cauſa continente conſervativa : Ergo ſubita extinctio vitalis caloris eſt cauſa unica, proxima, & immediata mortis repentinæ.

Probatur ſecundò de omnibus calori- C bus enumeratis. Nam elementalis poteſt adeſſe, & abeſſe ſine ſubjecti corruptione, prout eſt accidens commune : Sed calor innatus, & adſcititius nequeunt deficere ſine defectu vitalis caloris, à quo foventur, & conſervantur : Ergo à ſola extinctione repentina vitalis caloris fit repentina mors.

§. IV.

Fit ſatis ad rationem pro Tyrillo adductam.

D Ad rationem foventem Tyrillum reſpondetur, quod licèt vita definiatur per permanſionem calidi in humido, & ſine hac nequeat vita permanere, ut comprobatur in morte naturali, hoc paulatim fit, & mors paulatim ſubſequitur, quia reſolutio humidi radicalis eſt paulatina. At verò mors repentina ex defectu caloris vitalis provenit repentè, non ex defectu calidi innati per conſumptionem ablati, ſed ex ejus remiſſione à frigiditate proveniente ab extinctione vitalis ca- E loris ſpirituum, à quo debet conſervari ; & ideo repentina mors ſic repentè accidit proximè, & immediatè, quia repentè extinguitur calor vitalis, quia eſt cauſa, ſine qua non, à qua tanquam à cauſa continente dependet innatus calor.

SECTIO

SECTIO QUINTA.

De cauſis mediatis mortis propriè dictæ repentinæ.

CONSTAT ex dictis, quod mors repentina propriè dicta eſt ſubitaneus, & ferè improviſus receſſus animæ à corpore, & quod poteſt ab innumeris violentis, & externis provenire cauſis, quarum plures ſuprà retulimus: ſed præcipuè ſic dicta, de qua agimus, ab occultis internis fit cauſis, corde patiente, inter quas cauſa per ſe proxima, & immediata, ut nuper probavimus, eſt extinctio caloris vitalis, à quo conſervatur innatus, & fovetur. Sub hac Sectione contendimus diſputare de internis cauſis mediatis mortis repentinæ, à quibus repentina provenit extinctio caloris vitalis, & ſpirituum, à quibus fovetur intra ipſum cor.

RESOLUTIO I.

Quot ſunt genere diverſæ cauſæ ſubitæ extinctionis caloris vitalis in corde.

§. I.

Tyrilli proponitur modus opinandi.

TYtillus *lib. de cauſis mortis repentinæ, cap. 6.* ſupponit, quod cauſa immediata mortis repentinæ eſt extinctio caloris innati reſidentis in cordis ſubſtantia; & tenet quod cauſæ mediatæ mortis repentinæ, à quibus provenit innati caloris extinctio, ſunt quatuor, ita ut per has innatus calor extinguatur; ob alterationem, inquam, per contrariam qualitatem, aut per ſuffocationem, aut per marcorem, vel calidi innati diſſolutionem. Sic deducit ex Galeno *lib. de utilitate reſpirationis*, ubi hanc protulit doctrinam, ſumptâ ſimilitudine à flamma ignis, quæ deficit ob defectum pabuli, à ſuo contrario, vel quia privatur altero ex motibus ſurſum, aut deorſum, vel quia reſolvitur ab intenſiori calore.

Sed hoc placitum impugnavimus *tom. 1. Reſolut. Medicar.* Tum quia ſupponit, quod calor innatus cordis eſt qui extinguitur in morte repentina; reſultat enim ex parti-A bus materialibus igneis, & aëreis elementorum, & ab illis fovetur, & conſervatur toto tempore, quo ab ſpirituum calore fovetur, & impeditur frigiditas ad extra communicanda, donec decurſu ætatum, illis reſolutis partibus, à quibus reſultat, abeat in marcorem. Tum calor innatus inhæret in ſubſtantia calidi innati, quæ non eſt flamma, ſed ſolida ſubſtantia permanens, & immanens, commixta reliquis partibus, quæ nequit comprimi, neque B ſuffocari, nec movetur ſurſum, ac deorſum; & ideo nequit modo flammæ corrumpi, ſuffocarive defectu motus ſurſum, nec defectu motus deorſum, cùm non conſervetur à pabulo, ſed per nutritionem, ſicut reliquæ partes viventes. Tum quia cùm calidum innatum, ex quo reſultat calor innatus, ſit ſubſtantia vivens ſolida, non poteſt repentè corrumpi, ut deficiat, qualiter requiritur pro morte repentina. Tum quia tantùm reſtat, quod innatus calor deficiat, quia C corrumpitur à frigore; quod implicat, ſi ſunt ſpiritus vitales, à quibus calefiat: Ergo ex ſola extinctione illorum, & vitalis caloris poteſt mors ſubſequi repentina.

§. II.

Proponuntur genera cauſarum mediata mortis repentinæ.

REſolvendum, quod cauſæ mediatæ mortis repentinæ internæ, à quibus fit extinctio vitalis caloris, & ſpirituum vitalium, ſunt quatuor, vel quia repen-D tè impeditur vitalium ſpirituum generatio, vel quia ſpiritus geniti ſubitò diſſipantur & evacuantur, vel quia à præternaturali cauſa alterati corrumpuntur, vel quia jam geniti ſuffocantur.

Patebunt hujuſmodi cauſæ ex ſubſequentibus reſolutionibus, in quibus ſeorſim agemus de illis.

RESOLVTIO II.

E Utrum ſint variæ cauſæ impedientes vitalium ſpirituum generationem repentè.

§. I.

Tres proponuntur cauſæ mortis repentinæ, quia ſpiritus non generantur.

REſolvendum primò, quod tres poſſunt eſſe cauſæ repentinæ, ob quas deficiat repentè ſpirituum vitalium generatio in cordes

corde ; vel vitium facultatis, ſeu agentis, à quo ; vel vitium viarum, per quas fertur cauſa materialis, ex qua generantur ; vel vitium cauſæ materialis, ob quod talis materialis cauſa ſit inepta ut generentur ex illa. Sic tenent Tyrillus, Rivetius, Albertinus, & patebit ex nuper comprobandis.

§. II.

Proponuntur vitia, ob quæ impeditur concoctrix cordis repentè ab ſpirituum generatione.

RESolvendum ſecundò, quod cordis concoctrix facultas impediri poteſt ab omni morborum genere repentè, ſi repentè magni ſuperveniant morbi, ne poſſint vitales ſpiritus generari impedientes.

Probatur : Nam cùm cor ſit pars noſtri corporis, & membrum organicum deſtinatum ad totius conſervationem, debuit habere debitam conſtitutionem ſuarum partium, & debitam unionem ac temperiem : Sed omnia hæc poſſunt repentè à violentis deſtrui cauſis : Ergo quolibet vitio violenter ſuperveniente, & cordis debitam invertente conſtitutionem, lædendo concoctricem cauſa erit ut non generentur ſpiritus ob vitiatam facultatem concoctricem.

§. III.

Proponitur viarum impedimentum, ob quod defectu materiæ ex qua, non fiunt ſpiritus.

RESolvendum tertiò, quod ſunt plures cauſæ denegantes tranſitum repentè materiæ requiſitæ pro ſpirituum generatione in corde.

Probatur. Nam materia adhuc apta pro ſpiritibus vitalibus generandis in corde, ſolet repentè impediri, ne tranſeat ad cor : ergo ſubitò impedita, erit cauſa ſubita ne generentur ſpiritus, & mortis repentinæ. Probatur antecedens. Tum quia poſſunt arteriæ, per quas defertur aër pro materia ſpirituum, impediri, aut quia anguſtiantur à materia comprimente, vel à materia conſtipante : ſi à comprimente, hæc aut eſt in venis, aut extra illas : ſi in venis, poteſt eſſe ſanguis, ex Galeno *lib. 2. de cauſis pulſuum, cap. 2.* & *4. de rat. vict. in acut. text.* 82. qui in pulmonis venis infuſus, copiâ comprimit, læves arterias propinquas coarctans, & intercipit tranſitum, & inducit ſyncopen, & mortem repentinam, præcipuè ſi humor ſit lentus, à quo maximè circa cor ejus repentina compreſſio mortem cauſat repentinam. Tum ſi arteriæ anguſtientur à materia comprimente intra venas, poteſt etiam impediri tranſitus materiæ ad cor, ſive cauſa impediens ſit cauſa ſolida, qualis ſolet eſſe vertebra laxata comprimens tracheam arteriam ; vel eſt humoroſa impacta, qualis ſolet eſſe angina in capite tracheæ arteriæ, ſive proveniens à ſanguine citra bilem, ſive à bile, aut pituita, aut melancholia, ſive à commixtis ſuccis, ſive à ſcirrho, aut crudo tuberculo : vel poteſt eſſe materia non impacta, replens intermediam regionem inter thoracem, & pulmonem, vel caverulas pulmonis ; unde læſio reſpirationis, & totale ejus impedimentum ſupervenit, indeque repentina mors defectu materiæ aëris pro ſpiritibus generandis, ex Galeno *4. de locis, cap. 8.* & *12. methodi, cap. 4.* Sic impedit reſpirationem, vel quia intercapedinem occupat, vel quia inhæret impactus in finibus arteriæ : ſic & alius quivis lentus humor, frigidus, tenax, in lævibus arteriis pulmonis receptus, ſive defluens à capite, ſive à jecore tranſmiſſus, aut aliunde in læves arterias, impediens repentè reſpirationem, & aëris receptionem, & tranſmiſſionem in cor, ex quo fiant ſpiritus. Sic obſervat Galenus in Antipatro, in quo præcedente palpitatione, & difficultate reſpirationis, ex minore obſtructione, ſubitò major ſubſequuta fuit, & ſubſequuta mors repentina, ex Galeno *4. de locis, cap. 8.*

§. IV.

Licèt materia pro ſpiritibus feratur ad cor, poteſt ſubſequi mors repentina.

RESolvendum quartò, quod ſunt plures cauſæ, ob quas licèt materia pro ſpiritibus recipiatur in corde, tamen quia inepta, ipſi non generantur, & repentina fit mors.

Probatur ſupponendo, quod materia ex qua fiunt ſpiritus vitales in corde, eſt duplex, aër, & ſanguis, & ex utriuſque vitio poteſt impediri ſpirituum generatio, & ſubſequi repentina mors : quod provenit à variis cauſis. Tum quod poſſit provenire ex vitio aëris, patet ; nam aëris ſubſtantia poteſt inſici à venenata commixta ſubſtantia, aut vapore, quo ineptus fiat, ut ex illo generentur ſpiritus, ut contingit in peſtilente conſtitutione, in qua ob ineptum peſtilentem aërem pro ſpiritibus generandis, fiunt repentinæ mortes. Tum idem contingit ex inſpirato aëre

veneno ſo ex fodinis ſubterraneis, ex barathris, aliiſve inſpiratis cum aëre venenoſis vaporibus, ex mineralibus, ex ſtagnis, paludibus, à quibus ipſe infectus aër fit ineptus pro ſpirituum generatione, qua ſubitò deficiente, fit repentina mors, quia deficit aër, ut materia apta proxima pro ſpirituum generatione. Tum defectu ſanguinis requiſiti pro ſpirituum generatione contingit repentina mors, vel quia deficit ut materia proxima, vel ut remota, ut illa fiat: ex vitio materiæ remotæ non generantur ex ſanguine ſpiritus, vel quia hæc deficit in prima regione, ſeu officina, ſcilicet in ventriculo; vel quia eſt ſubſtantia corrupta, vel quia in illo corrumpitur, vel quia omnino deficit; & hoc vel quia non offertur, vel quia oblata non coquitur, ut in diſpepſia; aut quia loco chili fit ſumma cruditas inepta ut fiat ex illa ſanguis; vel ſi fiat chilus, quia non tranſit ad jecur, ut in diarrhæa chiloſa, & magnis obſtructionibus accidit viarum lactearum. Tandem jecori non offertur chilus ſæpe in quanto, & quali aptus pro ſanguine generando. Tum defectu materiæ proximæ non fiunt ſpiritus, dum impeditur ſanguinis ad cor tranſmiſſio in ſufficiente quantitate pro illis, vel cum apto ſubſtantiæ modo pro tali generanda ſubſtantia. Deficit neceſſaria quantitas, vel quia imminuitur, vel quia corrumpitur. Imminuitur, vel quia ſenſibiliter, aut inſenſibiliter evacuatur: ſi ſenſibiliter, vel per ſanguinis miſſionem, vel per hæmorrhagiam narium, per os, per vomitum, per uterum, per hæmorrhoïdes, per vulnus, & per quamlibet venæ, aut arteriæ apertionem anoſtomoſi, diapedeſi, diæreſi factam, ſive à cauſa externa, ſive ab interna, ob plenitudinem, aut corroſionem per erodentem ſubſtantiam: ſi inſenſibiliter, vel in colliquatione inſenſibili, vel in balneo calido. Tum materia ſanguinis corrupta fit inepta pro ſpirituum generatione, ut in ſumma putredine, aut corruptela febrium malignarum, aut peſtilentium: vel ſi ab externa cauſa accidit venenatum fieri ſanguinem, ut in morſu canis rabidi, aut animalis venenoſi, ſcorpionis, aut ſimilium, ex quorum veneni corruptione contingit ſanguinem venenatum, & corruptum nullam poſſe præſtare ſubſtantiam aptam pro ſpirituum generatione, & ea deficiente, mortem repentinam ſupervenire.

Resolutio III.

Utrum cordis coctio poſſit repentè aboleri ex omni morborum genere, & mors ſubſequi repentina.

§. I.

Ratio dubitandi aperitur, & proponitur pars negativa.

Inter primas mortis repentinæ cauſas propoſuimus labefactatam vim concoctricis cordis, ita ut nequeat ſpiritus generare, eo quòd impeditur à morbis cordis: dubitamus an vita ſuperſtite talis inſit læſio cordi?

Prima opinio poteſt eſſe, quod vita ſuperſtite nullos valeat cor pati morbos debilitantes vires concoctrices, quia tanta eſt cordis neceſſitas ad vitam, ut quocumque ſuperveniente in illo morbo, ſtatim vita pereat. Primò, quia ſic videntur fateri Hippocrates, Galenus, & Plinius, ex quibus apparet, quod nequeat in corde aliquis morbus permanens impedire coctionem, per quam fiunt ſpiritus vitales. Suadetur ex variis Authoribus. Hippocrates *lib. 4. de morbis, num. 16.* inquit: *Cor ita ſolidum, ac denſum eſt, ut ab humore non ægrotet, propterea nullus morbus in corde oboritur.* Ariſtoteles *lib. 3. de partibus animal. cap. 4.* dicit, quod cor non patitur gravem morbum; nam eſt vitæ principium, & ſtatim ex morbo in illo ſequitur mors. Avicenna *fen. 1. 1. doct. 3. tract. 1. cap. 2.* idem teſtatur.

Probatur ſecundò ratione deſumpta ex Ariſtotele. Nam cor eſt vitæ principium: ſed læſo vitæ principio, reliquæ partes, quæ vivunt per illud, ſtatim perire eſt neceſſe: ergo nequit pati morbum, per quem vita ſuperſtite lædatur coctio intra illud.

Probatur tertiò de intemperie; debita enim temperies eſt principium vitæ conſervativum in omnibus partibus: ergo ſi detur in corde intemperies, erit principium deſtructivum vitæ in illo, ſimul & in reliquis partibus.

§. II.

Vita ſuperſtite plures morbi admittuntur in corde.

Reſolvendum, quod ſub quolibet genere morborum plures poſſunt in corde ſubſiſtere, vita ſuperſtite, per quos patiatur concoctrix illius.

Probatur

Probatur primò ex pluribus obſervationibus. Zacurus aliquas addueit ex Galeno *lib. 5. de loc. affect. cap. 1. lib. 7. de Anatomic. administrat. cap. 5.* Moronus varias retulit ex Zacuto *de PP. MM. Hiſtor. 41. lib 2.* qui referr quod in corde viſi ſunr rumores ſcirrhoſi. Schenkius *lib. 1.* narrat, quod viſum fuit cor hirſutum, & aliud cum excreſcentia carnoſa, aliud cartilagiueum, aliud cum veſſicula ſanguine referta. Severinus *conſil. 24.* vidit cor pure refertum ex vomica rupta in pulmonibus. Hildandus vidit cor cum abſceſſu vivens, & eum aliqua putredine, *cent. 4. obſervat. 51.* & *cent. 2. obſervat. 27.* vidit cor adhuc vivens cum aliqua ſui putredine. Tulpius *lib. 1. cap. 27.* vidit polypum in corde. Schenkius vidit in corde tumorem magnitudinis unius ovi: in alio obſervavit ulcera ſordida. Idem confirmat Benivenius *cap. 65.* Vermes vidit in corde Schenkius, & calculos. Bartholinus tenet lapidem reperrum fuiſſe in corde Pontificis Maximi Urbani VIII. Conſtat in hectica cor pati excedentes calorem, & ſiccitatem. Ergo vita ſuperſtire poteſt cor pati varios morbos, ex quibus labefactetur ejus concoctrix facultas.

Probatur ſecundò: Cor eſt pars organica compoſita ex debitis compoſitione, unione, & temperie: Ergo ſi hæ varientur, ſubditum eſt omni morborum generi, à quo labefactetur coctio in illo.

Probatur tertiò: Nullus morbus poteſt eſſe in corde magis incompatibilis cum vita, quàm febris ardens, ſyncopalis, aut peſtileus; Sed docet experientia, quod cum illis per plures dies permanet vita, & ſpirituum generatio per illius coctionem: Ergo vita ſuperſtite, poteſt cor pati morbos, & per illos datur tempus, ut lædatur coctio, & ſpirituum generatio.

§. III.

Solvuntur rationes dubitandi primò adducta.

AD primam reſpondetur, quod Hippocrates, Galenus, Ariſtoteles, & alii Authores non negant omninò eſſe impoſſibile cor pati varios morbos; ſed ob cordis principalitatem tenent, quod ii morbi, ſi magni fiant, nequit perſiſtere diu vita propter ejus principalitatem, & neceſſitatem ad conſervandas reliquas partes.

Ad ſecundum reſpondetur, quod læſo vitæ principio læſione incompatibili cum vita, nequit vita conſervari nec in illo, nec in reliquis partibus poteſt in
A remiſſa læſione vita permanere in corde.

Ad tertium reſpondetur, quod à morbo triplex læſio actionum poteſt accidere, depravata, abolita, & diminuta: ſi coctio diminutè lædatur, permanet vita; ſi abolita fiat coctio paulatim, fit paulatina mors; ſi repentè, repentina.

RESOLVTIO IV.

B Utrum defectus alimenti pro ſpiritibus generandis ſit cauſa extinctionis caloris vitalis, & mortis repentinæ.

§. I.

Aperitur difficultas, & ſuadetur pars negativa.

INter cauſas extinctionis vitalis caloris & mortis repentinæ poſuimus defectum alimenti, ex quo debent ſpiritus vitales generari, per quorum calorem vita con-
C ſervatur: ex quo conſequenter aſſeruimus, ob illius repentinum defectum poſſe ſubſequi mortem repentinam. Zimara *theoremate 91.* partem negativam ſuadere conatur, aſſerens quod defectus alimenti nequit eſſe cauſa extinctionis caloris. Quia quilibet effectus realis debet provenire à cauſa reali: Sed defectus alimenti non eſt cauſa realis, ſed privativa cauſa: Ergo ab illo nequit provenire defectus vitalis caloris, ſed à ſolo frigore, qui eſt cauſa poſitiva calori contraria, & illius
D corruptiva.

Dices, quod licèt defectus alimenti non ſit cauſa per ſe poſitiva corrumpens calorem, eſt cauſa per accidens, & hoc ſufficit ut deficiat ob illam calor, & ſubſequatur mors.

Sed contrà: Effectus per ſe realis ſemper petit cauſam per ſe realem: Sed pro corrumpendo calore cauſa per ſe realis eſt frigiditas: Ergo à nulla alia, nec per ſe, nec per accidens poteſt vitalis calor corrumpi, aut extingui.

E

§. II.

Proponitur, & fulcitur pars affirmativa.

REſolvendum, quod calor vitalis, & actuatus, qui ab ſpiritibus conſervatur, poteſt deficere per accidens, ipſis deficientibus, ſine frigiditate poſitiva, à qua corrumpatur, & ex ejus defectu repentino poteſt ſubſequi repentina mors.

Probatur primò, quod defectu alimenti

poſſint deficere ſpiritus vitales, ex Ariſtotele *lib. 4. meteoror.* ubi docet, quod à calore nos reſolvente deficit noſter calor defectu pabuli. Galenus *lib. de marcore, cap. 4.* tenet ſimplicem marcorem fieri in inedia defectu alimenti, ubi quis ex electione famem tolerat, vel aliàs præ ciborum inopia fame conficitur. Avicenna *fen. 1. 3.* inquit: *Calor innatus eſt cauſa extinguendi ſeipſam accidentaliter, quia conſumit ſuam materiam, ſicut lampadis flamma, quæ extinguitur, quia ſuam conſumit materiam.* Ergo ſine frigiditate poſitiva, nec cauſa contraria per ſe corrumpente calorem vitalem, poteſt per accidens extingui defectu materiæ, ex qua foveatur.

Probatur ſecundò: Calor vitalis, qui conſervatur ab ſpiritibus vitalibus, eſt accidens: Ergo tot modis poteſt corrumpi ac deficere, quot reliqua accidentia; ſed accidentia tripliciter poſſunt deficere, vel per accidens defectu conſervantis, ut deficit lux defectu illuminantis; vel defectu ſubjecti, à quo individuantur, & in quo inhærent, ut deficiunt accidentia, corruptâ formâ ſubſtantiali; vel à poſitivo contrario, ut deficit calor, dum à frigore corrumpitur: Ergo vitalis calor ſpirituum ſine frigore corrumpente ſubitò deficere poteſt, ſi ſubitò deficiant ſpiritus, à quibus conſervatur, ſine frigore per ſe illum corrumpente.

§. III.

Solvitur Zimaræ poſitum fundamentum.

AD dubitandi rationem patet ex dictis, quod ſine contraria frigiditate calorem corrumpente poteſt extingui vitalis calor vitam conſervans, defectu ſpirituum, per quos conſervatur: & ipſi ſpiritus poſſunt etiam repentè deficere defectu alimenti, ex quo generantur.

RESOLUTIO V.

Utrum aër ſua pravitate fiat ineptus pro ſpiritibus generandis.

§. I.

Proponitur pars negativa, & fulcitur.

PRo ſpirituum vitalium generatione præſtant materiam ſanguis, & aër. De ſanguine cauſas propoſuimus, ob quas fiat impotens illam præſtare. Reſtat examinare, an poſſit aër ita pravus reddi, ut A fiat ineptus ad illam præſtandam, ita ut ſpiritus, quia nequeunt ex illo generari, ſubitò deficiant, & repentina ſubſequatur mors.

Pars negativa videtur ſuaderi: Nam aër ita eſt noſtræ naturæ coaptatus, & contemperatus, ut vita ſine illo nequeat ſuſtineri: ideo illum Diogenes Deum vocabat. Ariſtoteles protulit, quod ſine illo nequit vita conſervari, quia animal vivere, & non reſpirare, impoſſibile eſſe tradidit Hippocrates *lib. de morbo ſacro:* & B *lib. de flatibus*, vocat aërem authorem ſalutis. Galenus *lib. 9. meth. cap. 14.* tenet, quod aër eſt, ſine quo non tollitur morbus: Ergo nequit illi accidere, quod fiat ineptus pro ſpiritibus generandis, & quod fiat cauſa repentinæ mortis.

§. II.

Proponitur qualis aër fiat ineptus pro ſpiritibus generandis.

REſolvendum primò, quod à peſtilente contagio, & venenoſa qualitate C commixtis fit pravus, & ineptus, ut præſtet aptam materiam pro generandis ſpiritibus vitalibus.

Probatur primò: Aër, quantumvis purus in ſeipſo ſit, & deſtinatus pro viventium conſervatione, poteſt conſpurcari, fieri putidus, venenoſus, peſtilens: Ergo & ineptus, ut præſtet aptam materiam pro ſpiritibus generandis. Patet conſequentia ex Galeno *in præfatione lib. 1. de morb. vulgar.* ubi docet, quod tanta eſt D aëris vis in morbis generandis, ut alteratus ſtatim conturbet corpus. Antecedens protulerunt Principes Medicinæ. Aëtios *tetrabibl 2. ſect. 1. cap. 40.* reddens cauſas conſpurcationis aëris, inquit: *De popularibus, & paſſim vagantibus, ac peſtilentibus morbis; ſed & regionis natura ſæpe communes morbos invexit, aëre quem tranſpiramus, à putredinoſa evaporatione coinquinato. Cauſa verò talis putredinoſæ evaporationis, aut mortuorum multitudo eſt, veluti in bellis contingere ſolet, aut ſtagnum,* E *aut barathrum aliquod profundum, aut paludes quædam in propinquo, quæ venenoſam, aut pravam exhalationem emittunt.* Tum idem docet Ægineta *lib. 2. de re Medica, cap. 3.* dicens: *Sed locorum naturæ communes morbos ſæpe invexerunt, quandoque paluſtrium, quandoque barathrum vicinum habentium, quod exhalationem venenoſam ac pravam emittit. Atque hæc frequenter contigiſſe ſolent: verùm ambiens noſter immutat temperamenta.* Tum Galenus *lib. 1.*

lib. 1. *de differ. febr.* teſtatur quod fit aër impurus, pravus, & peſtilens, immutatâ illius ſubſtantiâ & temperie.

Dices, quod ex dictis patet, quod aër poteſt alterari, conſpurcari, & fieri peſtilens; non autem quod fiat ineptus pro ſpirituum generatione, cùm in ipſis qui febrem peſtilentem patiuntur, præſtet aptam materiam, ex qua ſpiritus generentur, per quos vita conſervatur.

Sed contrà ſtat, quod licèt aliquis aër cum minore pravitate valeat præſtare materiam pro ſpiritibus generandis, tamen intensè pravus erit ineptus, ut colligitur ex Galeno *lib.* 7. *de uſu part. cap.* 8. Tum quia adhuc aptus in ſubjectis robuſtis, erit ineptus in debilibus ſubjectis ineptis ad vincendam pravitatem. Tum quia in peſte affectis licèt reſiſtat natura pravitati in principiis, non ſemper in reliquis temporibus. Tum Galenus *lib. de theriaca ad Piſonem, cap.* 16. tenet, quod pravus inſpiratus aër eſt tanquam præſentaneum venenum, ad quod ſequitur repentina mors: Ergo talis erit ineptus in corde pro ſpiritibus generandis.

Probatur ſecundò: Aër poteſt prava infici putredine: Ergo tunc ineptam acquiret ſubſtantiam, ut ſpiritus generentur ex illo. Probatur antecedens in aëre peſtilente, ex quo putrefacto, ſive per arterias attracto, ut tenet Sylvius *lib.* 1. *de differentiis febrium*, & deducitur ex Hippocrate *lib.* 6. *de morb. vulgar.* ſive ſit attractus reſpiratione, repentè ſpiritibus deficientibus, mortem valet cauſare, ut probat eventus in peſtilentibus conſtitutionibus, & apparet in aëre putido ex puteis elevato, aut ex locis charoneis, ut docet Galenus *lib. de natura humana, cap.* 2.

Probatur tertiò: Ex corrupta alimenti ſubſtantia; ut comprobat experientia, fit ſanguis ineptus, ut præſtet materiam aptam pro ſpiritibus generandis: Sed aëris ſubſtantia ſimili modo poteſt corrumpi: Ergo ſimili modo fiet inepta, ut præſtet materiam pro generandis ſpiritibus. Probatur minor: Tum ex Galeno; qui ut ethnicus, *lib.* 1. *de morb. vulgar.* tenet à Diis ſæpe aërem corrumpi; Catholici verò fatentur à Deo aërem corrumpi, & peſtes nobis immitti: & narrant ſacræ Literæ ſic per varia tempora peſtes fuiſſe immiſſas à Deo. Tum poteſt aër venenoſus peſtilenſque reddi, & ineptus pro generatione ſpirituum ex aſpectibus ſiniſtris aſtrorum, ut tenent Aſtrologi, & fatetur Cardanus *lib.* 24. *de venenis.* Tum Me-

A dici totam ferè aëris corruptionem reducunt ad unicam cauſam; permixtionem, inquam, ſubſtantiæ alienæ, à qua aër redditur venenatus, putridus, pernicioſus, peſtilens, & lethalis: & hoc cóinquinamentum cum Avicenna, Galeno, Ægineta, Aëtio, & aliis provenire dicunt ex variis cauſis, ſeu ex vaporibus commixtis communicatis ex cauſis pluribus, ex cadaverum multitudine in præliis occiſorum, ex prava exhalatione lacuum, ſtagnorum, paludum, cœnoſorum locorum, ab aura peſtilente elevata ex antris

B profundis, ſpecubus, ex terræ hiatibus, cavernis, barathris, mineris ſulphuris, ex cloacis, fœtentibus ſentinis, ex aëre corrupto diu concluſo in loco non ventilato, vel in quo mixtum ſit corruptum, ut in puteis concluſis diu, in horreis, ſeu ſubterraneis locis, in quibus concluſum triticum computruit; vel quia contagium peſtilens trahitur communicatum per aërem ex locis peſte infeſtatis, vel per fomitem in veſtibus, vel ex infectione aëris

C ab animalibus venenoſis.

§. III.

Aër ut inepta materia pro ſpiritibus, & ut cauſa illos corrumpens, ſit cauſa mortis repentina.

Reſolvendum ſecundò, quod ab aëre infecto non ſolùm ſupervenit mors repentina, quia non præſtat materiam aptam pro generatione ſpirituum, ſed quia ſua venefica vi illos valet extin-

D guere.

Probatur: Omnis qualitas venenoſa, & peſtilens vi ſua venefica valet ſpiritus vitales corrumpendo, & diſſipando mortem inducere: Sed omnis aër modis ſupradictis corruptus acquirit vim venenoſam, & peſtilentem, ex qua ſubitò poſſint corrumpi ſpiritus, & mors ſubſequi: Ergo poteſt ſubitò interficere. Probatur minor: Tum ex Valleriola, qui in peſtilente, & venenoſo aëre ex vi venefica ante omnem febrem tenet poſſe homines

E ſubitò perire, inquit enim: *Videmus autem non rarò, qua eſt vis intrò concepti peſtilentis halitus, ſyderatorum inſtar concidere repentè eos qui peſte correpti ſunt, cùm alioquin iis neque pulſus exitialis, neque urina, nec vix ulla adverſa valetudinis ſigna appareant, ſanique videntur; ſtatim loquentes, & concidentes tanquam fulmine icti, pereunt ex aëris conſtitutione.* Ergo ab ejus venefica vi ſpiritus extinguente. Tum Alexander Benedictus de aëris peſtilen-

te, & venenoſa vi ad interficiendum repentè, inquit: *Hoc malum mirabile mortalibus ita evenit. ſubitò, ut plurimùm ſine febre, inter domeſticas, aut forenſes actiones, vel publica negotia, decem horarum ſpatio, ſine urina, & pulſus certo ſigno, in templis, in via, in publicis officiis ex inſperato rapiantur.* Ergo ob venenoſam vim aëris ſpiritus extinguentem.

Probatur tertiò ex variis hiſtoriis, quæ vim veneficam aëris in peſtilentibus conſtitutionibus referunt validam ad extinguendos ſpiritus, & repentinam cauſandam mortem. Sotanus refert in vita Hippocratis, & apparet in hujus epiſtolis, quod peſtis quæ Hippocratis tempore ex Æthiopia ad Græcos percurrerat, tanquam venenata quædam fera miſerè, ac ſubitò omnes ferè interimebat, donec Hippocrates venenoſum aërem odoribus purificavit. Titus Livius *decade* 3. *lib.* 5. refert extra, & intra mœnia Syracuſarum ex aëre corrupto talem ſubito mortuorum interitu cladem cunctis ſupervenisſe, ac tam repentinam, ut nec locus illis fuiſſet C pro ſepeliendis mortuis. Anno 1570. in Venetis triremibus pugnantibus contra Solimanum, ex aëre corrupto ex multis excrementis pleriquе militum ex abrupto interierunt maligna aëris vi occiſi. Schenkius *lib.* 6. *obſervat.* 135. tenet quod anno 1534. in Gallia Narbonenſi ex aëris corruptione talis venenoſa ſupervenit qualitas, ut plurimi quaſi fulmine icti repentè ſint interempti. Cardanus *comment. ad lib.* 5. *aphor.* tenet, quod aëris corrupti proventu plures breviter ſternu antes repentè interierunt. Anno 1576. apud Venetos lethifera aëris vis per annum ſuperſuit; & ſeptuaginta millia hominum morte quaſi repentina extinxit. Mercurialis *lib.* 1. *de venenis*, *cap.* 7. & *lib. variar. cap.* 15. & Nicolaus Florentinus *tract.* 4. *ſerm.* 4. *ſum.* 2. *cap.* 9. referunt venena factitia aërem poſſe inficere vi venefica factitia, quâ valeat ſpiritus corrumpendo ſubitò interimere. Sic viderunt feciſſe Franciſcum Ordelafum Forlivienſem: ſic fuit obſervatum in circunforaneo quodam, qui veneno à ſe confecto in caryophillis, fuit ab illo extinctus repentè in foro Senenſi. Schenkius ſimilia obſervat exempla *lib.* 7. *obſervat.* Comprobat Plinius in ambitu Puteolano circa Neapolim, & [illegible]rrat ad radicem rupis lacus Agnani aërem ita venenoſum exire, ut homines, & animalia repentè extinguat. Hæc ex Tyrillo, & aliis relata, comprobant venenoſam aëris vim poſſe ſpiritus A extinguendo mortem repentinam cauſare.

§. IV.

Solvitur ratio dubitandi primò adducta.

AD rationes dubitandi reſpondetur, quod aër purus eſt à natura deſtinatus pro vita conſervanda: deſervit etiam minùs purus; ſed ſi ad omnimodam pervenit impuritatem per commixtos vapores peſtilentes, & venenatos, pu-B tridos, deleterios, & veneficos, fit ineptus omninò pro præſtanda materia ad generandos ſpiritus vitales in corde, & ſua vi venefica iam genitos corrumpit, & extinguit.

RESOLUTIO VI.

Utrum defectui aëris pro materia ſpirituum, an pro defectu ventilationis tribuenda mors repentina in obſtructis viis pectoris.

§. I.

Proponitur dubitationis fundamentum.

INter cauſas mortis repentinæ defectu cauſæ materialis in corde pro ſpiritibus generandis, poſuimus obſtructiones lævium arteriarum, per quas impeditur ingreſſus aëris ad cor, defectu cujus deficit generatio ſpirituum, ex quo mors D repentina ſubſequitur. Hujuſmodi obſtructionem docuit Galenus *lib.* 4. *de locis affectis*, *cap. ult.* proponens hiſtoriam Antipatri Medici Romani, quam ex illo breviter deducam. Galeni enarratio præcipuè continet, quod tetigit pulſum Antipatri, invenitque inæqualitatem omnigenam in pluribus pulſationibus, & in una citra febrem, & citra reſpirationis difficultatem: interrogatus de cauſa, reſpondit quod à lævibus pulmonis arteriis gravatis craſſis humoribus oriebatur affectus, E & quod non erat obſtructio in aſpera arteria, quia non erat orthopnœa: præter has cauſas admittit Carteirus, quod poſſint læves arteriæ obſtrui à craſſo flatu comprimente illas. Ex defectu febris cognovit Galenus, quod non erat inflammatio, à qua poſſent obſtrui: ex perſeverantia poterat cognoſci, quod non fieret obſtructio à flatu: reſtabat ergo, ut fieret vel à craſſis humoribus, vel à crudo tuberculo. Concertant Juniores in hac

deter

determinanda cauſa. Carreirus tenet, A quòd à craſſis humoribus pendebat obſtructio in Antipatro, *lib. 2. hiſtor.* 12. Zacutus tenet, quod à tuberculo crudo comprimente arterias, adhærens Aëtio *tetrabili 2. ſerm. 4. cap.* 57. quod nobis non tanti videtur momenti, quàm aſſentiri ad hoc, quod læves arteriæ poſſunt obſtrui à flatu, ab inflammatione, à craſſis humoribus, & à tuberculo crudo: & in his eventibus inquitentes, ſi arteriis lævibus impeditis compreſſione, aut obſtructione, eæ non præſtent uſum ut aër tranſeat ad B cor, & inde ſubſequatur repentina mors, ut poſt aliquod tempus narrat Galenus contigiſſe Antipatro, dubitamus an talis repentina mors advenerit, quia defectu aëris ceſſavit in corde ſpirituum generatio, an verò, quia defectu aëris deficit fuliginum ventilatio, & ſpiritus ſuffocantur ab illis.

Doctiſſimus Petrus Salius Diverſus *lib. de affectib. particularibus*, *cap.* 21. ſiſtens in communi doctrina tenet, quod ſupervenit mors repentina, obſtructis lævibus C arteriis pulmonis; quia impedito aëre, à quo deberent ventilari fuligines, fit ab illis ſpirituum ſuffocatio in corde. Ratio illius eſt, quia uſus motus cordis, & arteriarum eſt, ut ex aëre attracto generentur ſpiritus, & expellantur fuligines, ne ab ipſis ſpiritus geniti ſuffocati pereant.

§. II.

Defectus aëris pro ſpiritibus generandis præfertur neceſſitati ventilationis. D

REſolvendum, quod licèt fuliginum ventilatio requiratur pro conſervatione ſpirituum in corde, tamen potiùs tribuenda mors repentina defectui generationis ſpirituum pro illorum generatione.

Probatur primò: Prius eſt ſpiritnnm generatio per coctionem in corde, quàm fuliginum expulſio, quæ ex illa reſultat: Ergo ſuperveniens mors repentina in aëris defectu potiùs tribuenda eſt defectui aëris pro materia ſpirituum, quàm pro E fuliginum expulſione.

Probatur ſecundò: Toto tempore quo datur aditus pro aëris ingreſſu in corde, ut generentur ſpiritus, datur ingreſſus illius pro expellendis fuliginibus: Ergo ſi ſpiritus generantur, ſemper expelluntur fuligines.

Probatur tertiò: Major eſt neceſſitas generandi ſpiritus, quam expellendi fuligines, cùm ſine ſpiritibus nequeat vita conſervari, & cum illis ſpiritus conſputcantibus adhuc poſſit vita ſubſiſtere: Ergo potiùs defectus aëris pro materia ſpirituum, quàm pro ventilatione fuliginum eſt cauſa mortis repentinæ.

Probatur quartò: Petrus Salius fatetur, quod in hoc affectu pleriſque contingit, quod defectu caloris ſuperveniat refrigeratio hepatis, & reliquorum membrorum, & quod poſtea ſubſequitur hydrops dum deficit aëris ingreſſus debitus ad cor: Ergo quia defectu generationis ſpirituum imminuitur calor impartiendus per illos in partes.

§. III.

Solvitur ratio dubitandi primò adducta.

AD dubitandi rationem reſpondetur, quod uſus pulſuum ordinatur ad attrahendum aërem & pro ſpiritibus generandis, & pro fuliginibus expellendis, & ob alios uſus, ut in paſſionibus animæ. Primus tamen uſus eſt ut fiant ſpiritus, qui ſimpliciter ſunt neceſſarii ad vitam conſervandam. Secundus uſus ipſis generatis eſt pro expellendis fuliginibus, ſed poſteriùs.

RESOLVTIO VII.

Utrum ſuffocatio quælibet impediens aëris ingreſſum cauſet mortem repentinam.

§. I.

Proponitur difficultatis fundamentum.

OB ſuam tenuitatem ſimiles apparent ſpiritus vitales externæ ignis flammæ: ii aëre indigent pro materia ex qua fiant in corde, quo deficiente, ſubitò illi, & vita deficiunt. Sed cùm flamma aëre indigeat poſtquam generatur, ne ſuffocata pereat à fuliginibus proprii foci elevatis; ſic ſub dubio cadit, an ſpiritus jam geniti in corde ex aëre & ſanguine, ita indigeant aëre attracto pro ventilatione fuliginum cordis, ut ipſo deficiente, ſpiritus ſubitò ſuffocati pereant, & ſubſequatur mors repentina? Videtur quod non. Nam flamma eſt ſubſtantia in aëre accenſa, quæ indiget in ſua raritate conſervari, & ſurſum moveri; hoc non competit ſpiritibus, cùm non habeant ignis formam, nec naturam: Ergo nequeunt ſubitò ſuffocari defectu ventilationis aëris.

§. II.

§. II.

Traditur cordis ſtructura naturæ ſolertiâ.

COr, ut fatentur Philoſophi, & Medici, eſt fons caloris, vitæ principium, pulſus, & reſpirationis author, focus in quo ſovetur calor vitalis, à quo conſervatur nativus corporis calor, & ſine quo nequit ſubſiſtere vita. Eſt pars animalis, ſita in thorace, in media corporis parte, ut tenet Galenus *lib. 2. de decretis, cap. 4. & 6. de uſu part. cap. 2.* parum inclinans in partem ſiniſtram, ut idem fatetur *lib. 7. de Anatom. adminiſtrat. cap. 7.* cujus figura proximè accedit ad ſphæricam aliqualiter pyramidalem, cum ſuperficie æquali, & lævi: ſubſtantiam habet carneam, craſſam, rubram, denſam, omni fibrarum genere contextam: denſior eſt pars ejus mucronata, quàm in baſi: vaſa habet omnis generis diſperſa per ejus ſubſtantiam: venam recipit coronariam à trunco venæ cavæ cingentem baſim, ſurculos in mucronem ſpargentem pro cordis nutricatu. Habet & coronariam arteriam ſanguinem recipientem ex ahorta procurrentem per totam cordis ſubſtantiam, & in venæ coronariæ ſurculos nnitos per anaſtomoſin excurrentem. Recipit nervos à ſexto nervorum pare exiles, implantatos juxta exitum arteriæ coronariæ.

Ad baſim cordis utrinque emicant appendices membranoſæ ſubſtantiæ, auriculæ dictæ: dextra venæ cavæ oſtio præjacet, ſiniſtra in orificio arteriæ venoſæ. Primò ut ſint veluti promptuaria ſanguinis, & aëris, ne repentè irruentia oppreſſione ſuffocaretur cor, & ne vena cava, & arteria venoſa in violentis motibus rumpantur, & ut ab illis follium inſtar refrigeretur cor.

Partes internæ cordis ſunt duo ſinus ventriculi: dexter appellatur ſanguineus, ſeu venoſus, qui ſanguinem concoquit, & attenuat pro pulmonum nutrimento, quem haurit per diaſtolen ex oſtio patentiſſimo venæ cavæ, & jam coctum, & attenuatum tranſmittit per ſeptum medium in ſiniſtrum ſinum, ſeu ventriculum pro materia ſpirituum: quod reliquum eſt, immittit per venam arterioſam ad pulmones pro illorum nutricatu. Ventriculus ſiniſter aëreus dicitur, quia aërem attrahit pro ſpirituum generatione, & pertingit ad fines coni. Diſcludit hos ſinus quidam quaſi paries, ſeptumve medium craſſum apparens, pervium tamen

A multis foraminibus. Apparent in baſi cordis quatuor orificia, & totidem vaſa; duo in dextro ſinu, & duo in ſiniſtro. In dextro ſunt duæ venæ, vena cava, & vena arterioſa. In ſiniſtro ſunt duæ arteriæ, arteria magna, & arteria venoſa. Vena cava permeans diaphragma patentiſſimo oſtio permeat in dextrum ventriculum refundens copioſum ſanguinem, qui deſerviat pro pulmonum nutricatu, & pro ſpirituum generatione. Pro pulmonum nutricatu tranſmittit concoctum ſan-
B guinem in illos per venam arterioſam, venam dictam ab officio, arterioſam ab ſtructura.

In ſinu ſiniſtro cordis apparet arteria magna, Ahorta dicta, quæ excipit vitales ſpiritus ex aëre, & ſanguine genitos in ſiniſtro ventriculo cordis, & per inſignes ramos, tanquam per aquæductus quoquoverſum impartitur per omne corpus. Tandem arteria venoſa conſpicua apparet in ſiniſtro ventriculo cordis, numeroſa per totum corpus pulmonum ſerie
C & magna ramorum conſperſa, ut aërem deferat in pulmonibus præparatum in ſiniſtrum ſinum pro ſpirituum generatione, quorum portionem transfert ad pulmones, fuligineſque ex corde tranſmittit. Tanta igitur eſt aëris neceſſitas ad vitam conſervandam propter hos fines, & ut ſit moderator nativæ caliditatis, ac conſervator, ut provida natura plura pro illius occurſu in corpore machinaverit inſtrumenta, nares, os, aſperam arteriam, pulmones, diaphragma, epiglottidem, cu-
D tem foraminibus perviam. Aſpera arteria præ reliquis præſtantior eſt via; eſt enim fiſtula oblonga, ex cartilaginibus membraniſque invicem connexis efformata, ſemper patens, quæ incipiens ex humiliori faucium ſede gulæ incumbit, & diſpergitur in pulmones multiplici ſerie ramorum: Illius caput dicitur Larynx, qui poſitus eſt in medio colli, & habet figuram teretem, depreſſus poſteriùs, ut aërem in pulmonibus immiſſum in ſonos formet, & vocem reddat ſic formatus.
E Hanc tractationi placuit inſerere anatomen, ut aptiùs percipiatur doctrina hæc.

§. III.

Obſtructiones in cordis cavitatibus, & vaſis accidunt.

REſolvendum primò, quod morbi in mala compoſitione cordis per ſubitam ſuffocationem extinguentes vitalem calorem, mortem repentinam cauſant,

quicumque illi ſint, ſi valeant occurſum aëris impedire, ſicut & morbi ſimiles viarum ad illud.

Probatur Primò: Suffocatio provenit ab occluſione viarum, per quas trahitur aër in cor ob ſpirituum generationem, aëris attemperationem, & fuliginum expurgationem: Sed omnes viæ in hunc finem ad cor tendentes poſſunt ſubitò occludi, & impediri ab omni genere morborum in mala compoſitione: Ergo ab omnibus illis poteſt repentina mors fieri. Probatur minor; nam viarum occluſio poteſt contingere, ſive viæ occludantur compreſſione ad extra, ſive occludantur per ſuccos ad intra: Ergo ab omni morbo in mala compoſitione.

Probatur ſecundò ex Authorum obſervationibus, qui ſuffocationem experti ſunt, & mortes repentinas ex omni occluſione viarum pro aëre deſtinatarum. Tum patet de morbis laryngis impedientibus aëris ingreſſum, ex quibus repentinæ ſunt ſubſequutæ mortes, quarum plures referunt Marcellus Donatus *lib. 3. de Hiſtoria Mirabili, cap. 7.* ubi confirmat id repentina morte Paulæ Tridapaleæ, quæ pilulas aſſumens, cùm una delapſa per os tracheæ occluſerit viam, in vitæ deſperationem ſubitam traxit ægram, quæ ſubitò periiſſet, niſi deglutita pilula ſtatim liquata aëris ingreſſui dediſſet locum. Similiter filius vocati Manlii, ingurgitans uvas acerbas metu matris perculſus granum immiſit in aſperam arteriam, à quo ſuffocatus repentè obiit. Sic ſuperaddit, quod puer Hebræus caſtaneam comedens, & recipiens in aſperam arteriam aliqua illius fragmenta, fortuitò à mortis periculo evaſit. Alexander Benedictus *in proœmio lib. 8.* dicit, quod quædam Brixienſis compellens filium ad pilulæ ſumptionem, digito arteriam comprimens, ſubitò illum interfecit. Vallerius *lib. 9. cap. 11.* de Anacreonte refert, ab uvarum acino delapſo in aſperam arteriam repentè fuiſſe ſuffocatum. Suetonius *in Claudio*, tenet quod Druſus Pompeius per luſum pyro in ore recepto repentè fuit ſtrangulatus. Sic Fabium Senatorem repente occidit pilus in lacte ſumptus. Sic quomodolibet impedita reſpiratio repentinæ mortis fit cauſa, quia ex Ariſtotele, animal vivere, & non reſpirare, impoſſibile eſt. Sic & Schenkius refert, quod canenti ore aperto fuit ſubitò ficus tranſjectus in os, à quo repentè ſuffocatus obiit.

Tum comprobant Authores per obſervationes, quod non ſolùm eſt cauſa mor-

A tis repentinæ impeditus aëris ingreſſus per impedimenta intra recepta, ſed per compreſſionem, illius reſpiratione intercepta, præcipuè tracheæ arteriæ: quod etiam comprobat Marcellus Donatus, & refert quod Bernardus de Nigris in anno 1667. nervoſæ carnis bolum improbè maſticatum devoravit, ex quo gulæ orificium occupavit, donec poſt diem ſeptimum tranſtulit in ventriculum, poſt magnum periculum mortis, quam non effugit, quia ab inflammatione relicta obiit. Nicolaus
B Florentinus *p. 4. cap. 8. tract. 1.* de ſe refert, quod à deglutito pomo in mero retento fuerit deſtitutus ferè ab omni reſpiratione. Suetonius *lib. 5.* de Claudio Druſo, & Diogene refert, quod repentè obiere ob merum occluſum ex comeſto bovino pede. Tarquinius Priſcus deglutito piſcis oſſe uſque ad œſophagum, ab ipſo repentè ſtrangulatus obiit. Vierius de juvene in Belgio ovum integrum devorante tenet, quod repentè fuit ſtrangulatus: ſuperaddit Marcellus Donatus, quod
C ſtrangulati fuere multi aëris impedito tranſitu ab œſophagi tumoribus, reddens rationem ex Ariſtotele *34. problem. 9.* Nam licèt meatus œſophagi, & aſperæ arteriæ ſint diſtincti, & alter pro cibis, alter pro aëre deſtinatus; ſed ſunt affines, & contingit, quod tumoroſum contentum in gula valeat compreſſione aſperæ arteriæ impedire aëris tranſmiſſionem, pellicula poſterioris partis compreſſa. Sic & Vega reſolutionem muſculi œſophagi repentinæ mortis cauſam fuiſſe obſervat,
D quia cùm deglutioni nequiret inſervire ex compreſſione cibi, aëris ingreſſus fuit omnino impeditus in aſpera arteria.

Tum ſupervenit ſuffocatio, & mors repentina ob aëris impeditum tranſitum ad cor per læves arterias pulmonum, quæ obſtruuntur à craſſis ſuccis in illis contentis, vel comprimuntur inflammatione, crudis tuberculis, aliiſve præternaturalibus in pulmonibus congenitis, ab illorum hydrope, aliiſve vias comprimentibus. Nec in principiis lævium arteriarum cognoſcitur obſtructio ex læſa reſpiratione,
E bene tamen ex pulſu; fiunt enim in illa, ut docuit Galenus, & tenet Petrus Salius, omnes pulſus inæqualitates in una, & in pluribus pulſationibus quoad plures differentias, ita ut plures pulſationes fiant magnæ, vehementes, celeres, intercidentes, & æquales; aliæ fiant languidæ, parvæ, decurtatæ, intermittentes, crebriores, recurrentes: crebriores ſunt omnium deteſtabiliores. Fiunt pulſus duri, & tenſi à

D. Gaſp. Bravo Tract. Miſcell.

craſſis, & viſcidis ſuccis: ſi à tuberculo, A fiunt duri cum ſiccitate, & æqualitas eſt magis uniformis. Tempore communicatur affectus aſperis arteriis, & fit reſpirationis læſio: hinc palpitatio, pulmonis, & aliarum partium hydrops. Ubi verò obſtructis repentè arteriis ſubita fit obſtructio, quâ aëris ad cor via occluditur, ſubita fit mors.

De tuberculis, crudiſque ſuccis læves arterias obſtruentibus exemplum commune deducitur ex Galeno *lib.4. de loc. affect.* B *capit. ultim. in hiſtoria Antipatri Medici.* Schenkius ex Hollerii Scholiographo ad *caput* 30. adducit obſervationem cujuſdam repentè mortui ex abſceſſu reperto in vena arterioſa. Coiterus in lectionibus Fallopii obſervat, vidiſſe venam ahortam totam oſſeam. Dodoneus vidit callum in arteria ahorta, cum magna palpitatione. Saxonia in obſervationibus teſtatur vidiſſe duos, quibus pulmonum dextra pars fuerat corrupta. Columbus *lib.* 5. *obſervat.* oſſa non parva vidiſſe refert in pulmonibus. C Viverius vidit calculum exſpuitione rejectum è pulmonibus. Fernelius *lib.* 5. *patholog. cap.*10. ex pulmone craſſos humores concretos in calculos refert. Cardanus *lib.4. aphor.*79. lapideſcentes refert pulmones. Idem referunt alii, & Petrus Sphererius apud Schenkium obſervavit idem. Ex quibus conſtat, varias in pulmonibus poſſe ſupervenire cauſas aëris ingreſſum ad cor impedientes.

Tum repentè impedito aëris ingreſſu D in cordis ventriculos, impedita ſpirituum generatione, & ventilatione fuliginum, repentinam poſſe mortem ſubſequi, plures ex Moronio, & Schenkio demonſtrant obſervationes. Fit cordis ſuffocatio, ut diximus, per eſſentiam, à morbis in mala compoſitione intra illud genitis, in partibus internis, aut externis, propinquis, vel pertinentibus ad cavitates, ut tenet Tyrillus, orificia, & meatus, ut ex obſtructione in arteria magna, in arteria venoſa, aut vena arteriali. Occluditur E arterioſa vena à ſanguine tranſmiſſo confertim, & copioſè à vena cava: vel ſi arteria magna occludatur, aëre impedito, & ſpiritibus retentis, fit ſubita mors. Sic ventriculus repletus à ſanguine recepto, præcipuè oppleto ventriculo, mors ſubitò accidit, ventilatione deficiente. Impeditur aëris ingreſſus auricularum orificiis occluſis, ſi in dextra non fit occluſio neceſſaria impediens impetum occurrentis ſanguinis, in ſiniſtra occurrentis aëris.

Intra ipſum cor impeditur aëris ingreſſus, & fit ſuffocatio, repentinaque mors à morbis in magnitudine, abſceſſu, ſubſtantia carnea, calloſa, tuberculis; in cordis ſubſtantia à craſſis humoribus, aut viſcidis, aut ibi congenitis lapidibus, vermibuſve, ex effrenato motu congeſtis humoribus, ut in ira. Plura in ipſo aëre ad cor tranſmiſſo valent illius ſuffocare cavitates, Hildandus *cent.* 4. *obſervat.* 11. à fumo fornacis obſervat ſuffocationem. Sic Schenkius *lib.* 2. Amatus *cent.* 2. *curat.* 33. obſervat obturationem ex fumo carbonum. Eraſtus *conſil.*17. aliam à flatu. Hoëſtec aliam ab halitu cloacæ vidit. Tulpius *lib.*3. *obſerv.*41. ex flore calcis. Schenkius *lib.* 2. refert quendam repentè ſuffocatum ex cordis veſſicula: & Florentini cujuſdam meminit, qui repentè obiit ex verme vivo reperto in corde. Plures aliæ in illo ſunt obſervationes idem atteſtantes, & eas notat Tyrillus de calculis, abſceſſibus & aliis morbis repertis in corde.

§. IV.

Occluſiones viarum cordis, & intra illud facta per conſenſum cum aliis partibus repentè potentes occidere.

Reſolvendum ſecundò, quod ſimili modo in cordis viis, & illius ventriculis poteſt aër impediri, ſuffocatio, & mors repentina contingere, obſtructis iis viis ab humoribus, ſuccis, aut vaporibus tranſmiſſis ab aliis partibus, cum quibus cor conſentit.

Probatur primò: Eadem currit ratio, ut cordis viæ repletæ ſuccis, aut compreſſæ occludantur, ſive à propriis viis proveniant cauſæ, ſive tranſmittantur à partibus cum quibus datur conſenſus, Sed patet ex dictis, quod ab humoribus per propriam paſſionem fiunt viarum occluſiones, & mortes repentinæ: Ergo ab illis, qui per conſenſum recepti occludunt, fient ſimiles mortes.

Probatur ſecundò: Cor, ut ſuprà probavimus, conſentit cum pluribus corporis partibus: ergo repletus ab illatum ſuccis poteſt ſuffocari, & animal poteſt repentè extingui. Patet antecedens ex Galeno, ut diximus *lib.* 2. *de cauſis pulſuum cap.*12. Cor conſentit cum cerebro per arterias magnas, per quas poteſt varios ſuccos recipere, præcipuè copiam icorum à cerebro tranſmiſſam ad cor, & pericardium, quibus oppreſſis, aut repletis, vaſis ſuffocatio, & mors repentina contingit. Conſentit cum ſepto tranſverſo

cor

cor, ex Galeno 4. *de praſagat. ex pulſibus, cap.* 4. propter vinculum venæ cavæ cum corde. Conſentit cor cum utero, ex Galeno 6. *de locis, cap.* 5. ut oſtendunt hyſtericæ affectiones: & præcipuè cum pulmonibus, ex Galeno 4. *de praſag. cap.* 2. Ob communes venas, & arterias conſentit cum ventriculo cor, ex Galeno *lib.* 5. *de locis, cap.* 2. unde ventriculi affectus cardiaci dicuntur, quia ab illis cor poteſt ſuffocari repentè.

Probatur tertiò ex Tyrillo, & aliis per varias obſervationes id comprobantibus. Scnenkius *lib.* 2. *obſervat.* tenet quod juvencula calore conflictata, ingreſſa in balneum aquæ frigidæ repentè obiit: quod ex recurſu ab utero ad cor judicabatur contigiſſe. Idem *lib.* 2. *obſervat.* 63. inquit quod Doctor Arelatenſis, qui patiebatur renum dolorem, repentè obiit. Cadavere exenterato hydrops apparuit in pulmone, & lapis in corde, unde creditum fuit, impeditum tranſitum fieri ad renes, & cordis viis intercluſis, aëre deficiente, mortem repentinam ſubſequutam fuiſſe. Cordis anguſtias ob retentos menſes obſervat Amatus *cent.* 6. *curat.* 28. Thaddæus Dunus *lib. Miſcellan. cap.* 9. refert mulierem ex retento ſemine in utero, cum corde ita compati, ut repentina ſubſequatur mors: Dodonæus *obſervat.* 9. ex defluxu humorum à capite in pectus ſubitam ſuffocationem, & mortem ſubſequi refert. Othæus in propriis obſervationibus obſervat morbos cerebri cordi communicari, & cordis epithemata cerebro eſſe utilia. Benivenius *cap.* 61. mortem repentinam refert ex atra bile cordi communicata à venis. Fernelius *lib.* 5. *cap.* 10. refert pure à pulmonibus in cor irruente repentè quendam fuiſſe mortuum.

§. V.

Solvitur ratio dubitandi primò adducta.

AD rationem primò poſitam dicimus, quod licèt in ſpiritibus non ſit flamma, quæ aëre indigeat ad ventilationem, ſunt tamen plures uſus, ob quos ſpiritus pereunt, illo deficiente: vel quia deficit materia ex qua fiant, vel quia raritas illis debita ſuffocatur à fuliginibus elevatis per coctionem, per quam fiunt; vel quia niſi ab aëre attemperentur, reſolvuntur.

Resolutio VIII.

Utrum inter vitia inſtrumentorum, ex quibus provenit mors repentina, annumeranda ſit obſtructio nervi à cerebro, per quem influit illuſtratio in cor.

§. I.

Pars affirmativa proponitur ab aliquibus.

PIcolomineus, & Piſo, ut refert Sennertus *tom.* 2. *lib.* 2. *part.* 4. *capit.* 6. in ea ſunt opinione, quod cordis vitalis motus pertinet ad facultatem localiter motivam animalem, & quod indiget cor, ut moveatur, influxu à cerebro per nervos tranſmiſſo. Piſo præcipuè *de morbis ab illuvie ſeroſa, cap. de morb. thoracis*, conſtanter defendit, quod mors repentina poteſt ſupervenire ab interceptione nervi ſexti paris, qui implantatur in corde, qui ſi intercipiatur, aut obſtruatur ſeroſo humore à cerebro repentè irruente in illum, tunc ceſſante influxu, ceſſat localis animalis motus cordis ſubitò, & ſubita ſupervenit, ac repentina mors; quia ut docet Galenus, ſi ſpatio trium pulſationum deficiat pulſus, perit animal.

§. II.

Sennerti, & communis præfertur opinio.

REſolvendum, quod opinio propoſita eſt omnino falſa, & eſt communis doctrina contraria.

Probatur primò ex Galeno *in lib. de uſu pulſ. & de differ. eorum*, in quibus manifeſtè demonſtrat, quod motus cordis eſt diſtinctus à motu locali animali, & quod tam ille, quàm motus arteriarum non eſt motus animalis liber, nec voluntarius: quod latiùs nos proſequuti ſumus *tom.* 1. *Reſol. Medic. diſput. de Arte Sphygmica*: & quod fiat modo naturali, & pro uſu, & indigentia. Tum tenet communis Medicorum aſſenſus, quod motus cordis vel pertinet ad gradum vegetativum, vel eſt imperfectior ſub gradu ſenſitivo.

Probatur ſecundò: Si motus cordis indigeret cerebri influxu, eſſet voluntarius, & conſequenter in corde, & arteriis deberet exerceri per inſtrumenta voluntarij motus, quæ ſunt muſculi, qui in illo non reperiuntur, præter illius ſubſtantiam, quæ eſt caro muſculoſa; ſicut nec in ar-

ſanguis fuit diffuſus, & effuſus per totum corpus, deficiens in corde. Uvulpius ſimili eventu propè emortuus, liberatus fuit à Rondeletio. Alſarius plures refert hujuſmodi mortes repentinas ex hac cauſa provenientes eorum, qui transmiſſu ſanguine ſubitò à corde in alias partes, repentè mortui ſunt, ſpiritibus deficientibus: & ſimiles experientiæ ſunt frequentes ex his, qui quotidie pereunt ex ſanguinis variis fluxionibus per hæmorrhagias, per vulnera, & per ſimiles ſanguinis evacuationes.

§. III.

Pravitas humorum impedit ex illis generari ſpiritus.

REſolvendum, quod ſumma pravitas in ſanguine, & humoribus, ſive contracta ex pravis alimentis, ſive aliunde proveniens, valet impedire quominus ex illis nequeant generari ſpiritus vitales, & eſſe cauſa mortis repentinæ.

Probatur: Nam vita, ut diximus, nequit permanere ſine continua ſpirituum generatione in corde: Sed hæc impediri poteſt ob ſanguinem ſua pravitate ineptum, ut præſtet materiam pro ſpiritibus generandis: Ergo ab illius pravitate poteſt ſubſequi repentina mors. Probatur minor. Tum quia ex Galeno *lib. de cibis boni, aut mali ſucci*, ex pravis ſuccis pravi fieri ſolent humores, inquit enim: *Æſtivo tempore fructibus abundanter repleti malorum humorum multitudinem generant, quorum nulli bonus ſuccus ineſt, eo quòd niſi alvum ſtatim ſubeant, corrumpuntur, & humorem faciunt, qui non multùm à mortiferis venenis abeſt.* Ex quo apparet, quod ex pravis alimentis fiunt pravi & venenoſi humores inepti pro generatione ſpirituum. Tum quia adhuc ex alimento congruo ab ipſa generatione poſſunt humores acquirère pravitatem, per quam nequeant præſtare materiam aptam pro alendis partibus, & pro ſpiritibus generandis, ut apparet in pituita acida, ſalſa, vitrea; in bile vitellina, porracea, iſatide, & in bile atra, & in variis præternaturalibus ſuccis, qui ſub melancholia fiunt præternaturales, ob pravam naturam, & ob varios præternaturales modos, quorum pravitatem delineavit Hippocrates *lib. de veteri Medicina, text.34. §. Quos quidem acuta, acriſque, atque æruginoſa bilis infeſtat, qualis mox rabies, & morſus viſcerum, & pectoris, & deſperatio: non ſedantur autem hæc priuſquam eadem proſter-*
A *natur, & evacuetur.* Ergo pravi hi humores in corpore congeniti, omninò nutritioni, & pro ſpirituum generatione inepti evadunt, quia corrumpuntur in ſua ſubſtantia, ut ducet Galenus *lib. de differ. capit. 4.* alterant enim per ſua qualitates, & mutato ſubſtantiæ modo, ipſum vivens corrumpunt, ex eodem *lib.6. de morb. vulg. comm. 6. text. 5. §. Eorum quidem dolores quidam maligni à maleficiis, ſeu medicamentis quæ deleteria, id eſt mortifera vocantur, ſive febris venenum ictu ſundentibus, ſive ſuc-*
B *cis aliquibus ex improbo victu, aut peſtilente cœli conſtitutione in corpore genitis.* Ex quibus docetur modus, quo in corpore poſſunt pravi fieri humores, & venenoſi, inepti pro nutricatu, & ſpiritibus generandis. Tum patet, quod alimenta vitiata in prima coctione, aut ſecunda nequeant eſſe apta pro ſpiritibus generandis in corde, quia corrupta ſub primis coctionibus, nequeunt in ſubſequentibus emendari, propter materiæ ineptitudinem, ex doctrina Galeni *lib. 4. de ſanit. tuend.*
C ubi docuit, quod vitium contractum in primis coctionibus nequit in reliquis ſuppleri.

§. IV.

Solvuntur argumenta in principio propoſita.

AD primum reſpondetur, quod in communi rerum ordine nec poſſunt partes noſtri corporis ſine craſſo alimento nutriri, nec ſpiritus vitales generari pro vita conſervanda. Contingit tamen,
D licèt rarò, qnod aliqui ſolo alimento vaporoſo nutriantur, ſpiritus generentur, & vivant diu; ſemper tamen ex ſufficiente alimento pro nutritione, & ſpirituum generatione: ſi autem alterum deficiat alimentum, ita ut ſine illo nequeant nutriri partes, nec ſpiritus generari, defectu materiæ ex qua, ſtatim mors ſubſequitur.

Ad ſecundum reſpondetur, quod ſicut in morbis in omni genere eſt latitudo intra quam vita valet compati cum morbo, ſic & in humorum pravitate, alia
E eſt compatibilis cum vita, & in humoribus aptitudo quædam, ut aliqualiter partes nutriantur, & ſpiritus ex illis generentur: alia verò pravitas ad ſummum pervenit, quæ ad utrumque illos ineptos reddit. Plerumque etiam pravitas in humoribus in principio eſt remiſſa, tranſit tamen per intenſiorem corruptionem in tantam pravitatem, ut omninò recedens ſubſtantia ab alimenti natura, omninò accedat ad omnimodam veneni perniciem,

& inde quaſi inopinatò repentina ſubſequitur mors, quia materia inepta fit pro ſpiritibus generandis, & qualitas venenoſa fit potens ad illorum corruptionem, quia ut docet Galenus *lib. 7. aphoriſm. Quidquid autem præter naturam eſt, quantum receſſit ab eo, quod eſt ſecundùm naturam, tantum habet pravitatis.*

RESOLUTIO X.

Utrum pharmacum ſelectivum ſanguinis valeat trahendo illum cauſare mortem repentinam.

§. I.

Proponitur ratio dubitandi, & pars negativa.

INter cauſas mortis repentinæ defectu ſanguinis requiſiti pro generatione ſpirituum poſuimus ſanguinis amotionem à corde, & illius evacuationem per alias regiones. Dubitatur, an à Pharmaco ſelectivo ſanguinis poſſit per ventrem evacuatus ſanguis ab illo eſſe cauſa repentinæ mortis? Eſt ſanguis naturæ familiariſſimus, tanquam commune alimentum omnium partium, & ex cujus conſortio reliqui humores fiunt ad alendum utiles, ut docuit Galenus, & Nancelius proſequitur: inde nulla eſt pars, in quam venæ, aut ramuli non exſpargantur. Innumeræ ſunt cauſæ valentes earum vaſa diſrumpere, ſive anaſtomoſi, ſive diapedeſi, ſive diæreſi, ſive ab externis, ſive ab internis cauſis hæ proveniant: erumpit per varias vias, per hæmorrhagiam, per cutem, per vomitum, per alvum, per vias urinæ, & per quaſcumque in nimia profertur copia, valet inducere mortem paulatim, ſi paulatim erumpat; repentinam, ſi repentè eruperit. Simili modo ſi detur medicamentum hæmagogum, valens ſelectivè illum ſuperfluè evacuare repentè, repentinam cauſabit mortem. Convincit ratio: nam repentè ipſo evacuato, repentè ceſſat ſpirituum generatio, ſine quibus nequit ſubſiſtere vita: quod fatetur Galenus *lib. de purg. medicam. facult.* aſſerens, quod in Thracibus apud Bithyniam homo invenit hæmagogum, quod ſi quis aſſumpſiſſet, ſanguinem primò, tum vitam emitteret.

Sed licèt tanta ſit Authoritas Galeni inter Dogmaticos, nondum pro comperto habetur, quod detur hujuſmodi herba, quæ ſit hæmagogum ſelectivè ſanguinem purgans. Negat enim doctiſſimus Sylvaticus *in hiſtorias Medicinales Galeni, hiſtor.* 10. tenens fabuloſam eſſe Galeni enarrationem, & operibus Galeni inſertam. Zacutus *lib. 2. de PP. Medic. hiſt. hiſtoria* 11. Galeni hiſtoriam contendit eſſe veram, darique herbam hæmagogam, ſelectivè ſanguinem valentem attrahere.

Reddit probabilem ſuam opinionem Sylvaticus: Tum primò, quia hæc Galeni hiſtoria reperta inter Galeni opera, tanquam fabula eſt reputanda, & ab aliis ejus libro de medicamentis falsò introducta; aliàs enim ipſe in aliis ſuis operibus de hæmagoga hac herba mentionem faceret, ſicut de aliis pharmacis ſelectivè purgantibus; quod nullibi apparet. Tum ſecundò, quia experimentum, quod proponit de jecore ſupra herbam caſu poſito, trahentem jecoris ſanguinem, eſt falſum, cùm ſanguinem jam frigidum, & concretum non poſſet movere, nec illum attrahere, ſicut nec reliqua pharmaca poſſunt à jecore extra corpus attrahere reliquos humores. Tum tertiò, quia Meſues conſtanter negat hæmagogum pharmacum dari, quia experientiis aliis eſſet cognitum, & præcipuè ubi primò fuit repertum, eadem experientiâ, ac primò in illa parte in qua cognitum fuit talem reperiri herbam.

§. II.

Si cognoſceretur hæmagogum, poſſet cauſari ab illo mors repentina.

RESolvendum, quod vi hæmagogi pharmaci, ſi reperiretur, poſſet cauſari repentina mors.

Probatur primò ex Galeno *loco citato*, qui id fatetur dicens, quod talis herba primò ſanguinem, mox vitam exhauriebat: Ergo ſi detur, petit poni inter cauſas mortis repentinæ.

Probatur ſecundò: Tanta eſt neceſſitas ſanguinis in corde pro ſpiritibus generandis, ut quocumque modo evacuatus ſit, deficiens pro ſpiritibus generandis, repentè mors ſubſequatur: Ergo eadem currit ratio ſi hæmagogo medicamento evacuetur. Patet antecedens ex dictis, & conſequentia ex Actuario *lib. 5. de ſimpl. medic. facult.* ex Meſue *lib. 1. de re Medica, theor. c.* qui quantum lædant medicamenta purgàntia ex accidenti, docent, vel aperiendo venas, vel ſuperpurgando, vel ſanguinem effundendo, & mortem inducendo, quod potiùs ab hæmagogis timen

timendum. Tum quia hæmagogum medicamentum tantùm eſt naturæ contrarium, quantum ſanguis utilis, & quodlibet vi deleteria eſt præditum, & ideò correctione indigens, ut tenet Galenus *lib. 2. acut. text. 12.* & Celſus docuit, quod Aſclepiades ſuſtulit uſum purgantium ob noxiam vim illorum, & ſanguinis perturbationem. Tum Hippocrates *lib. de natura humana*, docet quod ſicut corporis partes trahunt utilia, & illis deficientibus inutile; ita pharmaca purgantia per ſe primò humores ſimiles, poſtea reliquos, tandem ſanguinem abſumunt, ex quo ſequitur mors. Tum per accidens à noſtro corpore ſolet ſanguis evacuari, & mors ſubſequi, ut ab aloë aperiente hæmorrhoides; Ergo ſi per ſe attrahatur ab hæmagogo, potiùs timenda mors repentina ex tali evacuatione.

Pro fundamentis Sylvatici dico, quod convincunt ſatis probabiliter, quod hæmagogum pharmacum nondum fuit cognitum, nec forſan à natura productum.

RESOLUTIO XI.

Utrùm ſanguinis miſſio uſque ad animi deliquium debeat poni inter cauſas mortis repentinæ.

§. I.

Proponitur ratio dubii, & pars negativa.

PRopoſuimus varias ſanguinis evacuationes à natura properanter factas, per quas ſpiritus ſubitò reſolvi poſſint, & impediri illorum generatio, ſubſequique mortem repentinam contingit. Dubitamus de ſanguinis miſſione ab arte facta properanter, & uſque ad animi deliquium, an ſimilis poſſit eſſe cauſa.

Videtur quod non; nam evacuationes ſanguinis uſque ad animi deliquium conferunt pro morbis curandis, & ad vitam conſervandam: & in hunc finem conſulit illas Hippocrates *lib. de humoribus, text. 3.* dicens: *Ubi verò opus eſt, dubitare etiam, aut animi deliquium inducere oportet.* Ergo ſanguinis miſſio uſque ad animi deliquium eſt utilis.

Secundò Hippocrates *in aphor. ſentent.* protulit, quod *ſi talia dejiciantur, qualia oportet, & ægri facilè tolerant, atque uſque ad animi deliquium expedit ducere, faciendum, ſi æger poſſit tolerare.* Ergo ſi ſanguinis miſſio expedit, utilis eſt.

A Tertiò Galenus *lib. 1. aph. comm. 33.* & *lib. 9. meth. cap. 4.* docet in ardentiſſimis febribus, & vehementiſſimis doloribus nullum majus præſidium poſſe inveniri, quàm ſanguinis miſſionem uſque ad animi deliquium: Ergo hoc remedium utiliſſimum eſt.

§. II.

Sanguinis miſſio uſque ad animi deliquium inter cauſas poteſt poni mortis repentinæ.

B REſolvendum, quod ſanguinis miſſio uſque ad animi deliquium recedit à cauſis mortis repentinæ ſupervenientis ex ſanguinis defectu.

Probatur primò: Animi deliquium, ſyncope, & mors repentina, ut diximus, ſolùm differunt ſecundùm magis, & minus: Ergo eo ipſo quod ſanguinis miſſio fiat uſque ad animi deliquium, proximè accedit ad ſyncopen, & ad mortem repentinam.

Probatur ſecundò: Ex ſanguinis miſſione C facta uſque ad animi deliquium, vel ſubitò contingit provenire mortem repentinam, vel ſaltem ſyncopen, quæ eſt ultima diſpoſitio ad illam: Ergo petit poni inter illius cauſas. Probatur antecedens ex Galeno, qui quantumvis non renuat hanc ſanguinis miſſionem, fatetur quod plures per illam moriantur repentè, *lib. 9. Methodi, cap. 10.* ubi inquit: *Siquidem in ſanguinis miſſione, quam uſque ad animi deliquium faciendam eſſe paulò ante diximus, quâ flamma in continentibus ex* D *meatuum clauſura febribus extinguitur, non parvum meritò ſubſequitur incommodum, niſi opportuno tempore, aut debita menſura fiat: duos namque in ipſis Medicorum manibus perire vidi, qui poſtquam animo linquerentur, nunquam revixerunt. Multi verò etſi non protinus, at poſtea propter virtutis infirmitatem perierunt.* Et *lib. de curand. ratione per ſang. miſſion.* ſimilem refert hiſtoriam, ſuperaddens vidiſſe tres repentè obiiſſe per ſanguinis miſſionem uſque ad deliquium animi.

E Probatur tertiò: Principes, ac Magiſtri Medicinæ plura proponunt præcepta, ut non fiat ſanguinis miſſio uſque ad animi deliquium: Ergo quia illa minatur mortem repentinam. Probatur antecedens: Tum ex Hippocr. *1. aphor. 3.* ubi docet, evacuationes non eſſe deducendas uſque ad animi deliquium, ſeu ad extremum, quale eſt quæ pervenit in illud. Tum *lib. 2. aphoriſm. 51.* dicit: *Plurimùm, atque repentè evacuare periculoſum eſt; nam*

omne

omne nimium inimicum naturæ. Et *lib. 6. aphor.* 27. docet hydropicis non educendam ſimul totam aquam: quod potiùs debet obſtare in eductione ſanguinis. Celſus idem docet in puris evacuatione in apoſtemate. Tum idem tenet Celſus *lib. 2. cap.* 10. qui docens terminum phlebotomiæ, inquit: *Semper finis faciendus eſt antequam anima deficiat*, quæ in deliquio jam incipit deficere. Tum Avicenna dicit: *Quod melior eſt in ſanguine mittendo multiplicatio numeri miſſionis, quàm quantitatis.* Idem firmat in febribus bilioſis, in quibus omittit ſanguinis miſſionem, vel renuit multùm ſanguinis evacuare, cavendo ne ſuperveniat efferveſcentia major, aut caloris extinctio, cum Galeno, qui *lib. 9. methodi, cap.* 5. in valde calidis, & ſiccis renuit ſanguinis miſſionem. Et *lib. 1. ad Glauc. cap.* 13. in vigiliis, & vehementibus febribus præcavet longas ſanguinis miſſiones: *Ne conantes morbum deprimere, facultatem ipſam perdamus, aut ipſa impotentior reddatur ad morbi reliquias conſumendas.* Ergo miſſio ſanguinis ad animi deliquium timenda, tanquam cauſa mortis repentinæ.

§. III.

Solvuntur rationes in principio poſita.

AD primam reſpondetur, quod ex authoritatibus Hippocratis, & Galeni cõnſtat, quod nondum ex illis patet, quod debeat recipi pro communi uſu in Medicina ſanguinis miſſio uſque ad animi deliquium. Potiùs adhærendum judico doctrinæ neganti illam, quia uſus adinvenit, quod ſi quando veteres illa uſi ſunt, ab eventu moniti coacti fuerunt abſtinere ab illa ad vitandas repentinas mortes, quas experiebantur.

Ad ſecundam reſpondetur, quod in evacuationibus, in quibus Medicus judicat humores educendos non eſſe, ne vita ex eductione pereat, conſultum debet eſſe, quod priùs finis imponatur, quàm deficiant vires; ideo coacti ſunt Medici recedere à ſanguinis miſſione uſque ad animi deliquium, quia non ſatis datur illud conjecturâ conſequi.

Ad tertiam reſpondetur, quod Galenus invenit indicationem mittendi ſanguinem uſque ad animi deliquium ad refrigerandum in febribus ardentibus, & ad mitigandos dolores vehementiſſimos, & proponit, quid petat hæc indicatio: ſed quia, ut ille docet *lib. de ſanguinis miſſione*, ſan-

A guinis miſſio debet exerceri dum adeſt præſentia poſtulantium, & abſentia impedire valentium, cùm fuerit expertus, quod mors repentina, quæ ſolet ſubſequi ex miſſione ſanguinis uſque ad animi deliquium, ſit impediens illam, utrumque docuit, & à quibus indicatur, & per quid prohibeatur.

RESOLVTIO XII.

B Utrum ex variis cauſis poſſint diſſipari jam geniti ſpiritus vitales, unde proveniat mors repentina.

§. I.

Aliqua cauſa proponuntur, à quibus valent ſpiritus vitales jam geniti diſſipari.

REſolvendum primò, quod ſunt aliquæ cauſæ valentes ſpiritus vitales jam genitos diſſipare ſubitò, & repenti-

C nam mortem cauſare.

Inter cauſas mediatas mortis repentinæ, ſub primo genere propoſuimus illas, quæ impediunt generationem ſpirituum vitalium, de quibus jam diſputavimus: ſub ſecundo propoſuimus cauſas potentes diſſipando ſpiritus vitales jam genitos mortem repentinam cauſare, quas contendimus jam proponere.

Probatur primò: Tum quia ſpiritus vitales jam geniti poſſunt ſubitò diſſipari per quamcunque immodicam evacuatio-

D nem materiæ alimentitiæ, aut excrementitiæ, ſive ſit materialis, ſive præternaturalis, ut comprobat quilibet fluxus ſanguinis immodicus per ſudorem, hæmorrhagiam, vomitum, hæmorrhoides, vel per apertum tumorem cum pure, ut in abſceſſu; aut cum aqua, ut in hydrope, & ex quavis alia ſenſibili evacuatione immodica, ex qua immodicè evacuatis ſubitò ſpiritibus, repentina ſequitur mors. Tum ſubſequitur mors repentina per inſenſibilem evacuationem ſpirituum vita-

E lium, ſive fiat à cauſa interna, ſive à cauſa externa. Cauſæ internæ ſunt retentricis imbecillitas, raritas vaſorum, tenuitas ſpirituum. Cauſæ externæ ſunt dolor, longa inedia, balneum calidum, aut Laconicum, immoderatus æſtus, ægritudines longæ, & acutæ, cordis anxietates, dolor ventriculi, dentium, aurium, & nervoſarum partium.

§. II.

§. II.

Reſolvunt etiam frequenter ſpiritus animæ paſſiones.

REſolvendum ſecundò, quod animi paſſiones ponuntur inter cauſas quæ frequenter valent, ac ſubitò reſolvere jam genitos ſpiritus vitales, & mortem repentinam cauſare.

Græci vocant animi pathemata, Latini animi affectus, Cicero animi perturbationes, quas nos animi paſſiones dicimus. Has tenet Galenus in Arte Medica, quod animam avertunt ab ſtatu naturali. Avicenna proponit paſſiones magis ad Medicos pertinentes, *Canticor. part.1. tract.* 1. & quatuor annumerat, Iram, Metum, Gaudium, & Triſtitiam. Cicero, Stoïcus Philoſophus, *lib. 4. Tuſculan.* refert omnes animi perturbationes, æmulationem, obtrectationem, miſericordiam, angorem, luctum, mœrorem, ærumnam, dolorem, lamentationem, ſolicitudinem, moleſtiam, afflictionem, deſperationem, terrorem, excandeſcentiam, odium, inimicitiam, diſcordiam, deſiderium, cupiditatem, quæ omnes, ut tenet Galenus *lib. de cognoſcendis & curandis animi morbis*, proveniunt ob inexplebilem appetitum, ob cujus finem conſequendum magna eſt ſpirituum commotio & agitatio, & conſequenter excalefactio, attenuatio, & reſolutio: & licèt non æqualiter, & properanter ex omnibus iis paſſionibus omnimoda ſequatur, ac ſubita ſpirituum aut commotio, aut reſolutio: in aliquibus tamen ſufficienter pro morte repentina, ut patebit.

Resolutio XIII.

Utrum animæ paſſiones valeant reſolvendo ſpiritus vitales cauſare mortem repentinam.

§. I.

Ratio dubitandi, & aliqui philoſophandi modi ponuntur.

REſidet in corde vitæ principium, quia reſidet in illo principium vitalis caloris, cum quo vita conſervatur in illo, & in reliquis corporis partibus, media expanſione ſpirituum vitalium in illas per univerſas corporis arterias: deſervit in corde pro ſpiritibus generandis concoctrix facultas, pro illis impartiendis pulſifica virtus, ſimul & virtus calorifica, ſeu actuatus calor ex innato, & vitali ſpirituum calore integratus pro vitæ conſervatione, ut ſuprà diximus.

A Præter has facultates inſunt in corde appetitus ſenſitivus, concupiſcibilis, & iraſcibilis, ex quibus variæ oriuntur animæ paſſiones, ſeu perturbationes, quas nuper ex Cicerone propoſuimus, quæque ex Platonis doctrina ſæpe conferunt ad bonam corporis valetudinem, quatenus valent corpus debitè calefacere, & attemperare, & quatenus per illas ſe valet animal munire contra extrinſecos obruentium occurſus, & quatenus noſtros valent mores temperare. Dum ve- B rò perturbationes immoderatæ fiunt, corpus alterant, conturbant, commovent, & in varios morbos illud valent protrahere, ſub dubio cadit, an in tantum poſſint animi perturbationes protrahi, ut valeant ſimul mortem repentinam cauſare.

Ratio dubitandi videtur eſſe, quia cor non valet perturbare humores, nec animi paſſiones commovere, niſi cognoſcat objecta appetitus concupiſcibilis & iraſcibilis, circa quæ inſurgit ad operandum: ipſa autem ſolùm poſſunt percipi à phantaſia, aut intellectu, quæ reſident in ſolo C cerebro: Ergo circa illa objecta non cognita à corde, nequit illud inſurgere ad operandum per ſuas facultates, ſive gaudificam, ſive iraſcibilem, ſive per alias quaſcumque.

Fracaſtorius *lib. de ſympathia rerum, cap.6.* tenet, quod cor percipit objecta omnium ſenſuum perfectiori modo, quàm ipſa phantaſia, & quàm omnes ſenſus externi.

Sed tam præclarus Philoſophus cogitur aberrare in hac hæſitatione, & diſcede- D re à recepta, & communi omnium Philoſophorum doctrina, qui omnia omnium ſenſuum objecta non niſi à cerebri potentiis poſſe cognoſci affirmant, per ſenſum communem, phantaſiam, & intellectum: & quia in brutis cogitur intellectum admittere, cùm admittat in corde potentiam ſupra reliquos ſenſus perfectiùs cognoſcentem; & quia ultra cerebrum admittit dari organum ad judicandum de omnibus objectis ſenſuum externorum. Tum quia licèt eſſet in corde ta- E lis cognoſcens potentia, reſtat examinandum, quid reale ponat in appetitu, ut ille inſurgat ad operandum. Tum quia ſi ponit in corde potentiam cognoſcitivam, vel ponit intellectum, & hunc vel unicum, quem deberet ponere in cerebro; vel diſtinctum, & duos admittit intellectus in quolibet homine, ut poſſit per illos contrarios actus ſimul elicere, meritorios, & peccaminoſos, circa quodlibet

objectum. Tum quia ſi cor cognoſcit objecta externa, vel per internos, vel per externos ſenſus: non per internos, quia ex Ariſtotele *lib. 3. de anima*, & Galeno 3. *de loc. cap. 9.* in ſolo cerebro hos poſſe reperiri demonſtratur: nec per externos, per viſum, auditum, guſtum, aut olfactum, quia in ſolis ſuis organis valent immanere, & inhærere: nec per tactum, licèt reperiatur in corde, quia non operatur niſi præcedente alteratione reali ſui objecti, quæ non advenit ex objectis appetitus ante illius actionem. Nec datur ratio, cur ſicut in corde per tactum cognoſcuntur appetitus objecta, non ſimul cognoſcantur in reliquis corporis partibus, in quibus inhæret tactus.

Albertinus *lib. 1. cap. 16.* admittit, quod in corde ſolùm poteſt reperiri ſenſus tactus, & quod ab illo cognoſcuntur phantaſiæ cognitiones, ſeu phantaſmata, quæ pro gaudio, ira, aut aliis animi paſſionibus à cerebro feruntur ad cor per ſpecies à phantaſia immiſſas ad illud per muſculos, qui ad cor feruntur, per quas unitas tactui cordis cognoſcit cor objectum gaudificum, aut iraſcibile, prout illud cognoverat phantaſia; & tunc facultas gaudifica, aut iraſcicibilis inſurgit ad operandum circa objectum ſic cognitum.

Sed diſplicet iſte philoſophandi modus. Tum quia licèt potentiæ cognoſcitivæ perfectiores percipiant ſpecies expreſſas potentiarum imperfectiorum, & per illas unitas cognoſcant ſua objecta; potentiæ tamen imperfectiores nequeunt recipere ſpecies expreſſas perfectiorum potentiarum, nec per illas cognoſcere objecta per illas repræſentata. Tum quia phantaſiæ ſpecies expreſſæ talis ſunt perfectionis nudatæ aliqua materialitate ab intellectu agente, ut cum ipſo intellectu poſſint uniri, & cum ipſo ſua repræſentare objecta: ex quo apparet, quod ſint altioris perfectionis, & quod non poſſint uniri, & adaptari tactui materialiſſimo omnium ſenſuum exteriorum. Tum quia ſimili modo videtur admittendum, quod objecta gaudifica, aut iraſcibilia, cognita ab intellectu deberent uniri tactui cordis per communicatas ſpecies intelligibiles, & ſpirituales; quod quàm abſurdum ſit, per ſe patet, cùm tactus ſit potentia tam materialis, ut ſine materiali alteratione nec proprium valeat percipere objectum. Tum adhuc ſi cor cognoſcat objectum gaudificum, aut iraſcibile, nihil ponit reale in appetitu, qui eſt realiter à tactu diſtinctus, ut inſurgat ad operandum: ergo non datur ratio ob quam adhuc admiſſo hoc impoſſibili, appetitus operetur.

§. II.

Traditur ratio cur movetur appetitus per phantaſmata.

Reſolvendum primò, quod per phantaſiæ cognitionem eorum quæ pertinent ad appetitum ſenſitivum, licèt non ponatur in cordis potentiis aliquod reale poſitivum, ponitur pro illis aliquod reale objectivum, quod cogit ad illius proſequutionem, aut averſionem, propter ſubordinationem, & eradicationem harum potentiarum in eodem ſubjecto, in cujus conſervationem ſunt deſtinatæ.

Probatur: Potentiæ reducuntur de potentia ad actum per aliquod reale, ſive poſitivum in illis ſuperadditum, qualiter potentia viſiva reducitur ad videndum objectum coloratum per ſpeciem viſivam, per quam objectum cum illa conjungitur; vel per aliquod reale objectivum, qualiter contingit in facultate attractrice, quæ approximato objecto, ſine aliquo ſuperaddito in illa illud attrahit, ut apparet in magnete approximato ferro, objectivè movente, & in alimenti attractrice in noſtro corpore: Sed in appetitu ſive concupiſcibili, ſive iraſcibili nihil reale poſitivum ponitur per actus phantaſiæ: Ergo inſurgit ad operandum, quia ponitur per actus phantaſiæ aliquod reale objectivuum, per quod determinatur ad illius proſequutionem.

Dices, quod illud deberet poni in corde intra ſphæram activitatis potentiæ, ſicut alimentum ponitur in vivente intra ſphæram facultatis attractricis.

Reſpondetur, quod objectum non eodem modo petit approximari potentiæ, ſed aliquando per ſuam entitatem, qualiter contingit in alimento, & maguete; aliquando per aliquid, quod habet vicem objecti, & per illud jungitur cum potentia, ut objectum viſibile, aut audibile, quod diſtans à potentia in ſua entitate, approximatur illi per ſuam ſpeciem viſibilem, aut audibilem. Tertio modo approximantur objecta ſuis potentiis per hoc, quod fiant talia intra idem ſubjectum ab aliis potentiis cum illis ſubordinatis, propter earum radicationem intra idem ſubjectum, & propter earum potentiarum ſubordinationem. Sic contingit in appetitu ſenſitivo, pro cujus actibus requiritur cognitio objecti proſequendi, quæ cùm petat fieri à potentiis

cognoſcitivis, quæ in ſolo cerebro petunt reperiri, ſine alia approximatione, propter ſubordinationem, poſita objecti cognitione in cerebro, cogitur appetitus ut cæco impetu ducatur in objectum ab elevatiori potentia propoſitum, & cognitum: licèt enim non ſit objectum cordi approximatum, quod proponitur in phantaſia, eſt tamen in ſufficienre diſtantiâ, quia ſic manet à natura ſubordinatum, & coaptatum, ut tendat in illud ut ſic cognitum, propter potentiarum radicationem intra idem ſubjectum.

§. III.

Proponitur per quid in animæ paſſionibus cauſetur mors repentina.

Reſolvendum ſecundò, quod paſſiones animæ pro formali nequeunt per ſe mortem cauſare; ſed pro materiali ſumptæ.

Pro quo notandum, quod quævis paſſio animæ ſumitur dupliciter: uno modo pro formali, alio modo pro materiali: v. g. ira, in qua formale illius dicitur eſſe objectivum *quod*, in phantaſmate eſt cognitio objecti iraſcibilis; materiale illius eſt commotio ſanguinis, & ſpirituum, quæ in corpore ſubſequitur, poſita paſſione animæ pro formali, & actu appetitus iraſcibilis. In qua acceptione dicit D. Thomas, quod ira eſt effervefcentia ſanguinis circa cor.

Probatur prima pars. Paſſiones animæ pro formali, ſeu objectivæ, ſunt actiones immanentes in phantaſia, aut intellectu, & illarum potentiarum perfectivæ: Ergo per ſeipſas immediatè, & proximè nequeunt eſſe cauſæ mortis repentinæ.

Probatur ſecunda pars: Mors repentina fit per ſubitam ſuffocationem ſpirituum vitalium, & extinctionem vitalis caloris: ſed talis commotio ſanguinis, & ſpirituum expanſio, aut coacervatio, eorum ſuffocatio, aut reſolutio, per quæ extinguitur nativus calor in corde, & ſupervenit mors, reperitur in paſſionibus animæ pro materiali: Ergo ab illis fit repentina mors.

§. IV.

Proponitur cauſa, à qua in paſſionibus animæ pro materiali commoventur ſanguis & ſpiritus.

Reſolvendum tertiò, quod poſita paſſione animæ pro formali, & neceſſitate appetitus in proſequenda paſſione iraſcibili, aut concupiſcibili, ut animal operetur pro neceſſitate paſſionis inſurgit facultas pulſifica, movetque ſanguinem & ſpiritus, opem ferens in partes, in quibus pro uſu petunt ferri ad operandum.

D.Gaſp. Bravo Tract. Miſcell.

A Probatur: Facultas pulſifica eſt determinata, ut operetur pro uſu, & indigentia pro illius fine, qui eſt tribuere unicuique corporis parti debitam temperiem pro ſui conſervatione, & pro eliciendis operationibus neceſſariis viventi, in quo tendet. Sed poſita paſſione animæ in variis partibus ponitur neceſſitas novæ B temperiei, vel pro illarum conſervatione, vel pro conſequendo fine intento per animæ paſſionem: Ergo ab illa debent in illam partem moveri ſanguis, & ſpiritus in ſubſidium exequutionis illius.

§. V.

Solvitur ratio dubitandi primò propoſita.

Ad rationem dubitandi reſpondetur, quod licèt ſint aliquæ potentiæ ſub gradu ſenſitivo, quæ non operantur niſi C præcedente cognitione ſuarum operationum, ut facultas locomotiva perfecta gradus ſenſitivi; plures tamen ſunt, quæ circa ſuum objectum ſine præcedente cognitione vario modo operantur, ſolùm quia ab authore naturæ deſtinatæ ſunt in proprias operationes. Sic facultas pulſifica juxta varios uſus varias penit differentias ſine præcedente cognitione, & conformatrix varias conformat partes ſub gradu vegetabili, quas nequiret intellectus perficere cum tanta organica- D rum partium varietate, tanta particularum diverſitate & numero, ſitu, uſu, temperie, figura, applicationeque: unde ſicut conformatrix ſine cognitione tam varia operatur, quia ab authore naturæ docta ſine doctore fuit concreata in illud opus; ſic & pulſifica ad ponendas varias differentias ob varios fines.

Resolutio XIV.

E Utrum ira valeat cauſare mortem repentinam reſolvendo ſpiritus jam genitos.

§. I.

Proponitur iræ diffinitio, & diviſio, & pars negativa.

Galenus *lib. de differ. febr. cap.4.* tenet, quod ira eſt motus vehemens iraſcibilis facultatis, quæ in ipſo cordis ventriculo

triculo ſedem habet. Fracaſtorius *lib. de ſympathia, cap.* 21. inquit, quod ira per ſe eſt appetitus nocendi cauſæ nos offendenti, ex quo fit collectio circa cor. Cicero *lib.* 4 *Tuſculan.* tenet, quod ira eſt libidu puniendi eum qui videtur læſiſſe injuriâ. Poſſidonius ait, quod eſt cupiditas puniendi eum, à quo te iniquè putas læſum. Ariſtoteles *lib.* 2. *Rhetor. cap.* 2. inquit, quod ira eſt cupiditas quædam cum dolore conjuncta ejus puniendi, de quo pœna ſumi poſſe videtur, propter contemptum nobis, vel alteri noſtrorum patratum. Zacutus *lib.* 2. *de Medic. Pr. hiſtor.* 13. *cap.* 2. reprehendit Fracaſtorium, quia ira eſt paſſio cordis, & appetitus vindictæ reſidet in cerebro: ſed immeritò. Nam ira dupliciter poteſt conſiderari, vel pro formali, & ſic eſt appetitus vindictæ; vel pro materiali, quatenus, ut diximus *tomo* 1. *Reſol. Medicar. diſput. de Arte Sphygmica*, pulſifica facultas movet ſanguinem, & ſpiritus, à quibus fit ſanguinis effervescentia; & ideo alii illam pro formali diffiniunt, alii pro materiali, alii ſimul per utrumque.

Ariſtoteles *lib.* 4 *Ethicorum, cap.* 5. quatuor ponit modos iræ. D. Thomas ponit tres. Primus eſt eorum qui celeriter iraſcuntur, & citò quieſcunt. Secundus eorum, qui ex qualibet occaſione exardeſcunt, & ſummè iracundi ſunt ob prædominantem bilem; ſed ſunt placabiles. Tertius eorum, qui ferè implacabiles ſunt. Superadditur quartus eorum, qui ſævi, & crudeles ſunt, & nunquam placabiles, donec ulciſcantur. Alii duas ſpecies aonumerant; alteram ſtatim erumpentem, quæ virus conceptum evomit, & faci è quieſcit; alteram fictam, & ſimulatam, quæ longo tempore clam ſervatur.

De ira igitur inquirimus, an inter cauſas mortis repentinæ debeat annumerari. Pars negativa ſuaderi videtur: Tum quia eſt actus appetitus iraſcibilis conantis devincere objectum iraſcibile; qund naturaliter petit oppugnari, tanquam offenſivum, & deſtructivum ejus, à quo oppugnatur: Ergo potiùs debet poni inter actiones naturales, quàm inter cauſas mortis repentinæ. Tum ſecundò Galenus *lib.* 2. *de cauſ. ſympt. cap.* 5. tenet ex ira neminem interiiſſe: Ergo non eſt mortis cauſa. Tum tertiò, ira data eſt homini à natura in ſui conſervationem, ad facinora ardua apprehendenda, dum vita nequit ſine ipſis conſervari: & ſicut amoris paſſio datur homini ad proſequutionem boni, ita ira eſt naturalis ad repulſam malorum: Ergo ira **A** in homine tanquam paſſio conſervativa vitæ eſt admittenda.

§. II.

Ira vehementiſſima qualiter fiat cauſa mortis repentinæ.

Reſolvendum primò, quod ira pro formali ſumpta, & prout eſt effervescentia ſanguinis circa cor immani ferociâ, tanquam altera Megera, omnium flagitiorum, morbotum, & mortis poteſt **B** eſſe cauſa. Sic receperunt omnes Scriptores.

Probatur primò. Nam ex vehementi commotione humorum poſſunt lethales morbi, & mors ſupervenire: Sed in paſſionibus iræ fiunt furioſæ perturbationes, & commotiones ſanguinis, & ſpirituum: Ergo poſſunt mortem cauſare. Patet minor apud Quercetanum, qui illas in Diateticone protulit ſic: *Nobis igitur illi animi iram repræſentant tanquam alteram Megeram furioſiſſimam, truculentiſſimam, auda-* **C** *ciſſimam, crudeliſſimam, ac ſummè omnibus terribilem, radices in ſe, & ſcaturigines ſeditionum omnium, perturbationum, ac tumultuum continentem, litium, bellorum, ac homicidiorum, excidiorum, everſionum, atque omnium malorum abyſſorum tempeſtatem, diluvium, ignem, machinam, tonitrua, ac peſtem inundantem, urentem, cecidentem, dirimentem, fulminantem, inficientem, atque omnia evertentem. Homines quos invaſit, ad omne ſceleris genus præcipites agentem, ex qua innumera mala, ſtupendaque* **D** *tum temporis, tum in corpore, tum in ſpiritu contrahuntur. Denique ſcelerata illa eò uſque improbitatis, & nefanda malitia procedit contagio, ut non tantùm illos in belluas & tygrides, ſed in dæmonas quodammodo tranſmutet.* Ex quibus patet, quot motus, perturbationes, & morbi poſſint ex ira ſubſequi.

Probatur ſecundò ex eodem, quot cauſæ commotionum, & morborum ſequantur ex ira valentes mortem inducere, ſuperaddit enim: *Ex hac igitur furioſa bilis* **E** *commotione, & continuis fluctibus animus, & ſpiritus primùm agitantur, totum corpus concutitur, ac in primis ipſa bilis inflammatur, quæ ſtomachoſis omnibus, & iracundis imperat, reliquis omnibus citiùs accenditur. Inde ardentes naſcuntur febres, & tertiana biliosa; inde pleuritides, omneſque aliæ inflammationes internæ ab eodem humore à ſuo temperamento excedente excitantur. Inde varia porrò excitantur mala tum interna, tum externa, ut cholera, ſeu cæliacus, aut ilia-*

eus dolor, qui tanquam ſumpto antimonio per inferiora, & ſuperiora expurgat, ut icterus croceo colore totum corpus inficiens, ut eryſipelas, ſerpigines, & ulcera externas partes corporis inſtar lepræ depaſcentia. Ex iis patet, quos ira, & illius commotio, & cauſa procreet morbos.

Probatur tertiò, quod ex ira concitata ſubſequantur non ſolùm relati morbi, ſed & mortes. Zacutus *lib. 2. de Medic. PP. hiſtor.* 13. refert Galeni hiſtoriam de ſervo barbaro, qui irâ concitatus ſibi intulit repentè mortem, cohibitâ reſpiratione. Duo ſimilia adducit exempla, & aliam hiſtoriam narrat in Æthiopibus: & ex Valerio Langius refert, agricolam quendam dolore pereitum ſe jugulaſſe. Tulpius *lib. 3. cap.* 20. febrem vidit, ex ira concitatam. Hildandus *cent.* 1. idem refert.

§. III.

Ab ira pro materiali ſumpta immediatè fieri poteſt cauſa proxima mortis repentinæ.

Reſolvendum ſecundò, quod non ſolùm ex aliis ſubſequutis ex ira pro formali, ſed ex ejus commotione pro materiali poteſt ſubſequi extinctio vitalis caloris, & cauſa mortis repentinæ.

Probatur: Nam in ira pro materiali duplex eſt motus ſanguinis, & ſpirituum concitatio: alter ad intra, dum objectum diſplicens contemptum parit; & tunc confertim præ triſtitia ſpiritus moventur ad cor, & fit ſanguinis ebullitio, quæ eſt cauſa materialis iræ: alter eſt motus ſanguinis, & ſpirituum à corde, dum iraſcibilis cordis facultas inſurgit ad vindictam, & motus ad partes externas. Per primum motum fit pallor, timor, tremor, frigus, poteſtque ſubſequi ſuffocatio, & & repentina mors. Per ſecundum motum ad extra fit rubor, audacia, alacritas, ſpectatæ vindictæ, æſtuſque, & incaleſcentia partium. Si intra cor conculcati ſpiritus ad nimiam ſuffocationem perveniant, contingit ſubita caloris ſuffocatio, & mors repentina: Ergo in paſſione pro materiali proximè ex illa valet repentina mors ſubſequi in ira.

Probatur ſecundò ab effectu: Quercetanus obſervat plures repentè in iræ paſſione mortuos fuiſſe, inter quos annumeratur Netva Imperator incandeſcens præ ira in quendam Regulum dictum, qui ſubitò à paſſione fuit extinctus. Valentinus Imperator infremens in Senatu adverſus Sarmatas, ſubitò exhalavit animam, ſanguine ad extra erumpente. Veneeſlaus Bohemiæ Rex irâ percitus repentè concidit in paralyſim, & vitam finivit: Ergo materiale paſſionis iræ repentinam valet mortem provocare.

§. IV.

Solvuntur fundamenta primò poſita.

Ad rationes dubitandi reſpondetur: Tum pro prima, quod probat de ira moderata, non de vehementi, & immoderata. Cùm enim animæ paſſiones ponantur inter res non naturales, ſunt pro ſanitate, ſi moderatæ; ſi improportionatæ, fiunt cauſæ morbi, & mortis. Tum pro ſecunda, quod ex ira pro formali, ut tali, nulla fit mors; ſed ab illa pro materiali fit ſpirituum, & ſanguinis commotio, & effervescentia, aut ſuffocatio ſpirituum, inde & mors. Tum pro tertia, quod ira eſt paſſio animæ, & ſi moderata, utilis eſt & neceſſaria ad vitam tuendam, & conſervandam; ſi fiat ſubita, & vehemens, in furiam vertitur, & valet morbos cauſare, ſimul & repentinam mortem.

Resolutio XV.

Utrùm gaudium poſſit eſſe cauſa mortis repentinæ.

§. I.

Gaudium quid, quotuplex, & quod non appareat eſſe cauſam repentinæ mortis.

Gaudium, ut tenet D. Thomas 4. *Sent. diſtinct. 49. quæſt. 3. artic.* 1. eſt *paſſio concupiſcibilis, provenient à perfectionis appetitæ conjunctione, ſecundum interiorem apprehenſionem.* Gaudere, & lætari differunt, quia gaudere eſt intrinſecus lætari, ut extrinſecus appareat. Provenit gaudium aut ex commoditate, & utilitate, quæ nobis contingit; aut ex ea, quam futuram ſperamus: vel provenit ex aliorum ſecundis rebus, vel ex infauſtis eventibus inimicorum: vel provenit ex felicitate, qua fruuntur qui nobis ſunt amici. De gaudio dubitamus, an poſſit poni inter cauſas mortis repentinæ.

Videtur, quod non; ſi enim eſſet cauſa mortis repentinæ, maximè quia in illo fit expanſio & motus ſpirituum ad ambitum corporis, & partes externas: Sed nulla eſt facultas, quâ in gaudio ſpiritus vitales poſſint moveri, & expandi à corde

de in partes externas : Ergo nequit fieri cauſa repentinæ mortis. Probatur minor : Si ſpiritus moverentur in partes externas, deberent moveri ab aliqua facultate locomotiva noſtri corporis, vel libera gradus ſenſitivi, vel naturali expellente gradus vegetativi, vel vitali pulſifica : Sed non à facultate libera, aliàs pro nutu moverentur ſpiritus in gaudio ad intra, ſicut ad extra, nec moverentur ad cauſandam mortem. Nec à expellente gradus vegetativi, quia cùm operetur modo naturali, tam in gaudio, quàm ſine illo moveret ſpiritus ad extra : & etiam quia cùm ſolùm expellat inutile, & ſpiritus ſint utiles, non expelleret illos. Nec à facultate pulſifica, quia non movet niſi ratione finis, nec novas ponit differentias, niſi mutetur uſus, qui ex gaudio non mutatur ; nec eſt pulſui uſus per id quo petit animal : Ergo nulla eſt facultas valens ſpiritus ad extra expandere.

§. II.

Gaudium ponitur inter cauſas valentes cauſare mortem repentinam.

Reſolvendum, quod nimium gaudium repentè ſuperveniens repentinæ mortis fit ſæpè cauſa. Sic experti ſunt plurimi, & obſervarunt Beyerlink, Quercetanus, Marcellus Donatus, Caniſius, & alii.

Probatur primò exemplis enarratis ab illis, & coadunatis in Theatro humanæ vitæ. Chilo, unus ex ſeptem Sapientibus Græciæ, amplectens filium in Olympicis victorem, præ gaudio in amplexu obiit. Sic Volaterranus *lib.* 14. & Plinius *lib.* 7. *cap.* 32. Athleta Crotoniates victor ex certamine Olympicorum diſcedens ad Hellaneticas ut coronaretur, ex nimio gaudio exſpiravit, ut tenet Ælianus *lib. 9. de varia hiſtoria.* Ænetus victor in Olympicis, acceptâ coronâ, ſtatim animam exalavit, ut tenet Pauſanias in *Laconicis.* Sophocles Poëta Tragicus duodeviginti victoriis ornatus, in ultima ob acceptam palmam inter gratulantes exultans obiit, ut tenent Diagoras, & Plinius *lib.* 7. *cap.* 35. Diagoras tres vidit coronatos filios eodem die, & in illorum amplexibus obiit. Gellius *lib.* 3. *cap.* 15. Philippides Comicus vincens in certamine Poëtarum, cùm ſeptem priùs viciſſet, repentè obiit. Gellius *loco citato.* Cratinus ferens palmam ex Pythone fabula, repentè obiit. Geraldus *dialogo 6. hiſtor. poetic.* Imperator Tellon poſt victoriam à

A ſuis laudatus repentè obiit. Tzetzes *Chiliade* 1. *hiſtor.* Polycrita Nagia laude, & gaudio perfuſa in patriam rediens, apud portas repentè obiit. Fulgoſus *lib. 9. cap.* 12. Ptolomæus Philometor victor, videns Alexandri victi caput, repentè obiit. Joſephus *lib.* 13. *cap.* 8. Dionyſius Tyrannus de Tragœdiæ victoria adepta accipiens nuntium obiit repentè. Plinius *lib.* 7. *cap.* 54. Romanis victis à Traſimeno, mater amplectens filium redeuntem, præ lætitia obiit in ejus amplexu. Valerius *lib.* 9.
B *cap.* 12. Moſidius Hilareus hiſtrio cùm populo placuiſſet, præ gaudio repentè obiit. Plinius *lib.* 7. *cap.* 53. Leo X. Pontifex nuntio accepto, quod Mediolanenſis civitas fuiſſet à Gallis recuperata, præ gaudio ſubitò mortuus eſt. Jovius *in Leone X. lib.* 4. Chriſippus ridens videns aſinum comedentem ficus, repentè præ gaudio extinctus eſt : & Zeuxis Pictor cùm vetulæ à ſe depictæ cerneret deformitatem, gaudio exalavit animam. Cœlius *lib.* 1. *capit.* 18. Ænetus ex ſumma lætitia repentè extin-
C ctus fuit. Pauſanias *in Lacon.*

Probatur ſecundò : In nimio gaudio, cordis, & arteriarum pulſifica facultas, mutato violenter uſu mittendi calorem in omnes partes, ut vigorentur pro fruitione objecti gaudii, explicat, & effundit ſubitò ſpiritus extra cor, & ſimul exalat, donec calor vitalis effluat, & cor deſtitutum illo nequeat vitam conſervare : Ergo neceſſariò ſupervenit tunc temporis repentina mors à repentina extinctione caloris.

D Probatur tertiò : In gaudio fiunt variæ differentiæ pulſus ob varias alterationes, quæ ſuperveniunt in illo, ut docet Galenus *lib. de pulſib. ad Tyrones, & lib. 4. de cauſis pulſuum, cap.* 3. fit pulſus magnus, rarus, & tardus, quia calor exſpargitur per totum corpus : ſi magna ſit lætitia, ſparſi ſpiritus reſolvuntur, & tunc fit caloris imminutio, & pulſus rarus, & tardus, & inæqualis, inordinatus, & formicans, quia ſæpe in nimio gaudio fit tantum ſpirituum effluvium, ut homo
E omni deſtituatur calore : & ideo ſubita ſubſequitur mors, ut colligitur ex Galeno *lib. 2. de cauſ. pulſuum, cap. 5. lib. 5. de loc. affectis, cap.* 1. Ergo in gaudio & lætitia eſt ſufficiens cauſa ex qua poſſit ſupervenire mors repentina.

§. III.

§. III.

Solvitur ratio dubitandi primò propoſita.

AD rationem dubitandi reſpondetur, quod ſpiritus vitales in gaudio non moventur localiter à facultate localiter motiva gradus ſenſitivi, nec à facultate gradus vegetativi expellente, ſicut nec in aliis paſſionibus animæ; ſed à facultate vitali pulſifica. Ratio hujus eſt, quia ut diximus *tom. 1. Reſolut. Medic. part. 2. diſp. 4. ſect. 3. reſol. 3. §. 3.* poſitis paſſionibus animæ pro formali, inſurgit pulſifica facultas ad movendos ſpiritus, prout requiritur pro paſſionis indigentia, quia immutatur illius uſus. Nam finis pulſus eſt tribuere unicuique parti temperiem aptam, non ſolùm ad ſui conſervationem, ſed ad ſui operari; & poſita paſſione animæ pro formali, licèt ſit in parte debitus calor pro ſui conſervatione, non eſt totus, qui requiritur ſuperveniente paſſione pro operationibus pro illa requiſitis; & ideo in hunc finem, poſita paſſione pro formali, inſurgit pulſifica facultas ad movendos ſpiritus. Poſtea commotis ſpiritibus alterantibus partes, etiam alias ponit differentias facultas, prout in paſſione animæ pro materiali exigit uſus.

Resolutio XVI.

Utrum riſus poſſit eſſe cauſa mortis repentinæ.

§. I.

Definitur riſus, & dividitur, poniturque pars negativa.

RIſus in gaudio ponitur ſub lætitia; pauca de illis diſputarunt, tam veteres, quàm juniores noſtri, ut tenet Valleriola. Cicero *lib. 2. de Oratore*, de riſu inquirendum tenet, quid ſit ipſe riſus, quo pacto concitetur, ubi ſit, quomodo exiſtat, atque ita repentè erumpat, & eum cupientes tenere nequeamus, & quomodo ſimul latera, os, venas, vultum, oculos occupet? Viderit Democritus, nec enim ad hunc ſermonem pertinet; neſcire me tamen id non puderet, quod nec ipſi quidem ſcirent illi, qui dignotionem à triſtitia profitentur. Fracaſtorius *lib. 6. de ſympathia, capit. 20.* refert quod ſpectant ad objectum riſus res novæ, leves, ludicræ, habentes ar-

A gutiem quandam, & concinnitatem ad aliud, quales ſunt facetiæ, & quæ a mimis, ſeu perſonatis repræſentantur, & extranea quædam ſubito, ac concinno quodam evenientia caſu, ut ſi quis eleganti greſſu, & quaſi per numeros incedens in lutum cadat.

Cauſa efficiens riſus principalis eſt anima rationalis, inſtrumentaria appetitus, & virtus exequens motum eſt effuſio ſanguinis, & ſpirituum: finis eſt lætitiæ explicatio, forma ipſa oris, ac faciei di-
B ductio.

Definivit riſum Iſaac Iſraëlita *lib. de element.* dicens, quod eſt tremor quidam, & ſonus muſculorum thoracis ex ſanguinis ferventis in eas partes ſublatione, naturæ agitatione ab animæ motu concitata, cùm id quod lætitiam affert in animum inciderit. Fracaſtorius ſic definit: Riſus eſt compoſitus motus ex admiratione, & lætitia. Utramque definitionem refutat Valleriola *lib. 3. enarrat. 9.* qui riſum definit, quod ſit concitatior qui-
C dam animi ex re jocunda motus ad conceptum intrò gaudium extra explicandum, quo thoracis, & oris muſculi impetu quodam moventur.

Riſus alius Sardonicus dicitur, à Sardonia herba apiaſtro ſimili, quæ guſtata ora hominum contrahit, ut veluti ridentes moriantur, ut tenent Solinus *cap. 10.* Dioſcorides *lib. 2. cap. 167.* & hic eſt riſus non verus, ſed fictus, amarulentus, ſubdolus, ac ſimulatus, ut tenet Valleriola, qui plerìſque provenit à pravo af-
D fectu. Alius eſt riſus verus, qui manet definitus, & provenit à cauſis ſupradictis. Hic alter eſt naturalis, factus à cauſis naturalibus, qui ſine morboſa provenit affectione: alter non à natura, ſed à morboſis ſit cauſis, qualis eſt ille, qui ex deſipientia provenit, vel qui provenit ex tranſjectis præcordiis, vel à convulſione. Alter verò ſit ex alarum titillatione, quem verum riſum admittit Ariſtoteles.

E De vero, & naturali riſu inquirimus, an poſſit eſſe cauſa mortis repentinæ? Videtur quod non: nam illud quod convenit alicui per ſe in primo, vel ſecundo modo perſeitatis, non poteſt eſſe cauſa mortis illius, cùm ſit de ejus eſſentia, vel propria paſſio inſeparabilis: Sed riſus per ſe competit homini in ſecundo modo perſeitatis, cùm ſit hominis propria paſſio, ut communis recepit Philoſophorum aſſenſus: Ergo non poteſt eſſe cauſa mortis repentinæ illius.

§. II.

§. II.

Riſus verus ponitur inter cauſas valentes cauſare mortem repentinam.

REſolvendum , quod verus riſus naturalis ob ſpirituum , & ſanguinis commotionem violentam poteſt cauſare mortem repentinam.

Probatur : Tum quia poteſt morbos cauſare lethales , ex quibus mors ſequatur repentina. Hildandus *cent.1.obſerv.23.* refert vulneratum ex nimio riſu , erumpente ſanguine ſubitò extinctum fuiſſe. Zacutus *tom. 2. lib. 2. cap. 6. obſervat. 5.* obſervat de quodam ex nimio riſu ſanguine per os excreto , in febrem , ulcus, & mortem fuiſſe deductum. Tum proximè ex ſpiritibus , & ſanguine commotis repentinam ſupervenire mortem obſervant plures. Leontius *lib. 1. variar. hiſtor.* meminit ſtirpis in Sardinia , quâ guſtatâ , homines ridendo moriuntur. Chriſippus repentè mortuus fuit ridens de aſinu depaſcente ficus Zeuxis. Pictor, ut tenet Cœlius *lib. 4. cap. 18.* videns vetulam à ſe depictam, præ lætitia riſu effuſus repentè obiit. Philiſtion Poëta urbanitate ſui dicti profuſus in riſum obiit repentè , ut tenet Gyraldus *dialogo 1. hiſtor. poëtica.* Tum comprobant riſus cauſæ, ſeu modus, quo fit. Nam ſi offeratur res jocunda valens riſum commovere , animus perfunditur gaudio , & lætitia , quâ cor affectum, impatiens moræ dilatat ſe , & fit magna diffuſio viralium ſpirituum, & ferventis ſanguinis, ad quem ſequitur motus muſculorum thoracis , & diaphragmatis , ad agitationem porrectio ſequitur muſculorum , & extenſio , qui ſunt à lateribus buccæ, & oris geſtus, quem vocamus riſum, exprimentem animi lætitiam : Ergo in vehementi hac commotione ſunt cauſæ valentes mortem repentinam cauſare . & præcipuè per expanſionem , & reſolutionem ſpirituum in hac ſpecie gaudii.

§. III.

Solvitur ratio dubitandi primò propoſita.

AD rationem dubitandi reſpondetur, quod licèt ratio formalis riſus non ſit per ſe cauſa valens mortem repentinam cauſare , eſt tamen potens per accidens ratione commotionis , quæ pro materiali ſubſequitur ex illa , ſicut ex omni gaudio nimio.

A

RESOLVTIO XVII.

Utrum metus , & metum concomitantia valeant cauſare mortem repentinam.

§. I.

Quid metus, quæ illum concomitantur , quotuplex , & ponitur pars negativa.

B METus eſt opinio magni mali impendentis , cui ſubjiciuntur pigritia, terror, timor, exanimatio , conturbatio, & formido. Ariſtoteles inquit , quod metus eſt vitium iraſcibilis partis ,ob quod formidant terrore affecti , præſertim imminente. Sunt metus comites , puſillanimitas , timor , pigrities , terror , pavor, exanimatio, trepidatio, ſocordia , pudor, verecundia, formido, tumultus , conturbatio, vitæ amor nimius. Quorum puſillanimitas eſt animi vitium , quo impo- C tentes videntur animi ad felicitatem , infelicitatemque, honorem, & dedecus ſuſtinendum. Timor eſt metus hominem aliqua de cauſa reddens meliorem, quòd ab honeſtate ferè non abſit. Pigritia eſt metus conſequentis laboris. Terror eſt metus concutiens, ex quo fit ut pudorem rubor , terrorem pavor , & tremor , & dentium ſtridor conſequantur. Pavor eſt metus mentem è loco movens. Exanimatio eſt metus ſubſequens, & quaſi comes pavoris. Conturbatio eſt metus ex- D cutiens cogitata. Socordia eſt cùm quod animo agi oportuit , animi ipſi ſubverſi temerè , ac inſcitè , quominus id efficiant, retinentur. Pudor eſt metus admiſſi mali, & pœnitentia : vel eſt metus de expectatione vituperationis excitatus. Verecundia eſt metus in turpitudine commiſſa. Formido eſt de re aliqua inſolenti , aut improviſa animi ingens conſternatio , & imaginarius metus cum tremore. Tumultus eſt timor multus. Trepidatio eſt animo offuſus horror , geſtu, E metuque corporis feſtinato, ultro, citroque incurſando demonſtratus.

Metus eſt duplex , gravis , aut levis. Gravis eſt qui cadit in virum conſtantem , & hic vel abſolutè eſt gravis , qui conſtanti adhuc viro eſt formidabilis ; vel reſpectivè , ut qui in pueris, & mulieribus ſit formidabilis , non verò in viro forti. Metus levis eſt, qui ex leviori metus cauſa concipitur : de metu gravi inquirimus an poſſit eſſe cauſa mortis repentinæ.

Videtur

Videtur quod non: Nam metus eſt A animi paſſio à natura inſtituta per inſitam appetitus propenſionem, ut homo valeat evitare periculum imminens. Ergo ſemper paſſio metus debet judicari tanquam homini utilis ad vitanda pericula, & ad vitam conſervandam.

§. II.

Contingere poteſt quod metus, & illum concomitantia cauſent mortem repentinam.

RESolvendum, quod à vehementi me- B tu, & ejus concomitantibus poteſt contingere mors repentina ratione paſſionis animæ pro materiali.

Probatur primò ex variis Authoribus. Tum Horſtius *tom. 1. diſput. 20. de animi paſſionibus*, inquit: *Metus, & timor propter impendentis mali perceptionem, ſpiritus, & calorem ad cordis regionem revocant. Quod ſubitò fieri ſolet, atque non rarò lipothymiam, & ſyncopem, in quibuſdam excitant, cùm ſpiritus, & calor ſuffocationem patiuntur.* Ex quibus patet ratio mor- C tis repentinæ ex metu. Tum Vallcriola *lib. 3. de locis comm. cap. 20.* inquit: *Timore namque, & de repentè mortuos eſſe quoſdam, & Galeni noſtri, & Plinii, & Valerii Maximi teſtimoniis conſtat, qui ob metum ſubita morte correpti ſunt, extinctu nativi caloris ſubitaneo, ac repentino, ob inſignem refrigerationem, quam timor parit; vel etiamnum repentino ſanguinis ad cor impetu ruentis confluxu ſuffocati interierunt.*

Probatur ſecundò ex variis obſervationibus, quas adducit Alexander Petronius D *de victu Romanorum, cap. 17.* qui refert quendam, qui noctu citatis equis Padum glaciatum tranſmeavit, poſtquam tranſivit, metu exanimatus concidit. Sic & duo Sacerdotes, qui neſcientes tranſierunt lacum glaciatum, hujus rei conſcii facti ſubitò mortui ſunt. Calchas Theſtoris filius, duo cùm ignoraſſet problemata, mœrore ſubitò obiit. Euſtachius *in iliad.* & Benivenius *cap. 63.* obſervavere puerum ruri degentem, cùm duos magnos vidiſſet homines, ob metum repentè mortuum E fuiſſe. Schenkius *lib. 1. obſervat.* 148. refert, puerum audito bombardæ ictu ob metum ſubitò fuiſſe extinctum. Amatus *cent. 1. curat. 22.* ſimilem vidit ex fragore bombardæ præ metu ſubitò apoplecticum factum, & ſubitò in mortem repentinam concidiſſe.

Probatur tertiò ex variis in metu commotionibus ſanguinis, & ſpirituum ruentium in cor. Oritur enim metus per con- A tractionem ſpirituum in cor, & cum excandeſcentia in os ventriculi: tenet enim Galenus, quod mœrentibus nobis bilis in ventriculum confluit, & moleſtiam infert: ſic nimis conculcatis ſpiritibus intra cor, & vitali extincto calore, ſubitò vita perit.

§. III.

Solvitur dubitandi ratio primò adducta.

B AD rationem dubitandi reſpondetur, quod fit metus data timendi occaſione, quæ concepta in imaginatione, habet formam rei contriſtantis, & meticuloſæ: & hic conceptus aut fit cum judicio, & ratione adaucta diſcernendi bonum à malo, & tunc metus eſt ſignum prudentiæ: vel fit conceptus rei formidabilis ſine ratione ob imperitiam, aut ob inexperientiam, ut in pueris, & rudioribus; vel propter involuntariam, & tenebricoſam multitudinem ſpecierum, infirma ratione metum inferente, & conſen- C tiente cum corde, à quo ſi ſubita fiat contractio ſanguinis, & ſpirituum in cor, ſubita fit ſuffocatio, & mors repentina, non à naturali animi paſſione metus, ſed à morboſa, & violenta illius vi, quia ultra modum à natura illi præſcriptum properatur.

RESOLUTIO XVIII.

Utrum caliditas reſolvendo ſpiritus D ſit cauſa mortis repentinæ.

§. I.

Pars negativa proponitur, & fulcitur.

PRo parte negativa ſtat primò, quod contrariorum contrariæ ſunt rationes, & proprietates: ſed frigiditati, quæ eſt contraria caliditati, eſt proprium, quod noſtrum extinguat calorem, & mortem inferat: Ergo caliditati non competit idem.

E Secundò: Conſervatio fit à ſimili: Sed calor intenſus eſt ſimilis vitali calori, à quo noſtra vita fovetur, & conſervatur: Ergo ab illo non poteſt extingui, nec eſſe cauſa mortis repentinæ.

Tertiò vita eſt permanſio calidi in humido, ex Ariſtotele: ergo quantò calor eſt intenſior, tanto fit magis conſervativus vitæ.

§. II.

Pars affirmativa præfertur, & fulcitur.

Reſolvendum, quod intenſiſſima caliditas ſubitò reſolvens ſpiritus vitales, poteſt per accidens eſſe cauſa mortis repentinæ.

Probatur primò. Tum ex variis cauſis aſſignatis à Galeno, à quibus calidi morbi & mors poſſunt ſubſequi, *in lib. de cauſis morborum, & lib. de ſympt. cauſis, cap. 2. lib. de differ. febr. cap. 4. & lib. de præſagat. ex pulſibus, cap. 8.* Tum patet ex agendis: immoderatus localis motus, præcipuè per loca declivia, & petroſa, nimia exercitatio, curæ, ſolicitudines, vigiliæ valent & febres accendere, & mortem inducere. Tum quæ ad extra nos calefaciunt, ut aër nimis æſtuoſus, exuſtio ignis, aut ſolis, hypocauſtum, fervens balneum idem comprobant, quorum calor in corde, & arteriis valet ſpiritus accendere, & reſolvere ſubitò. Tum comprobant internæ cauſæ, qualis eſt quivis fervidus humor, putridus, uſtus, cum peſtilente, aut maligna qualitate, aut uſtiva, qualis eſt caliditas orta ab atra bile, æruginoſa, aut cærulea: Ergo ſunt plures cauſæ calidæ potentes ſpiritus reſolvere.

Probatur ſecundò: Spiritus vitales ſua tenuitate ſe habent ad quemlibet calorem intenſiorem recipiendum ſicut lampadis flamma ad ignis calorem: Sed flamma lampadis ab ulteriori ignis calore accepto ſubitò reſolvitur: Ergo ſimiliter ſpiritus vitales à ſuperaddito intenſiori calore poſſunt ſubitò reſolvi, & mors repentina ſubitò ſubſequi ex defectu vitalis caloris.

Probatur tertiò ex obſervationibus eorum, qui nimio æſtu ſubitò mortui ſunt. Fulgoſus *lib. 9 cap. 12.* refert quod apud urbem Meldenſem in Gallia, menſe Julio, exiens ad pugnam ſub ſole Maugotus, à nimio calore ſubitò reſolutis ſpiritibus extinctus fuit. Suidas narrat, quod Fauſta Conſtantini uxor, balneo fervido approximata, repentè obiit, ab ejus calore reſolutis ſpiritibus. Laërtius *lib. 1. cap. 10.* refert quod Thales Mileſius cum ſpectaret ludos gymnicos olympiade 54. æſtu ſuffocatus repentè obiit. Nico pauperrima mulier colligens ſpicas in æſtu ſolis repentè extincta obiit, ſpiritibus reſolutis. Tyrillus narrat, nautam tempore æſtivo in carcere concluſum anguſtiſſimo, ex nimio calore repentè mortuum fuiſſe. Minos Rex Cretenſium re-

A periturus Dædalum in Siciliam fugientem à Caracoto Rege Siculo in balneis receptus, nimio æſtu ſubitò extinctus fuit, ut tenet Diodorus *lib. 4. cap. 13.* Ergo à nimio calore reſolutis ſubitò ſpiritibus, poteſt repentina mors ſubſequi.

Probatur quartò: Spiritus vitales non ſolùm poſſunt ab excedente calore ſuffocari, ſed per cutem nimis rarefactam ſubitò reſolvi: Ergo & mors repentina ſubſequi ex nimio calore. Patet antecedens experientiâ in gaudio, & in febribus colliquantibus, B in quibus ab interno æſtu ſpiritus rarefacti, & extenuati per cutem rarefactam, ſubitò reſolvuntur, & mors properanter accidit.

§. III.

Proponitur ſolutio pro poſitis argumentis.

Ad primum reſpondetur, quod contrariorum contrariæ ſunt proprietates ab eis provenientes, quæ competunt illis per ſe, non per accidens: calor enim C qui moderatus nos vivificat, per accidens immoderatus nos reſolvit, & occidit; immò & ipſe moderatus calor, cui per ſe competit calefacere, per accidens, prout eſt moderatus, aut immoderatus, nos conſervare, & corrumpere valet.

Ad ſecundum reſpondetur, quod conſervatio fit à ſimili in gradu, & ſpecie; & quod licèt calor intenſus ſit remiſſiori ſimilis in ſpecie, non tamen in gradu; & ideo proprium reſolvendo ſubjectum, valet illud corrumpere.

D Ad tertium reſpondetur, quod calor, qui eſt principium vitæ & operationum naturalium, eſt moderatus, & naturalis calor; calor verò qui reſolvit ſpiritus, eſt extraneus, & ideo valet contrarios effectus producere. Præterquam quod etiamſi eſſet intra limites naturales, poſſet per ſe ut naturalis conſervare, & per accidens corrumpere.

Resolutio XIX.

E

Utrum frigiditas extinguendo ſpiritus poſſit eſſe cauſa mortis repentinæ.

§. I.

Proponitur pars negativa, & fulcitur.

Videtur quod non: ſi enim ingentiſſima frigiditas eſſet cauſa mortis, nulli hominum poſſent habitare in regionibus ſummè frigidis: Sed plures homines habitant

habitant in frigidis regionibus, & locis A nivoſis, & diu ibidem vivunt: Ergo mors repentiua non provenit ex frigidiſſima temperie. Probatur minor. Tum ex Hippocrate *lib. de loc. aere, & aquis*, docente quod in regionibus Scytharum, ſub ipſis Urſis, ac in montibus Riphæis, ubi boreas ſemper ſpirat, ſunt venti ab Urſis prodeuntes, frigidi valde, ſpirantes à nive, glacie, & imbribus continuis, ut ſemper ſit hiems frigidiſſima: & ibi tamen vivunt plures habitatores, qui nive, & glacie inſtillatis utuntur. Tum Strabo 2. *exercit.* B refert in templo Æſculapii apud Ponticapenſes Meotidis viſam hydriam æream frigore diſruptam ex intenſiſſima frigiditate, quæ non facit inhabitabilem illam regionem, nec ex illa habitatores pereunt. Tum Guagninus in deſcriptione Moſcoviæ refert, quod in illa præ frigore aſperrimo plerumque terra diſrumpitur in hiatum, & aqua in aërem infuſa, ſputumque ore projectum congelantur ſubitò antequam incidant in terram; & tamen illa regio eſt habitabilis, & vita C cum tanta frigiditate eſt compatibilis.

Secundò, frigus intenſius juvat ad perficiendas operationes naturales: Ergo licet intenſius fiat, non ſit cauſa mortis repentinæ. Probatur antecedens ex Hippocrate *in aphor. ſententiis*, docente quod ventres hieme ſunt calidiores, & aptiores ad concoquendum alimentum: & Avicenna *lib. de removendis nocumentis quæ accidunt in regimine ſanitatis*, proponens commoda frigoris, inquit: *Sed in corporibus mundis inſpiratio moderata cauſat re-* D *tentionem, vel retractionem caloris innati ad interiora; quare aggregatur caliditas innata, & fortificatur; unde reperitur in eis digeſtio cibi, & maturatio humorum plurima, & magis completa.*

Tertiò, naturale temperamentum confert pro vita conſervanda, & omnes qualitates, quæ illud componunt: Sed frigiditas concurrit cum reliquis ad illud adintegrandum: Ergo eſt qualitas conſervativa vitæ, potiùs quàm cauſans mortem repentinam. E

§. II.

Ingentiſſima frigiditas ponitur inter cauſas mortis repentinæ.

RESolvendum, quod ingentiſſima frigiditas repentè ſuperaddita, extinguit ſubitò nativum calorem, & vitalem ſpirituum, & valet repentinam mortem cauſare.

Probatur primò ex Galeni doctrina recepta, *lib. 12. meth. capit. 5. lib. de cauſis ſympt. cap. 7.* ubi inter cauſas frigidi morbi, ponit quæ nimiam valent inducere frigiditatem, ſive ſint internæ, ſive externæ; & inter externas frigidiſſimum aërem, qualis reperitur in locis nivoſis, aut glacie abundantibus, in quibus ſolent homines repentè perire, qualiter accidit illis qui in frigidos fluvios ceciderunt, in congelatis aquis, in ſtagnis, in balneis frigidis, in puteis frigidiſſimis; vel quibus applicantur frigida medicamenta à tota ſubſtantia, ut mandragora, opium, hyoſcyamus; vel quibus frigidiſſimus inſpiratur aër, vel quibus frigida nocent alimenta abſumpta, ut cucurbita, anguria, poma acida, frigidaque alia alimenta, quæ damnat Galenus *lib. de cauſis ſympt. capit. 3.* quia frigida communicata cordi, extincto vitali calore ſolent mortem repentinam cauſare: & ſi cauſa refrigerans ſit interna, contingit reſpirationem ſupprimi, & ſubſequi mortem repentinam, ut contingit ex retento ſemine, & in hyſtericis affectionibus, ex Galen. *lib. de utilitate reſpirationis.*

Probatur ſecundò: Tum ex naturæ providentia, quæ plura animalia docuit, & aves, ne frigoris ſævitia extinguantur, fugere in loca calidiora, donec hiemis rigur tranſeat. Tum docemur ab eventu, docente ex nimio frigore plures homines repentè mortuos fuiſſe. Diodorus *lib. 14.* narrat Cyri exercitum in Armenia ſubitò extinctum fuiſſe ex frigidiſſima aëris inclementia. Ex Sozimate *lib. 9.* conſtat, quadringentos milites mortuos fuiſſe frigore congelatos, & extinctos Sebaſte à Licinio Imperatore, qui illos juſſit immitti in ſtagnum frigore congelatum. Pogius *lib. 1. de miſeria humana*, refert vidiſſe Conſtantiæ hominem ab aëre frigido congelatum in equo inſidentem mortuum. Bonfin. in caſtris Uladiſlai Regis Ungariæ centum colonos exeuntes in pabulum refert repentè frigore extinctos fuiſſe. Sabellicus *lib. 1. cap. 5.* narrat ſeptuaginta millia Turcarum, qui in Ruſſiam per Valacam ſe effuderant, repentè ſubortis nive, & imbribus, frigore extincta fuiſſe. Nec pauca ſimilia reperiuntur exempla eorum, qui in nivoſis locis & regionibus habitaut.

Probatur tertiò ratione ex frigoris effectibus. Nam primò frigiditas per ſe habet ſpirituum calorem corrumpere, tum partes deſervientes reſpirationi indurare, & ſuo motui ineptas reddere. Tum omnes

nes externas corporis partes deſiccare, indurare, comprimere, denſare, occludere, &, reſpirationis meatus impedire: Ergo in vehementiſſimo frigore repentè ſuperveniente valet mors repentina contingere.

Probatur quartò: Stupefacientia, & opiata medicamenta mediâ veneficâ vi extinguente repentè ſpirituum calorem, & illos extinguendo repentinam valent mortem cauſare: Ergo ſimili modo maniſeſta ingentiſſima frigiditas ab extra communicata.

§. III.

Solvuntur fundamenta partis negativa.

AD primum reſpondetur, quod in aſſuetis pati frigoris rigorem non tanta ineſt frigori nocendi vis, ſed in illis qui minùs aſſueti repentè infrigidantur ab aliqua vehementi, & ſubita frigiditatis cauſa.

Ad ſecundum reſpondetur, quod ſæpe moderata frigiditas remittens uſtivum calorem juvat ad perfectiùs coquendum, & ſimul retinendo effluvium nativi caloris, per quem perficitur coctio, qui à nimio frigore extinctus eſſet cauſa repentinæ mortis.

Ad tertium reſpondetur, quod non loquimur de frigore complente proprium temperamentum, ſed de extraneo corrumpente & extinguente vitalem noſtrum calorem, & ſpiritus illum foventes, & conſervantes.

Resolutio XX.

Utrum potus frigidiſſimus poſſit cauſare mortem repentinam.

§. I.

Agitur de potu, & variis infrigidandi modis, & ſuadetur pars negativa.

DE potu plura diximus *tom.* 3. *promptuar.* 32. Eſt potus liquor qui bibitur levandæ ſitis cauſâ, vel ob alios fines. Aqua, & vinum communiſſimè deſtinantur ad potum. Aqua pro potu à natura fuit primò condonata homini, & omni animanti. Vinum dicitur potus valens inebriare, quod aut fit ex ſuccis, aut decoctione fructuum, aut ex melle, & aqua. Alii lacte utuntur pro potu, de quibus latè *tom.* 3. *promptuar.* 33. Potus apud Romanos calidus olim in deliciis

A fuit. Frigiditas potui à natura fuit deſtinata, & docuit neceſſitas frigidi potus uſum ad ſitim extinguendam, quæ eſt appetitus frigidi, & humidi: adauxit vitium frigidi abuſum. Communem potum frigidum nobis natura obtulit. Sed potum infrigidandi varios modos invenerunt homines in puteis, qui facilior eſt, nec omnino ſanitati congruus: de illo agit Athenæus *lib.* 3. *deipnoſ. cap.* 35. & de infrigidandi modo in urnis fictilibus. De modo

B infrigidandi in aëre ſub dio frigido, diſſeruit Galenus *lib.* 6. *epidem. comm.* 4. & *lib.* 2. *de compoſ. medic. ſecund. loca.* Apud Ægyptios uſitatum refert Plutarchus *lib* 6. *ſympoſ.* aquam refrigerare per ſilices, aut plumbi laminas in illam injectas. Refrigeratur etiam potus ab aliis in vaſe, ſale, aut nitro circumpoſito, ut tenet Bartholinus ex Athenæo *lib.* 3. *deipnoſ. cap.* 35. vel per nitrum contritum vino, aut aquæ commixtum. Sed præſtantior infrigidandi uſus eſt cum nive, aut gelu: quem

C uſum Bartholinus præferendum probat, ſimulque & magis uſitatum fuiſſe apud Hebræos, Græcos, Romanos, Italos, Hiſpanos, Melitenſes. De hoc præcipuè infrigidandi modo, à quo intenſiùs frigiditas communicatur potui, loquimur, & quærimus an mortis repentinæ poſſit eſſe cauſa.

Videtur quod non. Primò, quia Galenus *lib. de cibis boni, & mali ſucci*, proponit quibus potus frigidus ſit utilis, & quibus noxius; & inter noxas ponit morbos chronicos, non acutos, nec repentinas mortes; inquit enim: *Sed hæc illis*

D *præcepta traduntur, qui in eo vitæ genere verſantur, qui aſſiduis occupationibus detinentur, qui regendis populis, & adminiſtrandæ Republicæ præſunt. Horumque præcipuè ſatellites, & miniſtri itidem quoque ſe habent, quos bellicus labor exercet, tum quos viarum longitudo fatigat. Qui verò hujuſmodi negotiis ſunt vacui, ſolutique ſunt, ſi exercitatione uti ſoleant, quamrariſſimè frigido potu indigent: qui minimè exercentur, ſumma æſtate, cùm vehemente calore urgentur, fontis aquam bibant, niviſque uſum*

E *vitent; his enim quamvis protinus nullam corporis læſionem inferat, ſenſim tamen occulto creſcente vitio, cùm jam ætas progreſſi temporis inclinaverit, articulos, nervoſque, & viſcera iis morbis vexat, qui difficulter admodum, vel omnino tolli non poſſunt.* Ex quibus nullum apparet periculum repentinæ mortis.

Secundò, potus frigidus quammaximè utilis experitur pro variis præcavendis, & curandis morbis: Ergo non ponitur inter

ter cauſas mortis repentinæ. Probatur antecedens ex Galeno *lib. 7. methodi, cap. 4. & 8. & lib. 9. methodi, cap. 5. lib. 1. acutor. comm.* 43. aliiſque in locis, ubi refert utilitates potus frigidi in calida intemperie ventriculi, & in febribus ardentibus. Præcipuè confirmat Celſus *lib.* 1. conſulens potum frigidum in calida ventriculi intemperie, & in bilioſis dejectiunibus: & Avicenna *fen.* 2. 1. omni potui anteponit potum aquæ frigidæ: *& fen.* 3. 1. illum conſulit pro naturis temperatis, quia potus calidus lædit ventriculum: quod confirmat Monardes ex eodem, & Iſaac Halyabas, & Rhaſis. Ergo pro ſanitatis cauſis potiùs admittendus potus aquæ frigidæ.

Tertiò: Potus ille eſt nobis utilis, & pro vita conſervanda neceſſarius, quem natura deſtinavit pro communi potu hominum, & omnium animantium: Sed talis eſt potus aquæ frigidæ, cui ſumma debetur frigiditas, quam offert natura frigidiſſimam in fontibus pro potu ſcaturientem, tanquam ordinatam pro levamine ſitis, quæ eſt naturalis appetitus frigidi, & humidi: Ergo potus frigidus nobis eſt naturaliſſimus.

Quartò Hippocrates *lib. de locis, aëre, & aquis*, docet Scythas obeſos, & ſanos vivere ob uſum aquarum frigidarum. Bartholinus, & Monardes idem fatentur de habitatoribus in Alpis, & nivoſis locis, propter potum aquarum frigidarum: Ergo potus frigidiſſimus utiliſſimus eſt ad vitam coonſervandam.

§. II.

Quantum proſit potus aquæ frigidæ in febribus ardentibus.

REſolvendum, quod potus aquæ frigidæ utiliſſimus eſt pro curandis febribus ardentibus, præcipuè in aſſuetis.

Probatur ex Galeno *lib. 10. methodi, cap.* 5. ubi obſervationem adjungit iuvenis, qui febre ardente affectus ex ira ſub canicula, potu aquæ frigidæ fuit ab illa curatus. Zacutus ſimilem adjungit aliam obſervationem ex Rhaſi *lib. 3. continensis, tract. 1, cap.* 2. quo edoctus exemplo Galenus *7. meth. cap.* 4. dicit: *Vidiſti igitur & tu, quoſdam uno die, vel potius hora frigidi potione levatos, quorum aliis non aquam modò dedi fontanam recentem, ſed etiam quæ nive eſſet refrigerata, veluti Romæ præparare ſolent, calefacientes ſcilicet priùs, quam ipſi decoctam appellant. Cibos præterea ad eundem modum refrigeratos, & ptiſanam pari modo refrigeratam: in quibus unam rem*

A *mihi propoſui, ipſam ſcilicet refrigerationem.* Ductus eiſdem experientiis *lib. 9. meth. cap.* 5. hæc ſancivit: *Maxima verò continentium febrium remedia hæc duo ſunt, detractio ſanguinis; & potio frigida.*

Probatur ſecundò ex Galeno, qualiter pro uſu in febribus utendum potione aquæ frigidæ, *lib. de conſuetud. cap.* 1. ubi de Arione Miulenſi Philoſopho febre correpto, potui frigido non aſſueto narrat, quod cùm compelleretur ad potandam aquam frigidam, ipsâ bibitâ, ſtatim in-
B teriit: ubi docetur vis conſuetudinis pro illa. Et *lib. 1. ad Glauc. cap.* 14. inquit: *Nam qui aſſueti non ſunt potare frigidam, manifeſtè ipsâ offenduntur, & qui naturâ ſunt frigidiores, & qui in extrema ſunt ſenectute, & loco degunt frigidiore, tempore hyberno caveant frigidam oportet. At qui contrario modo ſe habent, his intrepidè offerendum frigidum.* Ergo potus frigidus debitè applicatus eſt utilis.

§. III.

C *Qualiter potus frigidus valet eſſe cauſa mortis repentinæ.*

REſolvendum ſecundò, quod in ſubjectis æſtuoſa flogoſi affectis ob exercitium, inſolationem, aut balneum calidum, potus frigidiſſimus poteſt eſſe cauſa mortis repentinæ.

Probatur primò ex variis obſervationibus eorum, qui potu frigido repentè extincti ſunt, quæ proponuntur à Marcello Donato, Morono, Tyrillo, & aliis.
D Schenkius *lib. 3. obſervat.* 44. tenet, Blaſium Senenſem, qui ludo pilæ ſub ſole multùm ſe exercuerat, cùm vini frigidi potui ſe nimium traderet, correptus animi deliquio repentè mortuus fuit. Amatus *cent. 2. curat.* 62. refert Romæ juvenem ſudore perfuſum poſt ludum pilæ, cùm frigidam aquam putei bibiſſet, repentè mortuum fuiſſe. Scaliger *exercitat. 33. in Cardanum*, refert meſſorem in frigido fonte ingurgitaſſe aquam frigidam poſt nimiam æſtuationem, & ſtatim mortuum
E fuiſſe. Hildandus *cent. 30. obſervat.* 48. *cap.* 1. refert ſimilem hiſtoriam. Galenus *lib. de conſuet. cap.* 1. proponit hiſtoriam Arionis jam relati, ſubitò potu aquæ frigidæ mortui: & *lib. de ſympt. cauſis*, ſimilem narrat. Guillielmus Tyrius *lib. 3. cap.* 16. refert Chriſtianum agmen Piſidiam ingreſſum, regionem arentem, & inaquoſam, invento fluvio frigidæ aquæ, cùm ſe in illa ingurgitarent milites, repentinam mortem reperiſſe in aquarum

affluentia. Appianus refert idem de aliis A militibus qui ſe in fonte frigido poſt æſtivum ſolem aqua frigida impleverunt. Quintus Curtius refert in ſimile periculum incidiſſe Alexandrum Magnum, qui tempore æſtivo levandi caloris cauſâ ſe injecit in frigidum flumen, & aquæ potu ſe implevit. Ex quibus exemplis convincitur, potum frigidum eſſe inter cauſas repentinæ mortis numerandum.

Probatur ſecundò inquirendo hujus eventus rationem. Tyrillus dicit, quod talis mors provenit, quia ſi corpus diaphoreticum, B & pervium fuerit factum à calore, frigiditas potus faciliorem habet aditum ad interiora, ut calorem ſubitò valeat extinguere. Communiter alii tenent, quod frigiditas cor petit faciliter, & illius extinguit ſubitò calorem. Marcellus Donatus admittit, quod ſanguis excalefactus fugiendo frigiditatem potus recurrit impetu ad cor, & ſuffocantur ſpiritus: quod comprobat ex Galeno *com.* 3. *in lib. de iis, quæ in Medic.* §. *Quis enim ignorat, quiſque eſt ex iis qui de frigida aqua* C *potu ſcripſerunt, qui non dicat, eum duo efficere conſueviſſe, vel damnum ex refrigeratione, vel caloris majoris ab imis partibus revocationem.* Verry huic aſſentitur doctrinæ, & ſuperaddit: *Nam ſi valde calidum corpus ſit, efficitur ut ejus calor à frigiditate non ſuperetur, ſed potius denſata cute, aut idcirco prohibita tranſpiratione, augeatur: ſi verò exiguo calore ſit praditum corpus, efficitur ut occurrente frigiditate minimè reſiſtere valeat, cùm uſque ad imas partes vis frigoris penetret.* D

Ego verò judico, quod dum corpus per nimiam æſtuationem, ſive exercitio nimio, ſive inſolatione, ſive balneo calido acquiſitam manet calore fervens, & æſtuoſus, ab ardente ejus calore ſpiritus reſolvuntur, & tunc exhibito potu aquæ frigidæ, aqua trahitur ad partes corporis æſtuantes, avideque potum exigentes; & cùm frigidus nimis potus adhuc permaneat, & ſpiritus permaneant pauci, rari, & tenues, nequeunt reſiſtere potus frigiditati, à qua puſillus extinguitur E vitalis calor, ſpiritus extinguuntur, & repentina fit mors ex vitalis caloris extinctione, ac ſpirituum: ideo Dioſcorides *lib.* 6. *cap.* 34. ponit potum frigidum inter venena: quod admittit Mercurialis *lib.* 1. *de venenis, capit.* 17. & Avicenna *fen.* 4. 1. *cap.* 2. dicens, nimiam frigiditatem eſſe mortem caloris nativi, quatenus valet illum extinguere; & ob hanc rationem nos meritò ponimus potum frigidum inter cauſas mortis repentinæ.

§. IV.

Solvuntur fundamenta partis negativæ.

AD primum reſpondetur, quod potus frigidus conducit ad ſanitatem debitè propinatus; ad morbos verò cauſandos, ſi indebitus ſit illius uſus: & ideo Galenus loco citato ſolùm intendit proponere diverſitatem perſonarum, quibus utilis, aut inutilis eſt; non tamen tranſit ad illius abuſum in nimis exercitatis, & æſtuoſis, in quibus ſumma frigiditas fit cauſa repentinæ mortis.

Ad ſecundum reſpondetur, quod non negamus, quòd cùm potus ſit inter res non naturales, ſi ſit debitè exhibitus, ſit ſanitati utilis; docet enim Galenus *lib.* 3. *de temper. cap.* 3. frigidam potionem mediocrem ad ſanitatem conferre, intempeſtivam, & nimiam maximè poſſe lædere.

Repetit ex Galeno Syvalcus plura nocumenta, quæ valet cauſare potio frigida, & præcipuè experta in mulieribus Romanis, quæ ex uſu aquæ frigidiſſimæ nive refrigeratæ maximè lædebantur; fiebat enim in illis remiſſus nativus calor, ſanguis fiebat craſſior, ſubſequebantur obſtructiones, menſtrua retinebantur, ſuperabundabat in corpore craſſus ſanguis, & morbi pectoris, quia ex Hippocrate 5. *aphoriſm.* 24. frigidum inimicum eſt pectori.

Ad tertium reſpondetur, quod licèt potus frigidus ſit nobis deſtinatus à natura, dum debitè illo utimur; ſi tamen indebitè utamur poteſt ejus abuſus mortem repentinam cauſare, ut docuimus ex variis experientiis.

Ad quartum reſpondetur, quod illi qui habitant in frigidiſſimis regionibus, quia aſſueti ſunt potui frigidiſſimo, minùs læduntur ab illo; & ſi aptè illo utantur, ſani cum illo vivunt, propter conſuetudinem; inquit enim Seneca *lib.* 4. *naturalium: Omnia conſuetudine vim ſuam perdunt; itaque nix iſta, in qua etiam nunc natatis, eò pervenit uſu, & quotidiana ſtomachi ſervitute, ut aqua locum obtineat.*

Resolvtio XXI.

Utrum paſſivæ qualitates poſſint eſſe cauſa mortis repentinæ.

§. I.

Qualis mors poſſit fieri à qualitatibus paſſivis.

RESolvendum primò, quod mors paulatim à qualibet excedente paſſiva qualitate poteſt ſupervenire.

Probatur: Tum quia cor eſt principium vitæ, illam in ſe conſervans medio debito temperamento; & cùm illud adintegretur ex omnibus quatuor qualitatibus, ex cujuſlibet defectu vita deficiet. Tum confirmat Ariſtoteles *lib. de ortu & interitu*, Galenus *lib. 2. de temperamentis, & lib. 6. epidem.* qui tenent pendere animam ex debito cordis temperamento. Tum docet Galenus, quod quælibet intemperies dejicit actum propriæ virtutis, & ideo ab intemperie paſſivarum qualitatum, & actiones, & vita poſſunt deficere. Tum temperamentum eſt diſpoſitio conſervativa vitæ: Ergo intemperies quælibet erit illius corruptiva.

§. II.

Ex humida intemperie cordis non provenit mors repentina.

RESolvendum ſecundò, quod humida intemperies nequit ſubitò mortem inducere.

Probatur: Nam mors repentina provenit ex repentina extinctione caloris vitalis, qui ab ſpiritibus fovetur, & ſine quo vita nequit permanere: Ergo ab alteratione humiditatis nequit ſubitò provenire. Patet. Tum quia primò non eſt corruptiva caloris, nec vitæ, cùm potiùs vita ſit permanſio calidi in humido. Tum quia humiditas non eſt qualitas, quæ brevi, & violentiſſimè introducitur.

§. III.

Siccitas non ponitur inter cauſas mortis repentinæ.

RESolvendum tertiò, quod nulla tanta ſiccitas poteſt repentè cordi communicari, ut ſola valeat repentinam mortem cauſare.

Probatur: Siccitas cordi communicata, ſi valeret cauſare mortem repentinam, vel quia repentè ſiccaret humidum A radicale, vel quia ſpiritus vitales condenſaret: Sed humidum radicale cùm conſervetur ab anima, & per partes materiales aëreas, nequit diſſipari, niſi illæ paulatim reſolvantur, ut in decurſu ætatis contingit, ad quod nec ſiccitas ſola valet. Nec ſpiritus vitales valent à ſiccitate repentè deſiccari, ſeu congelari, quæ ſunt actiones propriæ ſiccitatis, ut tenet Ariſtoteles *lib. 4. meteor. cap. 5.* cùm ipſi ſua reſiſtant humiditate, & ſuo calore humiditatem reſolvente; & ſiccitas paula- B tim agat ob ſuæ activitatis ſegnitiem, ob quam natura magis illi de paſſiva reſiſtentia præſtitit, quàm de activa virtute.

Resolvtio XXII.

Utrum venenum ponatur inter cauſas mortis repentinæ.

§. I.

C *Quid, & quotuplex ſit venenum.*

INter nuperrimos, Garcia Valentinus aliquas affert & refutat Veneni diffinitiones. Ego venenum judico eſſe qualitatem à tota ſubſtantia deleteriam, per ſe, aut ſua modificatione potentem corrumpere vitæ principia. Quod ſit qualitas occulta, & à tota ſubſtantia, fatetur Zachias, & tenent citati ab illo, Gainerius *de venenis, part. 2. cap. 6.* Carrani. *in quæſt. veneni ad tempus, nota 1. & 2.* Baccius in prologo *de venenis, capit. 3. & 6.* Foreſtus D *lib. 30. obſervat. 1. & 2. in ſcholio*, & alii, qui in ſola occulta qualitate conſtituunt rationem veneni. Dicitur *deleteria*, quia qualitas à tota ſubſtantia, alia eſt alexipharmaca, quæ partes principes noſtri corporis conſervat, & venenis opponitur: alia eſt deleteria, quæ vitæ inſidiatur, & illius principia valet debellare, & corrumpere: & hoc dupliciter, vel per ſeipſam, ut napellus, qui ſua vi per ſe interimit; vel modificando alias qualitates manifeſtas, ut lupus marinus ſua E occulta qualitate modificat calorem ad putrefaciendum; deleteria vis arſenici ad ulcerandum; vis ſublimati ad inflammandum, & ulcerandum. Sic opium frigiditatem modificat ad inducendum ſomnum, & torporem: ſic peſtilens qualitas modificat calorem, licet remiſſum, ad vehementiſſima cauſanda accidentia.

Variæ differentiæ venenorum referuntur ab Authoribus, deſumptæ ex variis rebus.

bus. Primò à materia, in qua reperiuntur, ut ſunt mineralia, ſeu foſſilia, aut plantæ, aut animalia. Secundò differunt ab eſſentia: alia enim ſunt venena ſimpliciter, ſeu toto genere: alia ſecundùm quid, ſeu ratione quantitatis. Tertiò differunt ex modo, quo acquirunt vim venenoſam, vel à natura, vel ab arte, vel à ſuperveniente putredine. Quartò differunt à modo interficiendi, vel quia ſoli opponuntur vitali cordis calori, vel ſimul aliis corporis partibus. Sic cordi opponuntur baſiliſcus, napellus, aconitum, & plurima toxica. Sic etiam cerebro opponuntur erica baccifera, vipera, ceraſtes: renibus lepus marinus: cantarides veſicæ. Quintò differunt venena à modo, quo communicantur, per os, vel per varias partes, per organa ſenſuum exteriorum, ex Galeno *de theriaca ad Piſonem*, *cap*. 8. Baſiliſcus imprimit viſu, & ſibilo, id eſt per auditum: per tactum imprimit torpedo marina. Turcæ parant venenum, quod ſtapedis illinitum occidit per pedem communicatum. Alia olfactu, guſtuve communicantur.

Tandem pro noſtro inſtituto differunt venena penes brevitatem, aut tarditatem occidendi. Aliqua interimunt poſt longum tempus. De veneno canis rabidi tenet Galenus *lib. de theriaca ad Piſonem*, quod in aliquibus non infert læſionem ſenſibilem intra primum, ſecundum, aut tertium menſem: in aliis per annum. Dioſcorides *lib.6.cap.* 36. & Galenus *lib.*2. *prorrhet. cap.* 17. tenent in aliquibus poſt ſeptem annos relucere venenum contractum ex cane rabido. Sunt alia venena, quæ per plures dies ſaltem non interimunt, ut venenum receptum ex phalangiis, excepto cyranæo, vel ex tarantula. Sunt alia venena, quæ rebus nutrientibus admixta non niſi in magna quantitate interficiunt: imò ſi illis homo aſſueſcat, ex illis non perit. Ariſtoteles *lib. de ſecretis*, Avicennas 6. 4. *tractat.* 1. *cap.* 2. Albertus Magnus ex mente Rufii *lib.*7. *de natura animal. tract.* 2. & Guainerius *tract. de venen. cap.* 4. narrant fuiſſe ad Alexandrum miſſam puellam ab infantia veneno nutritam, quæ ſolo morſu apta erat illum interficere, aut in coitu, ut refert Ariſtoteles. Galenus fertur docuiſſe anum Athenienſem napello aſſuetam non potuiſſe ab illo interimi. D. Auguſtinus *libro de moribus Manichæorum*, narrat hiſtoriam famoſæ mulieris Athenienſis, quæ aſſueta veneno, damnata ut illud aſſumeret, nequivit interimi ab illo. Pli- A nius *lib.* 25. *cap.* 2. de Mithridate veneno aſſueto tenet, non potuiſſe ab illo occidi.

§. II.

Sunt venena potentia repentè cauſare mortem.

RESolvendum primò, quod ſunt plura venena à tota ſubſtantia, quæ valent eſſe cauſa mortis repentinæ.

Probatur ex variis obſervationibus. Ap- B paret maximè in peſtibus, ex quarum venenoſa qualitate plures repentè moriuntur ex ſolo aëris inſpiratu. Nec aliter baſiliſcus, napellus, aconitum in cauſanda morte interimunt: ſic plura toxica ab Authoribus relata ſubitò interimunt. Schenkius *lib.* 7. tenet, apud Æthiopes reperiri venenum interficiens intra horæ quadrantem. Mercurialis *lib.* 1. *de venen. cap.* 6. tradit ex Ariſtotele, in monte Cypræo reperiri venenum ſubitò corrumpens omnia membra. Theophraſtus *lib.4.cap.5.* C apud Scythas refert repertum venenum interficiens intra unum diem, *Vagera* dictum. Scaliger *exercitat.* 153. ex radice *Adad*, apud Perſas tenet inſtillari aquam, ſtatim ac fumitur interficientem. Plinius *lib.* 19. *capit.* 6. narrat quod Mela ſucco porri ad ℥. iij. breviter fuit occiſus. Guillandinus *pag.*86. *comment. de papyro*, meminit Pharici veneni, ſeu toxici ſubitò interficientis, quod aliqui judicant fuiſſe noſtrum toxicum ex ſucco hellebori. Langius *lib.* 1. ex Ariſtotelis mirabilibus auſ- D cultationibus refert Celtas toxicum habuiſſe *Xenicon* dictum, quo abſumpto, ſtatim totum corpus corrumpendo interficiebat. Plinius *lib.* 25. de herba appellata *Cimea*, apud Gallos idem narrat. Julius Alexandrinus *ſalub. lib.* 10. *cap.*5. Cyriacus Lucius *de natura ligni cotonei*, & Mathiolus *comm. ad lib.* 4. *Dioſcoridis*, *capite* 141. referunt apud Hiſpanos reperiri toxicum dictum *de la yerva balleſtera*, reliquis venenis præſtantius ad celeriùs occidendum. Galenus *lib. de theriac. ad Piſon. cap.* 10. ſi- E mile toxicum refert ex herba Hellenii apud Græcos, dictum *Nimium*. Geſnerus *lib. de Aconito*, narrat apud Gallos Vvaldenſes eſſe toxicum, quo ſi ungantur ſagittæ, homo, aut animal, cujus veneno attingitur, perit ſtatim intra dimidiam horam, quod judicatur fieri ex radice aconiti. Patet ergo ex dictis, poſſe venena poni inter cauſas mortis repentinæ.

§. III.

§. III.

Referuntur cauſæ ex parte virtutis, & ex parte diſpoſitionis, à quibus ex venenis properatur mors.

Reſolvendum ſecundò, quod celeritas
agendi in venenis partim provenit ab
illorum vehementi vi, partim ex parva
paſſi reſiſtentia.

Probatur prima pars ex Galeno, qui
definiens venenum à tota ſubſtantia, *lib.* 3.
de temperam. cap. 4. dicit eſſe, *Quod nulla*
ſubſtantia ſua parte mutata, ſed tota inte-
grè ſervata, corpus afficit, & animalis na-
turam corrumpit. Ergo ab hac violenta vi
neceſſariò debet repentina ſubſequi mors.
Tum veneni deleteria qualitas à tota ſub-
ſtantia habet vim extinguendi nativum
& vitalem calorem, & corrumpendi ſub-
ſtantiam vitalium ſpirituum, à quibus vi-
ta conſervatur: Ergo ex tali vehementi
vi vita properanter extinguitur. Tum
cùm venenum ſit oppoſitum, & corrup-
tivum ex ſua natura, quod à tota natu-
ra tale exiſtit, proprietate, & antipathia
fertur in cor, quod eſt principium vitæ,
& in ſpiritus, qui ſunt inſtrumenta, per
quæ illam conſervat. Ergo ſubitò valebit
illam auferre.

Tyrillus tenens, quod noſter calor ex-
tinguitur ſicut calor ignis in lucerna, per
ſuffocationem, per defectum pabuli, per
defectum ventilationis fuliginum, aut
quia impeditur motus ſurſum, aut deor-
ſum, divagatur exponendo quomodo ve-
nenum hos effectus valet cauſare.

Sed fruſtra, quia ut ſuprà diximus,
tota ratio ob quam venenoſa qualitas ex-
tinguit vitam, eſt quia toto genere op-
ponitur principiis conſervationis vitæ: hæc
autem nec ſunt flamma, nec actualis ig-
nis intra cor, de quibus ex Galeno ad-
ducit exemplum; ſed ſpiritus vitales,
qui continuò generantur in corde, &
impartiuntur per omnes corporis par-
tes, qui licèt in tenuitate, & rarita-
te, & caliditate igni aſſimilentur, non ta-
men ſunt ignis, nec illius imitantur mo-
tum; ſed à facultate ſola pulſifica loca-
liter moventur. Tum quia veneni dele-
teria qualitas non ſolùm breviter corrum-
pit ſpiritus, ſed ipſam ſubſtantiam viven-
tem cordis, & reliquarum partium, ſine
qua nequit anima permanere, nec vita
ſubſiſtere; ſubitò enim vi veneni reddi-
tur caro livida, aut nigra, fœtida, ſine
omni ſenſu, & cum omnimoda corrup-
tione: Ergo perit homo corrupta viven-
A te ſubſtantia, non defectu flammæ. Tum
repentina à veneno fit mors, ut tenet
Grevinus *cap.* 1. quia talis eſt vis veneni,
ut neglectis reliquis partibus corporis,
ſtatim in cor abeat primo impetu, & il-
lius ſubſtantiam, & temperamentum, ac
ſpiritus corrumpat, diſſipet, invertat,
quandoque oculi momento, quandoque
brevi ſaltem tempore: Ergo à viribus ve-
neficæ qualitatis provenit repentina mors,
& moriendi celeritas.

Probatur ſecunda pars, quod juvet pro
B repentina morte major, aut minor reſi-
ſtentia: tenet enim Ariſtoteles, quod
actus activorum ſunt juxta paſſi diſpoſi-
tionem. Tum fit tardior à veneno mors
adhuc vehementiſſimo, dum impeditur
ejus actio ab aſſumpto alexipharmaco, à
quo aut reprimitur, aut impeditur. Sic
à theriaca narrat Schenkius toxici Hiſ-
pani vires ex toto refrangi, & ab aſſum-
pto ſucco cyduneorum. Sic Mithridates
Rex ob uſum ſui antidoti liber evaſit,
quin poſſet ab ullo veneno interfici. Tum
C aliquæ individuales proprietates impediunt
veneni operationes. Sextus Empiricus nar-
rat vidiſſe anum ſolitam ſine incommodo
ſumere triginta drachmas ſicutæ. Anaxa-
goras Argivus non lædebatur ab ſcorpio-
nibus, & ſerpentibus: nec Cyſides per
nimium opii uſum, licèt ſimul ſumeret
ʒ. iiij. Æthiopes circa Hydaſpidem fluvium
anxiè veſcuntur ſcorpionibus ſine omni
noxa. Tum Galenus 3 *ſimpl. cap.* 23. te-
net, quod plura venena ob parvam quan-
titatem non nocent, ſicut nec centeſima
D pars ſcintillæ ignis urit, ob paucitatem ma-
teriæ: quod intelligi dicit Mercurialis de
venenis, quorum vis non eſt omninò vio-
lentiſſima; nam in ſumma vi, & violen-
tia aliquorum venenorum ſufficit quam-
minima quantitas. De iis docet Aponen-
ſis, quod in quamminima quantitate oc-
cidunt: & Joannes Leo narrat in Nubia
eſſe venenum, cujus granum unum pro-
pinatum valet decem interficere homi-
nes, ſi inter illos diſpartiatur. Tum
venena, quæ operantur modificando pri-
E mas qualitates, ut agant inflammando,
vel quovis modo corrumpendo corporis
partes, tardiora ſunt in interficiendo. Tum
vires robuſtæ, aut debiles magis, aut mi-
nùs reſiſtunt. Tum vigor, ſeu diſpoſitio
in veneno facit citiùs, aut tardiùs ope-
rari: ſic vipera hyeme tardiùs, æſtate ci-
tiùs interimit.

Resolvtio XXIII.

Utrum nimium exercitium poſſit eſſe cauſa mortis repentinæ.

§. I.

Proponitur, & fulcitur pars negativa.

De exercitio plura diximus *tom. 2. Apologetico*, & apparet, quod non poſſit eſſe cauſa mortis repentinæ. Hippocrates *in lib. epidem.* non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad labores, tenet eſſe præcipuum fundamentum ſanitatis. Oribaſius *lib. 1. ſynopſeos*, inquit: *Exercitatio eſt vehemens motus, terminus vehementia eſt anhelitus, frequensia alteratio. Porrò laborioſa exercitationes membra organica præparant, & robuſtiores ad actiones, & ad validiſſimam alimenti attractionem, promptiſſimamque alterationem, & meliorem appetitum, propter calorem excitandum reddunt, meatus purgant, & vehementi ſpiritus impetu excrementa expellunt.* Ægineta *lib. de remediis capitis*, dicit: *Exercitium eſt motus vehemens, vehementia terminus eſt reſpirationis mutatio ad denſitudinem; exercitia verò præparant partes inſtrumentales, ne facilè offendantur, & robuſtas ad actiones efficiunt; faciunt etiam alimenti tractionem fortiorem, & nutritionem meliorem: meatus, & ſuperfluitates evacuant.* Ergo potiùs ſanitatis, quàm mortis ſunt cauſa.

Probatur ſecundò ex Quercetano *in Diatetic.* qui latè exercitii proſequitur utilitates pro ſanitate, dicens: *Eſt enim illud noſtri caloris innati verum fomentum, & fuliginoſarum ſuperfluitatum in corporibus redundantium aptum remedium; omnis plethora, ſive plenitudinis inducenda obſtaculum, ac impedimentum; agilitatis, ac promptitudinis corporis comparandæ incitamentum; nervorum, & juncturarum corroborandarum idoneum, & aptum auxilium, necnon præcipua, ac primaria cauſa apertionis pororum, ac meatuum per quos fuliginoſa illa, & ſuperflua ſanguinis & ſpirituum, qui aliàs vitæ noſtræ fontes ſunt, ac ſuſtentacula, materia foras propellitur, ac diſſipatur.* Unde fit, ut ſingulæ corporis facultates corroborentur, & inſtaurentur exercitio: omnium ſenſuum, tam interiorum, quàm exteriorum actio promptiùs, ac rectiùs perficiatur, liberalior fiat pulmonum inſpiratio, & reſpiratio: cordis robur, ac vigor inſtauretur: partes quoque nutritioni ſervientes meliùs concoquunt, digerunt, & aſſimilant alimenta, eorumque excretionem citiùs abſolvunt: Ergo exercitii neceſſitas talis eſt, ut vita ſine illo nequeat conſervari.

§. II.

Immoderatus localis motus poteſt eſſe cauſa mortis repentina.

Reſolvendum, quod vehemens exercitium, ac violentum valet eſſe cauſa mortis repentinæ.

Exercitium aliud eſt naturale tantùm, aliud habet aliquid artis adjunctum, quale ſub arte Gymnaſtica continetur. Naturale eſt noſtra reſpiratio, & pulſuum localis motus. De conjuncto arti aliquæ adhibentur conditiones; nam aliud eſt ſimplex, alterum comitem habet æmulationem. In ſimplici homo ſolus ſe exercet, ut in curſu, aut ſaltu. Quod habet æmulationem cum deſiderio vincendi, vel imitandi alterum, hoc erat in palæſtris, & apud populum; qui ſe exercebat in variis exercitationum generibus, in curſu, in lucta, in pugillatu, in ſaltu, aut ictu diſci, ſaxi, aut jaculi: in quibus omnibus nimio conatu exercitatis, & immoderato valet contingere mors repentina.

Probatur primò ex variis exercitationibus, ſeu obſervationibus eorum, quorum meminit Tyrillus. Aloyſios Michaël Orator ex nimio conatu orandi in Senatu obiit repentè commotus, anno 1589. De Horatio Gela narratur, quod poſt eximium motum in orando, anno 1613. apud Venetos in Senatu repentè obiit. Plutus *de gloria Athenienſium*, refert quod Ericles currens, perveniens in finem curſus, labore reſolutus repentè obiit. Idem Plut. in Ariſtide refert, quod Aluchidas currens retro plateas, ignem adducens ad ſacrificandum, poſtquam plura cucurriſſet ſtadia, concidit confeſtim, & repentè obiit. Sabellicus *lib. 5. in 4. enarrat.* refert, quod Statyra uxor Darii, quæ ſequebatur exercitum, continuo itineris labore reſoluta ſubitò periit: Ergo inter mortis repentinæ cauſas poteſt annumerari nimium exercitium.

Probatur ſecundò ex nuper dictis ex Oribaſio, & Ægineta, quod per moderatum exercitium pori aperiuntur, calor augetur, ſpiritus diſſipantur, & accenduntur. Ergo ex immoderato iis adauctis, fiet ſpirituum reſolutio, & ob vitalis caloris extinctionem fiet mors repentina;

evacua

evacuatio enim præter naturam, & repletio noxia eſt, ex Hippocrate *lib. 6. epidem. text. 4. & 5.*

Probatur tertiò in iis, qui paucos valent ſpiritus generare, & debilem habent calorem, qui pravos generant humores, & in pauca quantitate, qui debilem habent cordis concoctricem ad ſpiritus generandos, & nimis concitato motu moventur, nimio accenſi calore, & ob plurimas concurrentes has cauſas apti ſunt, ut ſpiritus ſubitò reſolvantur: Ergo ſubita poteſt illis mors ſupervenire.

§. III.

Quid dicendum pro primò adductis fundamentis.

AD fundamenta primò propoſita dicimus, quod probant quantum profint pro conſervanda ſalute exercitia moderata: non tamen, quod nimis concitata, & intempeſtiva non poſſint præcipuè in propoſitis ſubjectis ſpiritus repentè reſolvere, & illorum defectu repentina ſubſequi mors.

Resolvtio XXIV.

Utrum veneris nimius uſus ſit inter cauſas mortis repentinæ.

§. I.

Pars negativa proponitur, & fulcitur.

VIdetur quod non: Primò, quia veneris uſum machinata fuit natura pro conſervatione viventium perfectorum, & pro illo varia fabrefecit inſtrumenta, parteſque generationi dicatas in ejus uſum; appetitum proclivem dedit ad illum; maximas voluptates illi commiſcuit, ut ſpeciem per illum conſervaret: Ergo nequit eſſe cauſa mortis.

Secundò defectu actus venerei plurimi fiunt morbi, plurima ſubſequuntur incommoda, & ſæpe mors. Ergo non eſt illius cauſa. Probatur antecedens à Nancelio *lib. 10. microcoſmi*; ex veneris enim defectu ſperma ſupra modum augetur, tetanos fit in inguinibus, gravitas ſub hypochondriis ſubſequitur, & in toto corpore: in vaſis corrumpitur, & calefit ſemen retentum, & fiunt febres, & fumus in caput aſcendit, & cerebrum, & mentem perturbat. Hoc confirmat Halyabas 5. *theorem.* docens, quod ex ſeminis exuberantia coitu non evacuata, in inguinibus, &

A aliis corporis partibus magna fit extenſio, & in omni corpore gravitas; in vaſis calefit ſemen, & febres cauſat, & per vapores in caput varia in illo cauſat ſymptomata, intellectus hebetudinem, oculorum tenebras, cordis tremores: Ergo ab illius uſu non provenit mors.

Tertiò ex veneris uſu plura proveniunt commoda corpori: Ergo non provenit mors. Patet antecedens: alleviatur corpus, ſanitas corroboratur, malæ cogitationes removentur, ira extinguitur, me-
B lancholia euratur, & multi morbi phlegmatici propulſantur, & appetitus excitatur. Ergo plura commoda ex veneris uſu ſubſequuntur.

§. II.

Nimius veneris uſus poteſt eſſe cauſa repentinæ mortis.

REſolvendum, quod ex immoderato veneris uſu poteſt ſubſequi mors repentina.

C Probatur primò ex variis eventibus eorum, qui repentè ob nimium coitum extincti ſunt. Levitæ uxor ſtupri nimio uſu eum Gabaonitis repentè extincta obiit. *Iudic. cap. 19. & 20.* Plinius *lib. 7. cap. 58.* meminit duorum Equeſtris ordinis in Pantomimo Myteco repentè ex nimio coitu extinctorum. Bonfin. *lib. 7. decade 1.* narrat, Attylam Hunnorum Regem uxoratum cum filia Regis Hildiconis, prima nuptiarum nocte ex nimio coitu repentè fuiſſe extinctum. Ritius *lib. Francorum*, refert
D quod Theodoretus filius Regis in complexu pellicum fuerit repentè extinctus. Volaterranus *lib. 22. Antrop.* tenet Ladiſlaum Regem Apuliæ in coitu mulieris medicatæ repentè exſpiraſſe. Jovius *in Bajazeto*, narrat illius filium Muſtafam venereis rebus indulgentem repentè exſpiraſſe. Nicolaus Maſſa *in vita Avicennæ* dicit, quod ex venere debilitatus repentè obiit. Sic Monardes Ferrarienſis decrepitus juvenculam duxit, & in coitu repentè obiit, ut refert Jovius in elogiis.
E Cornelius Gallus Prætorius inter uſum veneris exſpiravit. Valer. *lib. 9. cap. 12.* idem refert de Tito Ætherio Equite. Schenkius *lib. 4. obſerv. 49.* refert, quod Giaterus Geneva Salucianus in complexu puellæ repentè fuit extinctus.

Probatur ſecundò ex variis concurrentibus in coitu nimio cauſis pro repentina morte. Tum concurrunt gaudium & lætitia de poſſeſſione rei amatæ, in quibus, ut ſuprà probavimus, tanta ſolet eſſe

ſpirituum expanſio ad partes externas, A & reſolutio, ut ex ſolo gaudio plures repentè moriantur. Tum cum ſemine ſolet in nimio coïtu evacuari non ſolùm omnis ſeminis portio, quæ redundat in corpore, ſed ſæpe etiam magna ſanguinis copia puri, & perfectioris, cum commixtis ſpiritibus, ex quorum evacuatione vita ſubitò perit. Tum ſemen retentum, præcipuè in fœminis, fit ſimilis veneno viperæ, & commotum poteſt repentè vitam extinguere. Tum quia veneris uſus vires valet proſternere, reddit B corpus laxum, & imbecillum, frigidum, & ſi nimis fiat concitatus, ipſis reſolutis viribus poteſt homo repentè mori. Tum quia, ut inquit Hippocrates *6. epidem. ſect. 8. text.* 36. conſuetudo ex qua bene valemus, in laboribus, ſomno, & venere eſt obſervanda; & proponens modum in illa tenendum *text.* 4. inquit: *Labor, cibus, ſomnus, venus, omnia moderata.* Ergo ab iis immoderatis, & morbi, & mors poſſunt provenire. Tum Hippocrates *lib. de genitura*, docet, quod in veneris uſu C robuſtiſſimum quid excernitur, id eſt, ſpiritus, qui ſunt vitæ robur, & conſervatio. Tum quia ex Athenæo, propter nimiam voluptatem in coïtu reſolventem ſpiritus, eſt nimius labor impenſus in ipſo exercendo, à quo ſpiritus reſolvuntur, & in nimio illo labore poteſt mors fieri repentina.

§. III.

Traditur ſolutio pro argumentis adductis.

AD primum reſpondetur, quod in eis quæ natura machinatur pro generatione utilibus, ſi indebito modo utatur illis homo, poſſunt plura immoderata ſupervenire, ex quibus ſequatur mors.

Ad ſecundum reſpondetur, quod cùm veneris uſus ſit inter res non naturales, moderatus ſe habet inter cauſas ſanitatis; immoderatus inter cauſas morborum, & mortis.

Ad tertium reſpondetur, quod ex moderato uſu veneris tradunt Authores plu- E ra commoda quæ ſubſequuntur pro ſalute conſervanda. Similiter ex illo immoderato referunt varia incommoda, inter quæ ſunt aliqua quæ valent mortem cauſare, ut patet ex relatis obſervationibus.

Resolutio XXV.

Utrum ſympathia, aut antipathia poſſint eſſe cauſa mortis repentinæ.

§. I.

Antipathia, & ſympathia quid ſint, & variæ earum ſortes.

B SYmpathia, & antipathia ſunt quidam rerum latentes conſenſus, aut diſſenſus, de quibus plura Fracaſtorius *lib. de antipathia, & ſympathia rerum*, Marcellus Donatus *lib. 6. de hiſt. Medica Mirabili, cap. 3.* aliqua Tyrillus *lib. de cauſ. mort. repentinæ, ſect. 4. cap. 6.* Schenkius *in obſervat.* Pater Euſebius *lib. de occulta Philoſoph. part. 2.* & alii. Confert earum notitia in præſenti, quatenus ſæpe quæ in homine accidunt, varias commovent perturbationes, & morbos, ex quibus ſo- C lent ſubſequi mortes repentinæ. Contingunt ſympathia & antipathia inter varias res, in eodem genere, in diverſo rerum genere, inter elementa, inter mixta non viventia, inter viventia, inter mineralia, inter vegetativa, inter ſenſitiva, & quammaximè in homine. Inter elementa inquit Ariſtoteles, quod inter ſymbola facilior eſt tranſitus. Inter mineralia magnes ferrum attrahit. Plantæ aliæ ſe amant, aliæ odio ſe proſequuntur. Myrthus & olea ſe amant: colocynthis reliquis eſt inimi- D ca. Inter aves pulli gallinacei odium habent milvum: inter animalia ovis lupum: inter homines alii alios homines amore proſequuntur, odium in alios habent ſine manifeſta cauſa, & ſic in alias varias res, à quibus immutantur incognitâ cauſâ, odio; in alias verò amore feruntur. Donatus cum Fracaſtorio varias rerum proſequuntur ſympathias, & antipathias. Franciſcus à Reyes acquieſcit Plinio, qui tenet quod aggravantur vulnera in ingreſſu ad infirmos, eorum qui non fuiſſent E morſi à vipera, aut cane rabido, & quod valent vitiare fœtum, & incubitum gallinarum. De ave *Galgelo* refert, quod ſi eam videat ictericus, tranſit in illam morbus: de quadam rana ait, ſi tuſſiculoſus exſpuat in illam, quod ſanatur à morbo: de equi ſaliva tenet, quod ſi bibatur à tuſſiculoſo, ſanatur, & moritur equus. Sed ego hæc ponenda judico inter Plinii mendacia. Communiter reducitur ad ſympathias, aut antipathias, quod ovis mutuo

odio proſequatur lupum, pullus milvum, felis mures, ideneus crocodillum, vulpes gallinam, canis leporem; quod braſſica, & rutha non patiantur ſimul ſeri: quod colocynthis interficiat vicinas herbas, adamas adverſetur magneti, hic ferrum attrahat, electrum paleas, lepus marinus lædat ſolùm pulmones, cantarides ſolos renes, nobis occulta vi.

Sed præcipuè in hominibus, cùm varias habeant internas cognoſcitivas potentias, ex illis, ut tenet Fracaſtorius, varii proveniunt effectus mirabiles, qui in ſympathiam, & antipathiam debent reduci, à quibus variæ, & periculoſæ ſubſequuntur perturbationes, quas ex variis Authorum obſervationibus deſumont: aliquas confirmat Schenkius, & Marcellus Donatus. Alii enim ex ſolo aſpectu, aut odoratu roſarum animo linquunt: alii à piſcium eſu concitantur in vomitum, aut ventris conturbationes, & ad cordis preſſuras: alii ex eſu carnium incidunt in ſyncopem: alii ex ovis, alii ex ruthæ odore: alii ex hericis viſu, aut felis, aut muris: alii ex potu vini: alii non læduntur à ſerpentibus: alii abhorrent ſolis radios: ſic & alii aliis immutantur modis ultra communem hominum uſum. Dubitamus an ex iis occultis affectibus poſſit ſubſequi mors repentina.

§. II.

Advenit ſympathia, & antipathia, quod valeant quandoque cauſare mortem repentinam.

Reſolvendum, quod ex commotione humorum, & ſpirituum in iis affectionibus poteſt ſyncope, & mors repentina quandoque ſupervenire.

Probatur primò ex variis Authorum obſervationibus. Marcellus Donatus *lib.6. de hiſt. Medica Mirabili, cap.*3. refert, quod Martinus Cromerius *lib.*8. *de rebus Polonum*, narrat Laurentium Buraſtilauccentenſem Epiſcopum tantam cum roſis habuiſſe antipathiam, ut ex ſolo illarum odore ſubitò extinctus fuerit. Schenkius, & ex illo Tyrillus ſuperaddunt, quod vir quidam ita abhorrebat vetulam deformem, ut in convivio ob illam viſam repentè mortuus fuerit. Paræus *in introductione ad chirurgiam*, narrat virum nobilem Galliæ inter epulas ſub mentitis dapibus anguillam comedentem, quam abhorrebat, ſubitò exanimem factum, Guainerius *lib. de venenis, cap.*4. narrat de ſe, ita abhorruiſſe ſuillam carnem, ut ex illa clam ſubitò

A oblata in cordis tremorem, & ſyncopem incideret. Amatus *cent.* 2. *curat.* 36. de monacho Dominicano narrat, ita prope mortem pervenire ſolitum ex roſarum odore, ut tempore illarum cogeretur intra cellam manere.

Probatur ſecundò: Sympathia, & antipathia in hominibus, ſunt quidam occulti aſſenſus, & diſſenſus ſequuti ex potentiis internis cognoſcitivis, juxta ſpecies rerum modificatas per individuales quaſdam proprietates, ad quas ſequuntur vehementes actus appetitus iraſcibilis, aut
B concupiſcibilis, ut patet in gaudio ex ira: ſed ex iis ſubſequitur ſæpe mors repentina: Ergo ſimili modo poteſt ſubſequi ex iis affectionibus.

Patet etiam ex variis Authoribus in harum affectionum confirmationem, quàm variæ proprietates ſint obſervatæ in diverſis hominibus individuales, ſpecificæ, aut individuantes, per quas modificati varios, & indicibiles paſſi ſunt effectus, & affectus. Referunt anum Atticam veneno ci-
C cutæ nunquam potuiſſe lædi, & quod Athenagoras Argivus non lædebatur veneno araneorum, nec ſcorpionum. Pſylli non lædebantur ab ſcorpionibus, nec ſerpentibus. Æthiopes ſcorpios & ſerpentes comedebant. Albertus Magnus narrat vetulam araneis fuiſſe nutritam: & de duobus refert pueris, quod in eorum tranſitu aperiebantur feneſtræ. Pyrrhus tactu dextri pedis ſpleneticos curabat: de alio refertur ſic ſanaſſe febres: de diverſis Europæ Regibus fertur tactu alios
D ſolitos curare morbos: ſic & alias plures referunt Marcellus Donatus, & Pater Euſebius proprietates, quæ confirmant ſympaticas, & antipaticas affectiones, de quibus aſſerimus poſſibiles eſſe, ſicut & ex illis poſſe ſubſequi alterationes à nobis traditas.

Resolvtio XXVI.

Utrum ruptio vaſorum in pectore, aut abſceſſuum, poſſit eſſe cauſa mortis repentinæ.

E

§. I.

Proponitur ratio dubitandi, & explicatur.

Plurimos propoſuimus modos, per quos geniti ſpiritus in corde reſolvuntur: ſunt & modi alii, per quos jam geniti ſine reſolutione deficiunt per ſuffocationem, ex qua mors ſubſequitur re-

pentina. De ſuffocatione ſuprà aliquá A diximus: manifeſtas alias nunc proſequemur cauſas, inter quas vaſorum, & abſceſſus pectoris ruptio non infrequens eſt. Sunt in pectore varia vaſa, venæ, & arteriæ: fiunt varii abſceſſus in pleura, mediaſtino, pulmone, larynge, & aſpera arteria ſæpéque ex faucium tumoribus, ex ſanguine à capite tranſmiſſu concurrit ad cavitatem pectoris materialis ſuffocationis cauſa, ſimul & ex aliis à capite tranſmiſſis ſuccis. Præcipuè agimus de iis qui ex vaſis, aut abſceſſibus ruptis ſuper- B abundant, an poſſint repentinam mortem cauſare ſpiritus ſuffocando.

Eſt pectus, ſeu thorax media regio corporis, quæ inferiùs diaphragmate, ſuperiùs claviculis, anteriùs ſterno, poſtica ſede vertebris dorſi, in lateribus vtrinque coſtis clauditur. Continentur in illo cor, pulmones, aſpera arteria, pars œſophagi, portiones venæ cavæ, & arteriæ magnæ, membranæ intercipientes, diaphragma, & pleura.

Præter arteriam magnam, & venam C cavam aſcendentem, pulmo fulcitur triplici vaſorum genere. Sunt hæc vena arterioſa, arteria venoſa, & aſpera arteria: his ſuſtinetur, & cohæret vena arterioſa, quæ à dextro cordis, ut alibi enarravimus, ſinu naſcitur, unde diffundit rivulos per totam ſubſtantiam pulmonis, defertque tenuiſſimum ſanguinem pro nutriendis pulmonibus. Arteria venoſa ſpargitur per omnes pulmones, & in ſiniſtro cordis ventriculo uno trunco introducitur, excipit aërem in pulmonibus præparatum, trudit vapores fumidos, excipit- D que à ſiniſtro ſinu ſanguinis arterioſi portionem. Aſpera arteria decurrit à faucibus in totum pulmonem, dicata pro aëre deducendo, & pro fuliginibus expellendis. Deferuntur hæc vaſa per univerſum pulmonem uſque ad ultimam ejus ſuperficiem, ſicque inter ſe coadunantur, ut aſpera arteria ſit in medio, vena arterioſa in parte poſteriori, arteria in anteriori. Oſcula arteriæ venoſæ coëunt cum oſculis aſperæ arteriæ, ut aëri, & vaporibus E fumoſis pateat ingreſſus, ac exitus, non ſanguini, & humoribus, quin impetu irruant, aut per tuſſim. Hæc horum vaſorum eſt communis enarratio, & anatomica ratio.

§. II.

Proponuntur aliquæ viæ, quibus vaſa pulmonis liberantur ab infarctu.

RESolvendum, quod natura, dum vaſa pulmonis replentur, ſuas tentat ſarcinæ depoſitiones.

Probatur: Tum quia per tuſſim per hæc vaſa ſputo rejicitur ſanguis, dum per anaſtomoſes aperiuntur, aut ab acribus humoribus, aut medicamentis, aut à ſanguine redundante in illis, aut cùm ſunt dilatata à ſanguinis caliditate, à quo ſæpe etiam ulcera fiunt: in quibus contingit, quod imminuto affluxu, ſæpe ceſſet ſanguinis ſputum. Tum contingit in retentis menſtruis, aut narium hæmorrhagia, quod ſanguis in vaſa pectoris confluat, ſeu pulmonum, & ſine damno periodicè evacuetur. Tum demonſtrat Fernelius *lib. 5. de part. morb. cap.* 10. & Duretus *in coacis, comm.* 46. poſſe aliquas horum vaſorum repletiones ſputo deponi. Tum quia non tam per ſputum, quàm per vias urinæ tenet Zecchius *conſil.* 18. poſſe expurgari vitioſos ſuccos, aut purulentos pulmonis, delatos per hæc vaſa in cor, & tranſmiſſos in aortam, & poſtea per arterias in renes, in quibus in iis evacuationibus urinæ ſubſequuntur ardores, levanturque pulmones.

§. III.

Repletio cavitatis pectoris poteſt eſſe cauſa mortis repentinæ.

RESolvendum ſecundò, quod omnis repletio, aut coarctatio impediens in pectore ſubitò pulmonum motum, ſubitam valet mortem cauſare.

Probatur: Tum quia in hyſtericis affectionibus, in quibus uterus ſurſum trahitur, & comprimit ſeptum tranſverſum, ceſſat reſpiratio, & vita, inquit Hippocrates *lib. de natur. mulier.* ibi: *Converſi uteri impetum hepar, & ad præcordia irruunt; ſurſum enim ad humiditatem feruntur, à labore nimium reſiccati.* Rudius *lib. 2. Pract. cap.* 51. tenet ſe uterum propriis manibus ſenſiſſe elevatum uſque ad umbilicum. Fernelius idem fatetur *lib. 6. cap.* 16. Schenkius *lib. 4. obſervat.* plures adducit obſervationes aliorum Authorum, qui ex uteri retroceſſu, impedito pulmonum motu, plures fuiſſe repentè ſuffocatas experti fuerunt. Tum idem contingit impedito pulmonum motu ex humorum vehemente confluxu à capite in pectus, ut

in

in catarrho ſuffocante. Tum in vulneribus pectoris penetrantibus,confluente ſanguine in cavitatem pectoris,plures repentè moriontur, impedito pulmonum motu, & reſpiratione. Tum rupto abſceſſu in pleura, aut mediaſtinis, vel in ipſo pulmone ex pure cavitatem illam ſubitò replente, ex quo repentina etiam ſubſequitur mors, quia ut docet Ariſtoteles, animal vivere, & non reſpirare, impoſſibile eſt.

§. IV.

Ex ruptura vaſorum pulmonis fit repentina mors.

Reſolveodum tertiò, quod ruptura vaſorum pulmonis ſubita, & confertim ſanguine fluente, aut pure, mortis repentinæ eſt cauſa.

Proponuntur variæ cauſæ, ob quas vaſa pulmonum poſſunt pati ſolutionem continui. Tum à plenitudine ſanguinis, ex qua ex Hippocrate 4. *de ratione victus*. ſolent fieri venarum interceptiones, lipothymiæ, ſyncopes, ſolutiones, ſeu ruptiones vaſorum, & repentinæ mortes. Illa autem fit ex multo cibo, & uſu vini generoſi, & multi. Tum vaſa rumpuntur à ſanguine calido, ac acri, corrodente illa, tali reddito ab uſu meracioris vini, & caloris immodici, à balneo calido, ab uſu aromatum calidiorum, cepæ & aliorum. Tum ſi præcipuè æſtivo tempore calidioribus quis rebus ſe aſſuefacit, & corrodentibus repleat ſuccis, ex Hippocrate 5. *aphoriſm*. 16. *Calidum ubi ſæpe eo quis utatur, hæc mala affert, carnium effæminationem, nervorum incontinentiam, mentis torporem, profluvia ſanguinis, animi defectionem, ad quæ mors.* Tum ab internis animi conturbationibus nimis commotis, & agitatis humoribus poſſunt eorum vaſa impetu commota diſrumpi, & nimis ararata ſolvi, unde & ſanguis prorumpat in pectus. Tum ab externis violentis cauſis poſſunt etiam vaſa pulmonum rumpi intra pectus ab inſtrumento ſcindente, à nimia motus vi, à caſu ex alto, à nimio clamore, à gravi pondere, validòve conatu: ex quibus ſanguis, & ſpiritus rejecti à vaſis valent ſubitò interitus eſſe cauſa.

Probatur ſecundò: Nam vaſa pulmonis, ut diximus ex anatome, ſunt ſparſa, & diſſeminata per omnes illius partes, & mutuò oſcula arteriæ venoſæ coëunt cum oſculis venæ arterioſæ, quæ in ſiniſtro cordis ventriculo uno trunco introducitur, & immittit aërem in toto pul-

A mone præparatum. Ergo ſimili modo immittet quamcunque ſubſtantiam abetrantem per pulmones, & deferet cum aëre: Ergo cor ab intromiſſa illa ſubſtantia extranea replebitur, & ſuffocabuntur ſpiritus in illo contenti, & vita, quæ ſine illis nequit conſervari. Tum per arterias, per quas expelluntur fuligines, quæ emittuntur à corde in aſperam arteriam, & cavitatem pectoris, poſſunt ſanguis, aut pus erumpens ex vaſis ruptis in illud tranſmitti, & dupliciter mortem cauſare, vel B per ſuffocationem ſpirituum intra cor, vel per impedimentum motus pulmonis adimplens illius corpus.

Probatur tertiò aliquibus obſervationibus. Tyrillus refert hiſtoriam Gregorii Patavini Carmelitani, quæ accidit anno 1610. qui etſi boni erat habitus, & potui deditus, poſt cœnam lætam manè repertus fuit mortuus ex ruptura venæ in thorace. Refert ſecundò, quod Nicolaus Rizzi Juris Doctor anno 1608. paſſus per plures menſes ſanguinis ſputum cum thoracis doloC ribus, riſu exſolutus repentè obiit, ſanguine cavitatem replente ob ruptum vas corroſum in pulmone. Andreas Laurentius *lib*. 9. *anatom*. refert, quod Guichardinus Legatus Ducis Etruriæ repentè obiit, dum placidè loquebatur cum aliis, in quo apparuit rupta vena cava ingrediens in cor. Similiter refertur de aromatario Veneto, qui cùm paſſus eſſet dolorem circa pectus, & poſtea placidè cœnaſſet, repentè mortuus fuit ob ruptum repentè abſceſſum in thorace. Kennechus Keir ScoD torum Rex ex defluxu catarrhi in pectus ſubitò periit, ut tenet Boëtius *lib*. 9. Sic ſuffocatus obiit repentè Myreus Epiſcopus: & Fabius Senator, pilo in lacte bibito repentè ſuffocatus obiit, aëre impedito. Fulgoſus *lib*. 9. *cap*. 12. Plinius *lib* 7. *cap*. 7. Fernelius *lib*. 5. *patholog*. *cap*. 10. obſervat, quod rupta vomica in pulmone, ægri moriuntur intra horæ quadrantem, quia pus penetrat in cordis arcem. Schenkius *lib*. 2. *obſervat*. agens de vomica, ex Galeno *lib*. 6. *de loc*. *cap*. 4. ex Jacotio *comment*. *ad apho*E *riſm*. 4. *lib* 6. *coacar*. *ſect*. 2. & ex aliis vias obſervat, per quas vomica in pulmonibus rupta poteſt ægrum liberare à morte. Galenus *lib*. 6. *de loc*. *affect*. docet tranſmiſſionem puris à pulmonibus fieri per extremas partes aſperæ arteriæ, quia multò latiora ſunt illa vaſa, quàm reliqua adjacentia pulmoni; quod fit exſpirationis tempore, dum contrahitur thorax, & cum illo pulmo; tum vaſa in ſe concidentia comprimuntur, & exprimunt pus in aſ-

peram arteriam; & propellunt per fau- A ces tuſſiendo, ut adjuvetur motus compreſſionis pulmonis, qui ſolus non ſufficeret.

Resolutio XXVII.

Utrum vaſorum repentina occluſio in pulmonibus valeat eſſe cauſa mortis repentinæ.

§. I.

Ponuntur vaſa pulmonum quæ poſſunt occludi.

INter vaſa, quæ poſſunt occludi in toto corpore ab humorum plenitudine, ponit Hippocrates 4. *de ratione victus*, venas totius corporis. Pro nunc ſolùm agimus de viarum occluſione in pulmonibus, quæ vocantur arteriæ, ex qua provenit mors repentina. Sunt pulmonum arteriæ in duplici differentia: aliæ dicuntur arteriæ aſperæ, aliæ arteriæ læves pulmonis. Aſperæ arteriæ diſperſæ per pulmones admittunt aërem reſpiratione attractum, ut diximus, & præſtant exitum pro fuliginibus, nec aliam nactæ ſunt naturaliter materiam, aut ſubſtantiam. Læduntur in ſuis operationibus, ſi ſupervenit illis morbus in cavitate, ſeu anguſtientur: quod provenit a a guſtia obſtructione, compreſſione, ſeu exſiccatione, coarctationéve. Fit obſtructio à craſſis ſuccis inhærentibus in pulmonum bronchiis ibi genitis, aut à capite tranſmiſſis, aut à toto corpore. Fit D etiam obſtructio à crudo tuberculo, craſſo vapore, à caruncula, veſſicula, vermibuſve in pulmone genitis, à ſanguine ex gutture, œſophago, ore, pulmone, aut thorace vulnerato tranſmiſſo, aut à pure rupto abſceſſu. Anguſtia horum vaſorum fit etiam compreſſione ab eiſdem cauſis, ſi ſint in lævibus arteriis, aut in pulmone; ſive humores in illo generentur, ſive tranſmutentur ab aliis partibus, vel per venam arterioſam, ſive colligatur aqua in pulmone, ut in ejus hydrope; ſive ex rupto E abſceſſu, à quibus arteriæ aſperæ comprimuntur, ſicut in pulmonum inflammationibus, mediaſtini, aut ſepti tranſverſi. Sic fit compreſſio gibboſitate, vertebrarum luxatione, & vicinarum partium tumoribus. Reſiccatione fit etiam compreſſio aſperarum arteriarum, ſive communicata à vaporibus acribus, auriſve metallicis, ut Sennertus, Tyrillus, & alii proſequuntur.

Arteriæ læves non ſolùm periculum minantur, quatenus valent comprimere arterias aſperas, ſed etiam quatenus ipſæ poſſunt coarctari, & impediri in ſuis actionibus, ſive comprimantur, ſive obſtruantur, ut convincitur à Galeno *lib. 4. de loc. affect. cap. ultimo*, in hiſtoria Antipatri Medici. Fit lævium arteriarum obſtructio ſimili modo à cauſis nuper propoſitis.

§. II.

B *Vaſorum pulmonis obturatio ponitur inter cauſas mortis repentinæ.*

REſolvendum, quod repentina vaſorum pu monis occluſio totalis eſt cauſa mortis repentinæ.

Probatur primò ex Galeno *lib. 4. de loc. affect. cap. ultimo*, ubi refert de Antipatro Medico, quod cùm incidiſſet in difficilem reſpirationem cum pulſûs inæqualitate omnimoda, ob tuberculum aut craſſos ſuccos occludentes arterias, ipſis occluſis repentè obiit.

C Probatur ſecundò: Omnis ſtrangulatio repentina auferens reſpirationem affert mortem repentinam, quia omninò intercipit reſpirationem: Sed arteriarum occluſio repentina repentè intercipit reſpirationem, & aëris tranſitum ad cor: Ergo repentinam mortem cauſat, ſive fiat ex anguſtia alicujus inſtrumenti deſervientis reſpirationi, ut pulmonis; ſive in ſpatio inter thoracem, & pulmonem, ſive in ejus cavernis, ſive in larynge; ſive in aſpera arteria, aut muſculis prohibeat aëris ingreſſum, ſive fuliginum egreſſum; ſive proveniat ab inflammatione, ut angina; ſive ab humore alio ſuffocante, laqueóve coarctante fiſtulam pulmonis, ſive epiglottidem. Sed arteria, vaſave pulmonis propinquiora ſunt inſtrumenta in hos fines. Ergo ipſa repentè obſtructa repentinæ mortis ſunt cauſæ.

Probatur tertiò: Aëre deficiente in corde, deficit neceſſariò vita: Sed vaſis pulmonis obturatis, deficit aër in corde: Ergo deficit ſubitò vita. Probatur major ex dictis, quia à fuliginibus ſuffocantur ſpiritus, & quia defectu aëris nequeunt alii generari.

Probatur quartò ab eventu in variis obſervationibus eorum qui impedito aëris ingreſſu ad cor repentè mortui fuerunt. Cuſpius narrat Henricum Nigrum Imperatorem repentè fuiſſe extinctum ſuffocatum portiunculâ panis retentâ in œſophago. Polydorus *lib. 8. Angl. hiſtor.* idem refert de Godivino Comite Cancianorum.

De

De cauſis ſuffocationis ſubitò evenientis in collo, & aſpera arteria, plura obſervat Schenkius *lib. 2. obſervat.* Henninus in Genealogia Regum Navarræ narrat, Alphonſum Regem Bavariæ, ſpina piſcis in trachea arteria infixa repentè extinctum fuiſſe: idem atteſtatur Agiographus Guido contigiſſe Tarquinio Priſco. Nauclerus narrat de Adriano Pontifice, quod muſca fuit ſtrangulatus. Joannes Antuerpienſis carunculâ laryngi adnatâ ſubitò ſuffocatus periit: fumo obruente vaſa pulmonis, repentè obiit Minos Rex Cretæ. Ovidius *in Ibim.* Sic vapore, ſeu fumo carbonum repentè obiit Quintus Luctatius, ut tenet Valerius Maximus. Scholiographus Hollerii ex abſceſſu rupto vidit repentè mortuum, *ad cap.* 30. *de morb. intern.* Tyrillus narrat de vidua boni habitus, repentè mortuam fuiſſe Venetiis ex pulmone repleto humore aqueo, ſimul cum pericardio, & corde: & de alio ſimili modo extincto ab eadem cauſa, idem narrat: de Thoma Vicentino refert repentè mortuum ob veſſiculam aquæ in ramulis aſperæ arteriæ.

RESOLVTIO XXVIII.

Utrum thoracis, muſculorum, aut nervorum ablata actio ſit cauſa mortis repentinæ.

§. I.

Muſculorum thoraci deſervientium uſus, & numerus.

DEficit reſpiratio vaſorum pulmonis vitio, ut diximus: deficit & abolitione motus muſculorum thoracis, deſervientium illius motui. Vocamus hîc thoracem totum id, quod inter jugulum, & ſeptum tranſverſum duodecim coſtis continetur, quod etiam pectus vocatur. Movetur duplici motu, ſurſum, & deorſum. Si ſurſum coſtæ ducuntur, ad ſe proximiùs accedunt: ſi deorſum, inter ſe recedunt. Dum aſcendunt, in anteriorem, & poſteriorem partem feruntur: dum deſcendunt, à ſe recedunt in priorem, ac interiorem partem impulſæ.

Numerantur it muſculi octoginta & novem, quadraginta & quatuor, qui ſunt in utraque parte, quatuor utrimque ad abdomen referuntur, conducentes etiam ad motum thoracis: ſex utrimque impartiuntur ad thoracem, trigintaquatuor ad ſpatia, quæ ſunt inter coſtas. Sic plerique Anatomici enarrant, licèt aliqui aliquantulum diſcedant. Horum alii ſunt communes aliis etiam partibus, alii proprii ſolius thoracis. Inter omnes proprios ſeptum tranſverſum muſculus eſt communis parti dextræ, & ſiniſtræ: eſt latus, rotundus, in medio valde tenuis; recipit nervos à quarto, & quinto pare nervorum, & ſpineæ medullæ cervice prodeuntium.

§. II.

Muſculi thoracis variis modis neceſſarii ſunt pro reſpiratione.

REſolvendum, quod omnes thoracis muſculi variis modis deſerviunt reſpirationi, & ideo ex illorum abolita actione neceſſariò ſubſequitur mors repentina.

Probatur prima pars reſolutionis, ex qua convincitur ſecunda, quia cùm reſpiratio conſtet inſpiratione, quâ attrabitur aër, & reſpiratione, quâ expellitur, ad hos motus requiri omnes prædictos muſculos inde conſtat: Tum quia ſi naturaliter fiat reſpiratio, ſufficit pro illa ſeptum tranſverſum: ſi majori indigeat vi ad thoracis dilatationem, requiruntur reliqui thoracis muſculi. Tum quia ſi reſpiratio fiat cum vi, pro dilatando thorace non ſolùm concurrit ſeptum tranſverſum, ſed muſculi thoracis communes, & coadjuvari eſt neceſſe ejus motum ab illis, qui ſiti ſunt inter coſtas, & fibras ſuperiùs emittunt. Tum exſpiratio naturalis, licèt à gravitate poſſit perfici, relaxato ſepto tranverſo, juvant tamen muſculi ad contractionem, qui ſunt inter coſtas, & fibras habent ab inferiori parte ſurſum aſcendentes: tales ſunt, qui interni ſunt inter ſpurias, & integras coſtas. Tum ſimili modo juvant quartus & ſextus ex muſculis thoracis, & abdominis communibus: Ergo ſi horum actio ceſſaret, ſubitò ceſſaret aëris attractio, & vita. Tum juvant in majori indigentia pro reſpiratione non ſolùm muſculi intercoſtales, ſed quos communes nominamus, ſcapulares, lumbares, & abdominis: nec naturæ ſolertia in tot ponendis muſculis daretur, niſi quia ſine illorum ope vita nequit conſervari.

Probatur ſecundò: Sine reſpiratione repentè deſinit vita, ex Ariſtotele, & ex Galeno *lib. 3. de locis, cap. 10. lib. 6. cap. 5. & 1. de difficult. reſpirat.* & confirmat apoplexia, in qua ſi muſculi thoracis non moventur defectu influxus cerebri, ſtatim ſupervenit mors: Ergo ſi deficit illorum motus, repentè deficit vita.

Probatur tertiò exemplis eorum, qui A nimia preſſura muſculorum thoracis reſpiratione deſtituti repentè mortui ſunt, inter quos *lib. 4. Reg.* Triumvir Regis Joram in Iſraël, in porta Samariæ turba oppreſſus, reſpiratione deficiente repentè obiit. Suetonius de occurrentibus ad ſpectacula Julii Cæſaris tenet, plures turbâ oppreſſos ſubitò fuiſſe ſuffocatos. Boëtbus *lib. 1.* tenet Coïlum Regem Britannorum turba fugientium oppreſſum, repentè ſuffocatum obiiſſe. Cuſpinianus refert plurimos repentè mortuos preſſura ſuffocatos B in nuptiis Imperatoris Federici ſecundi, dum coronabatur. Albertus primus Auſtriacus Saxoniæ Dux Aquiſgrani preſſura ſuffocatus repentè obiit. Tyrillus alios refert, & ex Schenkio de quodam Bartholomæo Ratiocinatore, & de alio Prætore, narrat in convivio repentè mortuos fuiſſe, per apoplexiam impedito motu muſculorum thoracis. Foreſtus refert de Arnoldo Gilberto eundem eventum. Plura ſimilia refert Marcellus Donatus.

C

Resolutio XXIX.

Utrum repentina mors poſſit ſubſequi ex interceptione arteriæ carotidis.

§. I.

Delineantur arteriæ dictæ carotides.

Sub nomine Arteriæ ſunt tres, aſpera arteria, arteria venoſa, & arteria magna. Hæc eſt vas rotundum, oblongum, D excavatum modo fiſtulæ, conſtans duplici tunica fibris intertexta, deducendo ſanguini ſpirituoſo dicata, temperando, reficiendo, repurgando pro ſingularum partium calore. Prodit ex ſiniſtro cordis ventriculo, & ſtatim reflectit in baſim cordis, quæ coronaria dicitur. Mox tota bipartitur in duos ramos, quorum alter deorſum tendit ſecundùm vertebras lumborum, interſertum ad jugulum per duos ramos dictos ſubclavios. A dextro quinque arteriæ proveniunt: Intercoſtalis ſuperior, quæ fertur ad coſtas ſuperiores: Mammaria, quæ ſpargit ramulos E tenues in mammas: Maſcula, quæ fertur in cervicis poſticos muſculos: Cervicalis, quæ aſcendens per foramina tranverſorum proceſſuum, cervicis, & calvariæ cavitatem ingreditur, & ad cellam ſphenoïdis pervenit. Poſtremus ramus dicitur Arteria carotis, quia ſi intercipiatur apoplexiam cauſat, quia aditum denegat pro vitali ſpiritu, qui per illam fertur ad animalium generationem. Aſcendit cum vena jugulari interna ad cranium, & ante illius ingreſſum ſurculos immittit in laryngem, & byoïdis muſculos, in maxillam inferiorem, in menthum, in labia, in proceſſus mammillares, in radicem linguæ, in dentium cavitatem, & narium amplitudinem. Reliquùm hujus arteriæ aſcendit per foramen illi deſtinatum, inter ſphenoïdem, & os temporis ſitum ad cellam, & ulteriùs in craſſiorem membranam; inde in oculos, & alias partes ramos immittit, & in ventriculos variè implicatur formans plexum labyrinticum.

§. II.

Carotidum interceptio ponitur inter cauſas mortis repentinæ.

Reſolvendum, quod Interceptio carotidum, & venarum jugularium poſſunt eſſe cauſa mortis repentinæ.

Probatur primò. Si ſubitò fiat interceptio in arteria carotide, aut vena jugulari, quæ illi ſubditur, ſubitò deficit in cerebro materia ſpirituum vitalium, quæ præſtatur à corde per hanc arteriam, per quam mittit ſpiritus vitales pro animalium generatione, ſicut per venam jugularem mittit in eundem finem ſanguinem: Ergo ex harum occluſione ſubitò deficit materia, & animalium ſpirituum in cerebro generatio: Sed iis deficientibus, repentina mors ſupervenit, quia ſine illis nequeunt moveri thoracis muſculi, nec ſine horum motu poteſt fieri reſpiratio, nec ſine illa perſiſtere vita.

Probatur ſecundò: Ex interceptione venarum, & arteriarum in aliis corporis partibus ſupervenit ſuffocatio, à qua ſyncope, & mors repentina proveniunt: Ergo potiori jure in his vena, ac arteria. Patet antecedens ex Hippocrate *4. de rat. vict.* ubi docet, quod qui repentè obmuteſcunt, bi venarum interceptiones, occluſioneſque faciunt, ſi ſanè abſque occaſione, aut violenta alia cauſa fiat: & ob eandem cauſam *2. aphoriſm.* tenet, periculoſum eſſe habitum athletarum, ſive venæ, aut arteriæ repleantur multitudine, ſive craſſitie ſanguinis.

Probatur tertiò de interceptione ex craſſo ſanguine à Tyrillo ex Marcello Donato *lib. 2. capit. 7.* in hiſtoria matronæ Mantuanæ, quæ repentè obiit ex concreto ſanguine in arteriis temporalibus, &c.

& ex Schenkio *lib. 2. obſervat.* 228. ubi de puella, quæ ſubitò obiit, narrat quod totus ejus ſanguis erat coaleſcens in vena cava. Hollerius 1. *coacar.* refert in apoplecticis repertum fuiſſe concretum ſanguinem. Fernelius *lib. 2. de abditis rerum cauſis*, obſervat apoplecticum quendam factum, & repentè mortuum ex craſſo ſanguine in contextu retiformi.

Resolutio XXX.

Utrum ex ventriculi affectibus mors repentina accidat.

§. I.

Proponuntur ventriculi varii uſus, morbi, & conſenſus cum aliis partibus.

VEntriculus inter corporis deſervientes partes eſt præſtantior pro ſui individui conſervatione: & ex Hippocrate, qualis terra arboribus, ita ventriculus animalibus: unde ſi ignavior torpet, omnium actionum corporis fit confuſio; eſt enim cibi, & potus receptaculum, & veluti promptuarium quoddam, cujus œconomiâ corporis partes inſtaurantur. In medio noſtri corporis reſidet, ſuperiore parte diaphragmati, inferiori omento, poſteriori dorſo, dextra duodeno, ſiniſtra lieni adhærens, arteriis, & nervis cohæret, veniſque quamplurimis. Ob varios uſus fabrefecit illum natura, ut coctioni, & chili generationi deſerviat, In quem finem tribuit illi cibi, & potus appetentiam. Hæc ſolet lædi diminutè, abolitè, depravatè; ſimiliter, & concoquendi actio illi competit, cibi retinendi, aut potus: ex quibus læſionibus variæ actionis læſæ fiunt ſpecies, & ſymptomata, ſicut in retentione, & expulſione, qualia ſunt inappetentia, cibi faſtidium, fames canina, pica, & malacia, ſitis morboſa, coctio læſa, ſingultus, vomitus ſanguinis, aut aliorum humorum, cholera morbus, ventriculi inflammatio, abſceſſus, ulcus, & dolor.

Proveniunt hæc ſymptomata ex variis morborum generibus, quos obſervarunt Juniores poſſe afficere ventriculum. Communiores ſunt intemperies, ſive cum affluxu materiæ, ſive ſine illo. Poſſunt illi ſupervenire morbi in mala conformatione, & in ſoluta unitate, quorum varias obſervationes protulit Moronius ex Schenkio *lib.* 3. refertque depravatam ventriculi conformationem, maculas varias, &

A
illius ardorem, ſimul & ſerpentes genitos in ventriculo, lacertas, ranas, & buffones, & lapides. Fonſeca *tom. 1. conſil.* 54. narrat palpitationem in illo: Fernelius *conſil.* 56. ſtuporem obſervat, & oris compreſſionem: Scolzius *conſil.* 117. attritionem: Renaldus inflationem: Brunerus inappetentiam: Manardus gravitatem à cibo abſumpto: Trincavellius mordicationem, & phlegmonem: Benivenius calidam intemperiem, & ſic alii alios narrant morbos. Sed cùm ventriculus non ſit pars
B
princeps, non ſemper mors illicò ſupervenit, ſed præcipuè ex illis morbis, in qnibus conſentit cum aliqua parte principe, præcipuè cum corde, & cerebro, cum quibus maximum conſenſum habet.

§. II.

Inter cauſas mortis repentinæ ſunt ventriculi affectiones.

REſolvendum, quod vehemens ventriculi conturbatio, & dolor poſſunt
C
eſſe cauſæ mortis repentinæ.

Probatur: Tum quod non proveniat, niſi à vehemente conturbatione, ex innumeris morbis, quos retulimus, ex quibus non niſi rarò accidit mors repentina. Tum quia licèt ſit pars neceſſaria, non tamen princeps, à qua reliquæ ſtatim petant ſubveniri. Tum patet, quod poſſit aliqua repentina mors ſubſequi ob conſenſum cum corde, ex Galeno 5 *de loc. affect. cap. 2. & lib. 2. de rat. victus*, ubi docet, quod ob conſenſum vetriculi cum
D
corde, illius morbi dicuntur cardiaci. Conſentit enim nimis ob nervos ſextæ conjugationis cum cetebro, ex Galeno *lib. de cauſis ſympt. cap.* 7. Tum comprobant obſervationes; obſervat enim Tyrillus, quod anno 1606. ex angore ventriculi vidit hominem exſpiraſſe intra tres horas. Schenkius *lib.* 3. refert ſenem ex magna ventriculi oppreſſione ex equo in quem aſcenderat, repentè mortuum fuiſſe. Benivenius refert alios præ nimia ſatietate poſt inediam ſubitò mortuos fuiſſe, alios
E
ex commotione lumbricorum in ventrienlo. Schenkius obſervat, ſenem repentè mortuum ex vehementi ventriculi dolore, à quo poteſt ſubſeqoi repentina mors, ſive proveniat à ſuccis craſſis, & viſcoſis, adhærentibus in ſupremo orificio ventriculi, communicantibus cordi frigiditatem, ſive à prava qualitate, per quam ſpiritus corrumpat, ut in ſaburra lumbricorum poteſt contingere, & in occurſu æruginotorum humorum, aut co-

pioſi cibi poſt inediam, qui impartiri nequit ob reſiccatas vias, & diminutam ejus coctionem.

Resolutio XXXI.

Utrum ab uteri affectibus poſſit fieri mors repentina.

§. I.

De utero, & variis ejus ſymptomatibus.

FOemina eſt quæ in ſe generat; integratur verò in ſuo ſexu per uterum. Eſt uterus pars organica in fœmina deſtinata pro fœtus generatione, & ad alios uſus. Licèt autem plures fœminis conferat utilitates, varios tamen pari morbos, qui maximè lethales ſunt, & multùm differunt à morbis virorum, præcipuè in curatione: quod docet Hippocrates *lib. 1. de morb. mulierum*, §. *Multum enim differt muliebrium morborum, & virilium curatio.* Conſtat mulieres multos poſſe pati mor- C bos diverſos à morbis virorum, quorum alii, ut tenent Juniores, proveniunt à vaſis uteri malè affectis, ut cloroſis, menſium ſuppreſſio, fluxus immodicus, fluores albi, ſeu fluor muliebris, furor uterinus, hyſterica paſſio. Alii oriuntur ab ipſo uteri corpore, aut cavitate continente humores, ut inflammatio, ulcus, ſcirrhus, cancer, gangræna, ſphacælus, hydrops uteri, procidentia, clauſura. Alii ſunt affectus impedientes generationem, graviditatem, partum, ut ſterilitas, morbi acuti, & prægnantium chronici, abortus, partus difficilis, fœtus mortuus, ſecundinæ retentæ, fluxus lochiorum immodicus, ſuppreſſio lochiorum, tortura à partu, qui omnes licèt ſalutem auſerant, & plerique magna ex parte paulatinè mortem valeant cauſare, non tamen tam ſunt hujus inſtituti, quàm ſubſequentes.

Inter morbos lethales, & à quibus ex utero ſolet contingere mors repentina propter maximum conſortium uteri cum partibus principibus, eſt uteri ſtrangulatus, ſeu hyſterica paſſio, aut uteri ſuffocatio, ſeu ablatio reſpirationis ex utero, quæ ex Paulo *lib. 3. capit. 7.* eſt uteri ad ſuperiora recurſus, vel magna reſpirationis offenſio cum corporis refrigeratione, ex uteri vitio, vel uteri verſus diaphragma, aut alterutrum latus retractio cum emiſſione qualitatis, ſeu ſubſtantiæ venenoſæ ad partem aliquam principem

A ex retento menſtruo, putridove ſemine, vel quopiam alio humore. Hoc maximum nocumentum provenit propter conſenſum uteri cum partibus principibus, cum cerebro per ſpinæ membranas, ac per nervos, cum jecore mediantibus venis, cum corde per arterias, cum veſſica, & inteſtinis vicinitate, cum ventriculo per ſeptum tranſverſum, cum liene, & pulmone vicinitate, & per occulta ſpiracula.

Triplex differentia ſuffocationis attenditur: altera dum ægrotans ægrè reſpi- B rat, pulſum habet parvum, & ſenſum retinet: altera eſt dum apparent ægrotantes privatæ pulſu, & reſpiratione, in medio pectore illa obſcurè apparente, corpus tamen refrigeratur: altera in qua præter hæc, brachia, & crura contrahuntur, cùm in iis lipothymiæ, & ſyncopes ſuperveniant, & mors repentina ſubſequi poſſit ex iis affectibus.

§. II.

Ex uteri conſenſu mortes repentinæ contingunt.

RESolvendum, quod ob uteri conſenſum cum partibus principibus in hyſtericis affectionibus ſæpe accidit mors repentina.

Probatur primò ex plurimis fœminis, quæ in ſyncopem, & mortem pervenerunt ex hyſtericis affectionibus, quarum obſervationes tenet Schenkius *lib. 4.* ubi narrat, plures ſuffocatas in ſyncopem D eò deveniſſe, ut pro mortuis habitæ fuerint ab omnibus. Refert de alia, quod cum pro mortua habita fuiſſet ex ſtrangulatu uteri, ad anatomen deducta, famoſo errore fuerit occiſa. Fonſeca *tom. 1. conſil. 90.* obſervat ſuffocatam ex utero prope mortem ob ſyncopem perveniſſe. Schenkius ex Veſalio narrat duas fœminas ex uteri ſuffocatione repentè extinctas ob croceum humorem repertum in altero teſtium; & aliam ſic repentè extinctam ob tumorem dextri teſticuli pleni pilis. E Tyrillus vidit quandam civem Venetam repentè mortuam præfocatione hyſterica orta ex ſemine retento.

Probatur ſecundò: Nam ex ſanguine, & ſemine in utero corruptis, aliiſve humoribus in uterum tranſmiſſis, & putrefactis ſupervenit ſuffocatio, ex qua læditur reſpiratio, aut aboletur, vox intercipitur, corpus refrigeratur, pulſus non ſentitur, ægræ morti approximantur, & ſæpe pereunt, & ſæpiùs ſuffocari ſentiunt,

no

ſive ab elevatis flatibus ab utero & vicinis A
partibus, ſive ab aura maligna, ex Galeno *6. de locis, cap. 5.* Præter elevatos flatus, & auram malignam, pro ſuffocationis cauſa ſuperadditur uteri aſcenſus, quo comprimitur ſeptum tranſverſum, & aufert reſpirationem, ut apparet docuiſſe Hippocratem *lib. de natura muliebri, §. Converſi uteri impetunt hepar, ſurſum enim ad humiditatem feruntur, à labore nimium reſiccati.* Galenus *loco citato*, non acquieſcit huic doctrinæ. Juniores mulierum teſtes tenent aſcendere, & ſeptum tranſverſum B
comprimere, & inde repentinam ſubſequi mortem, ob impeditam reſpirationem, & & tranſitum aëris ad cor, ex cujus defectu deficiunt ſpiritus, quia non generantur, & ſi aliqui remanent, per fuligines non repurgatas ſuffocati pereunt, aut in tam exigua ſunt quantitate, ut ſolam vitam cordis foveant; in reliquis verò partibus nullum ſupereſt vitæ veſtigium, & ideo aliquas hyſtericas pro mortuis habitas, ſepeliri vivas contigit.

C

Resolvtio XXXII.

Utrum mors repentina poſſit præcognoſci à Medico.

§. I.

Quid dicendum de morte repentina, quæ fit ab externis cauſis.

MOrs repentina, ut diximus, aut fit à cauſis extrinſecis manifeſtis, aut ab D
intrinſecis occultis extinguentibus vitalem calorem. De utriſque dubitatur.

Reſolvendum primò, quod mortes repentinæ, quæ violenter proveniunt à cauſis externis, aliæ imperceptibiles, aliæ conjectura rationali ſunt cognoſcibiles.

Probatur ex varia ſerie cauſarum, quas retulimus, quæ ſolent ad extra contingere. Aliæ enim fortuitò accidunt ſine connexione cum aliis cauſis, ex quibus non poſſunt conjectari illarum eventus, ut quod fulmen hominem occidat, quod igne domus accendatur, aut ruat ſubitò E
ſupra habitatores. Aliæ ſunt cauſæ, quæ periculum minantur, ſaltem rationabili conjectura, ut mors repentina duellantium, aut eorum qui temerè in aquas ſe injecerunt, aut in aliud evidens periculum.

§. II.

Mortes repentinæ à Deo immiſſæ non poſſunt prævideri.

REſolvendum quod repentinæ mortes ex Dei voluntate libera, non prævidentur à Medico, nec vitari poſſunt.

Probatur: Tum ex libera Dei voluntate, cui hominum vita ſubditur; inquit enim Chriſtus Dominus: *Neſcitis diem, neque horam, ſed Pater meus, qui in cælis eſt.* Tum patet, quia libera eſt illi poteſtas puniendi ſcelera per mortes ſceleratorum repentinas, quarum plures patent in ſacra Pagina. Tum idem fatetur Meſues in ſupplemento Petri Aponenſis, *ad lib. 2. cap. 2. §. Aliquando enim, ut vidiſtis, accidit, quod qui robuſti, & ſine languore videntur, iis accidit caſus virtutum, & ſubitò moriantur, & ignoratis cauſam, & fuit hoc ſoli Deo notum, & naturæ propriæ, quoniam nulla apparuit cauſa cognita Medico. His autem ſubvenire non eſt Medici, nec medicinarum poſſe; ſed glorioſiſſimi & excelſi eſt omnium languorum curare paſſiones.* Tum Plutarchus *in oratione conſolatoria ad Apollonium*, refert ſic Ethnicos doctos fuiſſe ab oraculo Delphico, à quo cùm interrogarent, cur Euthimii filius morte repentina obierit? reſponſum acceperunt: *Percunctaris ſtulte Euthimii mortem. Euthimius jacet fatali letho, nec enim parentibus oportebat ut viveret.* Ex quibus apparet, inſcrutabile eſſe Medicis mortes repentinas invenire, quæ à Dei voluntate immittuntur.

§. III.

Quid ſentiendum de morte repentina à morboſis internis cauſis.

REſolvendum tertiò, quod mortes repentinæ, quæ fiunt à morboſis cauſis, poſſunt aliqualiter prævideri, & præcaveri ex actionibus læſis, qualitatibus mutatis, aut excunte mutato, ut tenet Tyrillus ex Galeno *lib. de different. ſympt. cap. 2.*

Probatur ex eodem: primò ex actione læſa. Tum ex læſione pulſus, cujus variæ ſunt differentiæ, ſi rari fiant pulſus, inæquales, intermittentes: rari denotant actionem diminutam, inæquales depravatam, intermittentes ferè ablatam: fiunt inæquales ex inæquali cordis intemperie, ex obſtructione inſtrumentorum cordis, ex illorum compreſſione, ex nimia humorum copia opprimente facultatem; &

fiunt hæ differentiæ ordinatè, aut inordinatè. Intermittentes nunc pulſus impedita cordis facultate ob refrigerationem facultatem debilitantem, vel ob oppreſſionem impedientem: ſed in his omnibus pulſûs læſionibus conſtat, quod facultas vitalis, ſive per eſſentiam, ſive per aggravationem corruit, vitaleque principium: Ergo ex omnibus timeri poteſt, & prædici mors repentina, qualiter Galenus prædixit ex illis repentinam mortem Medico Antipatro, *lib.4. de locis, cap.8.*

A Tum debilitas virtutis animoſæ reſidentis in corde, repentinæ mortis prænuntia debet eſſe, ſi ſupervenit cauſa valens ultrà ſpiritus imminuere. Sic in gaudio ſupervenit animoſæ virtuti debilitas ob expanſionem ſpirituum ad partes exteriores, & fit illorum conſumptio in vehementiſſimis doloribus, & nimiis vigiliis, & ſupervenit repentina mors in animoſa facultate prævisa. Tum palpitatio cordis, quæ eſt immoderata illius dilatatio, pendens à cauſa præternaturali, ſive à flatibus violentis, & nimia mole diſtendentibus cordis ventriculos, ſive fiat propter aliquod præternaturale augens cordis uſum, & cor irritans ad edendum pravum motum, ſive nimia mole, pondere, aut morſu, ut docet Galenus *de natur. facult. caput. 2.* & inter patientes cordis palpitationem plerique repentè moriuntur, ex Galeno *lib.2. de præſagat. ex pulſib.cap.4. lib.5. de loc. cap.2. ſect.2. aphor.comm* 41.

B Tum frequentes ſyncopes repentinam mortem prænuntiant, ut docet Hippocrates 2. *aphor.* 41. *Qui frequenter, ac fortiter ſine cauſa manifeſta exſolvuntur, derepentè moriuntur.* Eſt enim ſyncope, ut diximus, mors in fieri, ſicut lipothymia eſt via ad ſyncopem. Tum mortis repentinæ eſt ſignum, ſi ſpiritus deficiant ob longam evacuationem ob nimiam reſolutionem, quia in febre pendente ex tenuibus humoribus, virtus eſt debilis, pori ſunt rari, ut in ſyncopali minuta, in ætate juvenili, bilioſa complexione, æſtivo tempore, calida, & ſicca regione, in viſcerum inflammatione, aut phlegmone impediente nutritionem, ſine qua citiùs delabuntur vires. Præterea lethalis eſt ſyncope proveniens à prava ſanguinis corruptela, ut in peſte, & venenatis qualitatibus communicatis. Sic in chili defectu, aut depravatione, vel aëris defectu pro ſpiritibus vitalibus generandis, quia intercipiuntur viæ, ut in angina, pulmonum tumore, obturatione, obſtructione in pulmonum viis, vel in corde, ſuffocatione à copia ſanguinis, craſſitie, gravitate, obſtructione, oppreſſione: idem prædici ex ſpuma in ſtrangulatione apparente, docet Hippocrates 2. *aphoriſ.* 43. & ſolet supervenite in apoplexia, aut epilepſia, ex Avicenna *fen.* 1. 3. *titul.* 2. *capit.* 6. Provenit etiam ex uteri ſtrangulatione, ex ventriculi inflammatione, ut patet ex dictis.

Tum repentinam prænuntiat mortem dolor diutiùs ſtimulans in præcordiis, hominem exanimem reddens, qui non fiat à flatu: nam indicat latentem abſceſſum, aut vaſorum eroſionem, ex quibus inopinata mors ſequitur.

Tum difficultas anhelitus prænuntiat repentinam mortem periodicè ingraveſcens, quæ vocatur Aſthma, & provenit pulmonis vitio, qui læditur ſymptomaticè à morbis qui ſunt in ejus ſubſtantia, aut in illius vaſis; ſympaticè à conſenſu cum aliis partibus. Conſentit pulmo cum pleura, cum diaphragmate, cum mediaſtino, cum corde, cum cavitate thoracis, cum

C thoracis muſculis, aut laryngibus, cum hypochondriis, à quibus omnibus partibus reſpirationem impedientibus, illius fit difficultas, & ſi illam ex toto auferant, fit mors repentina, ſicut & ex apoplexia, à qua deficit omninò reſpiratio defectu motus muſculorum thoracis.

Probatur ſecundò, quod repentina mors poſſit prævideri ex ſignis deſumptis à qualitate mutata, ex repletione quoad vaſa, aut quoad vires, ex habitu, aut obeſitate corporis, ex faciei, aut oculorum mu-

D tato colore. Plenitudo ex Galeno *lib. de plenit. & 1. aphoriſm.* 3. eſt redundantia ſanguinis ſupra veterem ſervatam proportionem debitam: ex hac ſuperabundanti mors repentina valet contingere, ex Hippocrate 4. *de rat. victus in acut.* ob interceptionem venarum, vel ex eodem 1. *aphoriſm.* 3. quia ſi ad ſummam bonitatem perveniat homo, illius habitus eſt periculoſus, vel ut tenet Galenus *in comment.* quia poſſunt vaſa ſubitò rumpi.

E Plenitudo quoad vires opprimit facultates, intemperies immutat, calorem vitalem opprimit, humores corrumpendi fit cauſa, extinguit partes principes, & reprimit, & mortis repentinæ fit cauſa, præcedentibus ſpontaneis laſſitudinibus, & ut diximus tomo primo, eſt quando plus ſanguinis eſt, quàm vires poſſint ferre, & perficere, ut deducitur ex Galeno *lib. de plenitudine, lib.* 10. *methodi, lib. adverſùs Julianum*, cui ſubſcribunt Paulus *lib. 6. cap.* 40. Aëtius 1. *part. ſerm.*10. *capit.* 11.

&

& Avicenna *fen.* 1. 3. *cap.* 6. à nobis ibidem recenſiti.

Præterea habitus corporis craſſus, aut obeſus prænuntiant repentinam mortem; homines enim nimis craſſi, & obeſi, & nimis pingues frigidi ſunt: nam pinguedo comprimit venas molles, obſtruit, & ſuffocat nativum calorem, & ideo pro phlebotomia ſiunt inepti; inquit enim Avicenna *fen.* 4. 1. *cap.* 10. *A phlebotomia tibi cavere debes in corporibus fortis craſſities.* Incidunt ii in frigidos morbos, hydropem, orthopnœam, apoplexiam, & in mortes repentinas, præcipuè ſi à crapulis vini generoſi, ſedentaria vita, plurimo ciborum uſu hunc acquirant habitum: corporis enim extinguunt vitalem calorem, ex quo illis accidit, quod dicit Hppocrates 2. *aphoriſm.* 44. *Qui admodum craſſi ſunt, citiùs intereunt, quàm graciles.*

Ulteriùs ſub qualitate mutata repentinam mortem prænuntiant color mutatus, præcipuè in viridem, aut plumbeum in facie; aut oculis: viridis oſtendit ortum C ex prava diæteſi: plumbeus extinctionem vitalis caloris, ex qua repentina ſolet mors ſubſequi.

Probatur tertiò, quod ſub excunte mutato ſint ſigna prænuntia mortis repentinæ. Tum ex ſanguinis evacuationibus intempeſtivis, & periodicis, ſive ex pectore præcipuè, ſive à plenitudine vaſa rumpente, ſive ab eroſione vaſorum fiat, aut humore rodente, repentinam mortem prænuntiat; & ſurſum quomodolibet irruens, mortem minatur, ex Hippocrate 4. *aphoriſm.* 25. *Sanguinem supernè quidem efferri, qualiſcumque ſit, malum.* Et 7. *aphor.* *A ſanguinis ſputo puris ſputum, à puris ſputo phthiſis.* Tum aſſueta ſanguinis evacuatio, ſi retineatur, ut ſanguis menſtruus, aut hæmorrhoidalis aſſuetus, ſputum in phthiſicis, lethalia ſymptomata inferunt, & ſæpe mortem repentinam confluens ſæpe humor in partem principem: idem accidit in aliis retentis ſuccis, in aſthmate, ulceribus exſiccatis, fontanellis, vulneribus, vel aliis aſſuetis excrementorum evacuationibus. Horum venenoſi fluentes ſucci repentinas mortes cauſant, *ex* 4. *aphor.* 32. atræ dejectiones, lethales, & æruginoſæ ſurſum, vel deorſum fluentes: ſic bilioſæ, porraceæ, vitellinæ, luridæ, aut virides excretiones properantis mortis ſunt indicia.

A

SECTIO SEXTA.

De poſtpraxi in morte repentina.

PIA benignitate contendit Medicina hominum ſanitatem tueri, lapſam reducere, & amiſſam recuperare: nec poſt hominum mortem ſiſtit, ſed quid ultra molitur, pietatiſque proſequitur munus. In morte B repentina laborat in diſtinguendo ſuffocatos à cadaveribus, & in omni morte cadaveris ſaltem poſſibilem durationem, & perpetuitatem molitur. De iis *tom.* 3. laconicam percurrimus tractationem, quam latiùs proſequi ſub hac ſectione contendimus, cui propriè annectitur.

RESOLUTIO I.

Utrum mors repentina poſſit ſtatim cognoſci.

§. I.

Pars negativa aliquibus apparet fulciri.

VIdetur quod non, primò: Nam ut proſequitur Pater Nietemberg. *lib.* 1. *de occulta ſympath. capit.* 56. in recenter mortuis aliqua permanent vitæ veſtigia, quibus mortui apparent vivere. Michol jecur capræ poſuit in lecto, ut palpitans dormientem Davidem repræſentaret. Plu- D res truncato capite aliquas exercent actiones, & ſine capite militis corpus per tempus viſum permanere ſupra equum. In mortuis pili, & ungues augentur. Ergo permanent in mortuis vitæ actiones.

Secundò plures judicati mortui, vivi ſepeliri viſi ſunt: Ergu quia non eſt aliquod ſignum, quo poſſint cognoſci mortui. Probatur antecedens per plura exempla à Raviſio Textore tradita, & per aliquas obſervationes ab Schenkio *lib.* 4. *obſervat.* enarrata, & à Tyrillo adducta. E Docuit etiam Avicenna *fen.* 1. *lib.* 3. *tractat.* 5. *capit.* 12. & tenet Horſtius *lib.* 7. Marcellus Donatus agens de ſuffocatione, plura refert: Amatus *tom.* 4. *cent.* 23. Paſchalius *lib.* 1. *cap.* 3. Zacutus *lib.* 1. *de M. P. hiſt.* 34. alia adducunt.

Tertiò mors repentina nullis ſignis differt à ſyncope, catalepſi, apoplexia, hyſterica affectione, & aliis affectibus, in quibus ægri ſolent eſſe ſine ſenſu, & motu: Ergo nullum eſt ſignum, quo poſſit cognoſci.

§. II.

Proponuntur communiora ſigna mortis repentinæ.

RESolvendum, quod mortis repentinæ tria apparent ſigna, alia vulgariter recepta, alia apud Medicos tanquam probabilia admiſſa, alia tanquam evidentia.

Probatur primò de prima ſignorum ſorte, per quæ vulgus mortem repentinam atteſtatur, ſcilicet ſi æger repentè concidat ſine ſenſu, & motu, communia omnibus hæc ſigna mortis judicantur, cùm viventia ſentire, & moveri omnibus ſit conſpicuum: & ſi hæ deficiant operationes, præterquàm in ſomno, in quo attenditur etiam reſpiratio, qua ſimul non apparente, mortis fertur judicium.

Probatur ſecundò, quod ſint plura ſigna probabilia à Medicis recepta: hæc deſumunt ex motibus, & ex vitalibus ſenſationibus: motum inquirunt in pulſu, & reſpiratione: à pulſu, per tactum quærentes ejus differentias, per motum ab aliis locomotivis actionibus, ſed præcipuè ex reſpiratione, ſine qua animal nequit vivere: ſed quia hæc in aliquibus occulta manet, contendunt illius aliqua invenire ſigna, ſeu indicia: inquit enim Santorellus *in poſtpraxi*, ex Plinio: *Hæc eſt conditio mortalium ad has, & hujuſmodi occaſiones; & fortaſſe gignimur, ut de homine nec morti quidem credi debeat.* Inter hæc ſigna aliqua proponit Galenus *lib. de loc. affect. cap.* 5. *&* 6. plura alii proſequuntur. Pro inquirenda reſpiratione applicant naribus floſculum lanæ, aut goſſipii, clauſis januis, vel plumam, ut experiantur, an levis ſaltem appareat in illis motus. Tum vas aqua plenum imponunt ſupra diaphragma, ut experiantur an moveatur. Tum terſiſſimum ſpeculum apponitur naribus, & ori, ut experiantur an per aliquid reſpirationis maculis inſpergatur, aut inficiatur. Tum manibus partes præcordiorum premunt, ut reſpirationis quæratur indicium. Tum apponendo in naribus ſternutatoria ex pulvere pyrethri, hellebori albi, & nicotianæ, aut immittendo in nares pennam aceto fortiſſimo madefactam, aut in quo ferbuerit ruta, aut polegium. Tum pilos fortiter avellunt, ut ex illorum dulore excitetur ſenſatio dolorifica. Tum conclamare clamoribus multorum fuit apud antiquos uſitatum, & qui non excitabatur, pro mortuo habebatur, & hoc ſignum ut evidens receptum. Terentius in Eunucho: *De-*

A *ſine*, inquit, *conclamatum eſt*: id eſt, ex hoc ſigno evidenter concluditur mortuum fuiſſe. Tum & alia ſigna inquiruntur, quæ adjungunt Medici. Hippocrates 2. *aphor.* 43. docet, quod ii non revocantur ad vitam, quibus in ſuffocatione ſupervenit oris ſpuma. Tum facies livida, viridis, aut nigra omnimodæ extinctionis caloris præſtat ſignum, ex Avicenna *fen.* 1. 1. *doct.* 3. *tract.* 2. *cap.* 6. Tum ſimile præſtat ſignum inflexibilitas, & rigida omnium mem-

B brorum tenſio; ſed tamen non evidenter ex iis convincitur mors repentina. Nam poſt illa fuerunt plures in vitam revocati, ut *in poſtpraxi, capit.* 40. fatetur Santorellus, & tenent citati ab illo. Plinius *lib.* 7. *capit.* 52. Vallerius *lib.* 1. *capit.* 8. Gentilis, & Nicolus *capit. de apoplexia*, Augenius *tom.* 3. *epiſt.* 40. Lychetus *lib.* 2. *cap.* 70. Galenus 2. *aphoriſm.* Avicenna *lib.* 3. *fen.* 1. *tractat.* 5. *cap.* 12. & cum illo Zacutus *tom.* 1. *lib.* 1. *hiſt.* 34. & ex variis obſervationibus comprobant Schenkius,

C Moronius, Tyrillus, & alii.

Probatur tertiò, quod ſit aliquod evidens ſignum, ex quo convincitur evidenter, hominem fuiſſe mortuum: tale eſt fœtor, qui non proveniat ab excrementis, ſed à corporis corruptione: quod ſignum evidens eſſe mortis, fatentur omnes, & comprobat Zachias ex Herodoto *in Clio*, referente Perſas ſolitos non ſepelire mortuos donec illorum fœtor attraheret alites, & canes. Comprobant alii ex ſacra Pagina, in qua contendens Evangeliſta comprobare miraculum reſurre-

D ctionis Lazari, licèt eſſet quatriduanus, ut evidenter conſtaret eſſe mortuum, ſuperaddit tamen, quod *jam fœtebat.*

§. III.

Traduntur ſolutiones pro argumentis primò adductis.

AD primum reſpondetur, quod actiones quæ exercentur per inſtrumenta illarum, aliæ fiunt ab illorum facultate,

E aliæ à cauſis præternaturalibus abutentibus his inſtrumentis. Sic à facultate locomotiva in ſanis fit rectratio nervorum versùs ſuam originem: ſimiliter ſine facultate fit in convulſione à cauſis præternaturalibus; & ideo in mortuis poſſunt aliquæ operationes ſimiles naturalibus fieri à cauſis præternaturalibus; ideo non ab iis, ſed à vitalibus actionibus arguitur vita. Pili & ungues ex excrementitia materia, ex qua fiunt, compreſſa extenduntur: carnes ex concluſo flatu quærente exitum

exitum ſolent palpitare : cadaver ex rigiditate poteſt compreſſione ſuſtineri per aliquod tempus ſupra equum.

Ad ſecundum reſpondetur, quod præter fœtorem nullum mortis repentinæ eſt evidens ſignum; ſenſatio enim, & animalis motus ſolent occultari dum in ſolo corde ſpiritus retinentur in tam parva quantitate, ut puſillus tantùm in illo permaneat, ſufficiens pro illius conſervatione, qui in aliis parvo poſt tempore extinguitur, & vita deficit in corde, & aliis partibus; in aliis poſt aliquod tempus ſpiritus ablato impedimento incipiunt generari, & in corde, & aliis partibus impartiri, & ex illis in cerebro ſpiritibus animalibus adauctis, deſcendit illuſtratio, & partes incipiunt ſentire, & moveri.

Ad tertium reſpondetur, quod ii affectus licèt habeant aliqua communia ſymptomata, in aliis diſtinguuntur, ut patet in illorum definitionibus, & ex ſupervenientibus accidentibus : differt enim mors à ſyncope, quia in hac facies apparet livida, nec pulſus ſemper deficit; fit ſæpe frigidus ſudor. In catalepſi ægri manent rigidi, quod non requiritur in omni morte, nec quod aperti maneant oculi, ut in catalepſi. In epilepſia ſunt convulſivi motus, nulli poſt mortem : in apoplexia eſt ſtertor : in veneno conſopitis adhuc infeſtat dolor : hyſtericæ ante mortem habent faciem pallidam, aut rubram, & tumentem, & pulſus apparent, licèt exigui, rari, & languidi.

Resolutio II.

Utrum in morte repentina ſtatim corpus ſepelire liceat.

§. I.

Pars affirmativa proponitur, & fulcitur.

In hoc dubio varii ſunt ſentiendi modi, ut refert Santorellus *in poſtpraxi, cap.* 40. Servius *in* 5. *Æneidos*, narrat Romanos ſolitos cadavera detinere per novem dies; inquit enim, *quod apud majores, ubi fuiſſet quis extinctus, ad domum ſuam ferebatur, unde erat, ſedibus hunc referentes ſuis, & illic erat ſeptem diebus, octavo incendebatur, nono ſepeliebatur.* Arabes cadaver detinebant per horas ſeptuaginta & duas, judicantes non poſſe reviviſcere ampliùs eos qui per tres dies mortui fuere. Apud noſtros communis uſus recepit, quod repentè mortui non ſepeliantur uſque ad horas vigintiquatuor.

D. Gaſp. Bravo Tract. Miſcell.

A Inter Medicos opinio conciliatior, repentina morte ſublatos tenet cum Arabibus non ſepeliendos intra tres dies, quia humorum agendi terminum explent. Plinius *lib.* 7. *cap.* 52. narrat per ſeptem dies poſſe occultè vitam conſervari, obſervatione fœminæ, quæ per ſeptem dies prò mortua habita, reviviſcere viſa fuit; quod ex Heraclide refert. Plato exemplum adducit Pamphilii militis, qui poſt duodecimum diem viſus fuit ad vitam reduci, cùm pro mortuo haberetur ob recepta vul- B nera. Ex quo videtur, non niſi poſt decem dies ſepelire cadavera licere.

Videtur quod ſtatim à morte repentinâ liceat ſepelire corpora. Primò, quia ſtatim cognoſcitur illorum mors per defectum reſpirationis, cujus motus ſenſu percipitur, & ſine illa vita nequit conſervari; docent enim Ariſtoteles *lib. de vita & morte*, & Galenus, quod animal vivere, & non reſpirare, eſt impoſſibile : & demonſtrat ratio; nam ut diximus, ſine reſpiratione nequeunt ſpiritus in corde generari, C nec ſine illis conſervari vitalis calor, nec ſine hoc vita permanere : Ergo cognitâ ejus abſentiâ, licet ſtatim ſepelire cadaver.

Secundò in pleriſque repentinâ mors provenit à peſtilente, aut venenoſa qualitate, quæ ſubitò corpus corrumpit, aërem inficit, & ſuo contagio valet vim ſuam reliquis communicare adſtantibus : Ergo ad hoc vitandum hujuſmodi corpora debent ſtatim ſepeliri.

D

§. II.

Quid de mortuis apparente fœtore dicendum.

Reſolvendum primò, quod ſi in cadavere fœtor cadaveris ſentiatur, ſtatim, ſin minùs, tertio die tranſacto, debet ſepeliri.

Probatur : Corpus debet ſepeliri dum manifeſtè conſtat non vivere, & poſſe domum infeſtare : Sed dum ſupervenit illi cadaveroſus fœtor, non vivit, & ſuo fœtore poteſt domum infeſtare : Ergo ſtatim debet ſepeliri. Probatur minor ex ſu- E pradictis; conſtat enim ex ſacra Pagina, quod fœtor cadaveris eſt ſignum evidens mortis, ſicut & quod ſine reditu ad vitam pertranſierit tertius dies; ideo Martha hæc duo jungit ſigna evidenter demonſtrantia, quod frater Lazarus jam erat mortuus, quia *quatriduanus erat, & etiam fœtebat.* Ergo ex fœtore evidens ſignum mortis apparet, & cauſa domum infeſtandi ſimul.

§. III.

Qui ex ſyncope apparent mortui, quando ſepeliri poſſunt.

RESolvendum ſecundò, quod qui poſt ſyncopen mortui apparent, tranſactis horis viginti & quatuor poſſunt ſepeliri. Adhæret huic doctrinæ Zachias *lib. 4. tit. 1. quæſt. 11.* cum Valleſiu & aliis.

Probatur: Tum ex communi noſtrorum uſu, qui tranſactis horis vigintiquatuor, omnes repenrè ſublatos ſepelire conſuevere. Tum quia cùm ſyncope ſit extinctio vitalis caloris in corde ob defectum ſpirituum, eo ipſo quod ad tantam pervenerit extinctionem, ut deficiant pulſus, & reſpiratio, nequit, ſi non vigoretur, permanere ultra diem naturalem ſine omnimoda ſui extinctione, ſimul & vitæ. Tum Ceſalpinus *lib. 6. Artis Medicæ, cap. 12.* ſyncopem tenet ſtatim interficere, aut nocte ſequente; quia puſillus calor qui relinquitur in illa, nequit ultra hoc tempus foveri. Tum Zachias comprubat ex hac ratione, quod Scotus, qui creditur poſt diem integrum ſepultus, non ſyncope, ut ex Jovio tenet Delrius, ſed apoplexia obiit; ſicut & Imperator Zeno, qui vivus ſepultus, inventus eſt poſtea præ fame caligulas, & proprias carnes comediſſe, ut ex Baronio firmat Zachias.

§. IV.

In reliquis mortuis ſimilibus affectibus eſt tertia expectanda dies.

RESolvendum tertiò, quod in apoplexia, epilepſia, & hyſterica affectione, ſi qui ſine ſyncope mortui appareant, tertia dies percurrenda antequam ſepeliantur ſic affecti.

Tres præcipuè ſunt morbi, in quibus ſolent ægri pervenire ad ſtatum, in quo ſint ſine ſenſu, & motu, ac pulſu, ita ut & ab ipſis Medicis pro mortuis ſoleant reputari: hi ſunt ſyncope, hyſterica affectio, & apoplexia: ad hanc reducuntur epilepſia, ſuffocatio in aqua, ſuffocatio ex laqueo, & ex fumo carbonum, & ex ebrietate, aut vini vaporibus, ex putei, & cavernarum vaporibus, juxta Zachiam; ii enim omnes ſuffocati pereunt, ſicut & apoplectici, quia repletis carotidibus arteriis, impeditur tranſitus ſpirituum vitalium ad cerebrum. In hyſterica affectione non ſemper, ſed dum aura venenoſa aſcendit ad caput: ſi enim ad cor feratur, hyſtericæ pereunt ſyncupe, ſin minùs apoplexiâ, ſicut & epileptici, qui prope mor-

A tem apoplectici fiunt, quia nequit expultrix cerebri facultas tranſmittere à cerebro vaporoſam materiam confluentem in cerebrum.

Probatur reſolutio, & quod ſaltem ad ſeptuaginta horas poſſit apoplecticus pervenire, ſeu ad tres integros dies. Nam omnes prædicti apoplectici non immediatè moriuntur ex ſyncope, quæ eſt præceps extinctio vitalis caloris in corde; ſed mediatè, ut ſuprà diximus, quia in cerebro per apoplexiam impeditur receptio

B ſpirituum vitalium, quorum defectu non generantur animales; & cùm ſine illis ceſſet illuſtratio requiſita pro ſenſu & motu in muſculis thoracis, hinc deficit reſpiratio, aëris ad cor attractio, unde ſyncope, quia deficit aër, quo ſpiritus generantur vitales: Ergo licèt tandem mors ſubſequatur ex ſyncope, non niſi poſt longiorem diſtantiam temporis, quàm quæ provenit ex immediata ſyncope.

Probatur, quod nec ultra ſeptuaginta, & duas horas debet in apop'ecticis pro-

C rogari ſepultura. Tum quia ſi quid ſuaderet prorogandam, maximè Servius, qui tenet, morem fuiſſe Romanorum non ſepelire mortuos uſque ad nonam diem: Sed hoc non convincit talem faciendam protogationem; illi enim non prorogabant ſepelire mortuos, quia dubitarent de illorum vita, ſed ut præpararent neceſſaria pro funeris oſtentatione. Tum quia ut tenent aliqui, intra hoc tempus omnium humorum motus completur. Tum præcipuè, quia cùm in apoplexia duplex concurrat ſpirituum

D extinctio, prima animalium, impedito aëre in arteriis carotidibus, ex qua provenit impediri reſpirationem, ex cuius defectu deficit vitalium ſpirituum generatio; hinc licèt per has actiones differatur mors, nunquam tamen ultra præſcriptum terminum. Tum quia obſervationibus comprobatum eſt, nunquam vitam conſopitam ultra hoc tempus ptorogari; ſi aliqui enim referuntur per plures alios dies vixiſſe, hoc ſi non miraculoſum, fabuloſum eſt, aut dæmoniacum, ut Marri-

E nus Delrio, & Medina comprobant.

§. V.

Solvuntur primò propoſita argumenta.

AD primum reſpondetur, quod reſpiratio alia eſt ſenſibilis, alia inſenſibilis, quæ vocatur tranſpiratio. Sine omni reſpiratione nequit vivere animal, bene tamen ſine ſenſibili, quæ à Medico eſt perceptibilis: & cùm non percipiatur reſpiratio

ſpiratio inſenſibilis, & per aliquod tempus ſufficiat pro vita, ſepelire ſic mortuos ſtatim, nou patitur pietas humana, donec evidenter per alia ſigna cognoſcatur mors, qualia ſunt cadaveroſus fœtor, aut pertranſiſſe poſt ſyncopem diem naturalem, poſt apoplexiam tres dies naturales.

Ad ſecundum reſpondetur, quod in ſubitò apparentibus mortuis à peſtilente, venenoſa, aut corruptiva vi, ſi fœtor ſimul appareat, ſtatim corpora petunt ſepeliri, quia jam apparet evidens ſignum mortis ob periculum infectionis, & quia non dubitatur de morte.

Resolutio III.

Quid ſepultura, quid ſepulchrum, & quotuplex.

§. I.

Definitur ſepultura, & ſepulchrum.

RESolvendum primò, quod ſepultnra à ſepeliendo dicta, eſt locus in quo ſepelitur cadaver. Sepulchrum eſt ſepultura ad extra ornata. Sic deducitur ex Doctore Aldrete in Theatro linguæ Caſtellæ, & Beyerlinch in Theatro vitæ humanæ.

§. II.

Quot modis cadaveribus ſepulturam veteres parabant.

RESolvendum ſecundò, quod ſepulturæ varias ſortes invenerunt vetuſtiores, vel intra corpora viventia, vel in aliquo ex quatuor elementis. Sic protulimus *tom. 3. promptuar.* 31. Cicero *in Tuſculanis*, Beyerlinch *in Theatro vita humana*, Santorellus *in poſtpraxi.*

Resolutio IV.

Utrum cadavera tradantur ſepulturis ratione vivorum, an ratione mortuorum.

§. Unicus.

Traditur ratio ſepeliendi cadavera in omni ætate.

RESolvendum, quod mortui ſepeliuntur gratiâ vivorum, & mortuorum.

Probatur: Tum quia ſepeliri cadavera decuit, ne inhumata jacerent, & injuria illis inferatur, vel ab hominibus contem-

A nendo illa, vel à beſtiis, & avibus voracibus illa devorando. Tum pro vivis, ne aërem corrumperent, & inficerent pro illis. Tum ut ſepulturæ conſideratione mortalitatis ſimus memores, & reſurrectionis ſpem concipiamus. Seneca *epiſtol. 92.* vivis eſſe utiles ſepulturas tenet, ut corpora viſu, & odore fœda amoverentur ab hominum oculis. Tum D. Thomas *4. Sentent. diſtinct.* 45. tenet, vivis ſepulturam conferre, ut illorum intuitu excitetur memoria vivorum, & ut fundamus preces pro illis. Tum
B D. Auguſtinus monumenta vocari ſepulturas ait, quia nos monent preces fundere pro mortuis. Tum judicant aliqui, quod defuncti anima lætatur, dum in ſepultura ejus cura habetur: cui videtur aſſentiri D. Auguſtinus *lib. 1. de civitat. Dei, cap.* 13. Tum Catholici debent ſepulchra appetere imitantes Chriſtum Dominum, qui in ſepulchro voluit poni. Tum quia Hiſtoriæ narrant in omni ætate in maximo honore fuiſſe cunctis gentibus ſuos Heroës magnificentiſſimè ſepelire. Pauſanias *in Arcad.*
C refert in Sepia monte fuiſſe ſepulchrum honorificum Ægypti Elati, fratris Regis Arcadum, quo nullum nobilius judicavit Homerus. Pauſanias *lib. 6.* in Ulide tenet eſſe ſepulchrum, in quo ſunt Pelopis oſſa. Servius meminit ſepulchri Laomedontis Regis apud portam Troianam. Pauſanias meminit ſepulchri Caliſti filii Mantineæ; apud Danaos eſt ſepulchrum Meduſæ: in templo Bacchi eſt ſepulchrum Ariadnæ. Pauſanias refert, apud Lacedæmonios plura ſepulchra: refert & Ajacis ſepulchrum
D eſſe in Salamine, & ſepulchrum Icari in Icaria Inſula: in Salamine ſepulchrum Alcibiadis; & ſic pro mortuorum, & vivorum honore plura ſepulchra in orbe, ac innumera condita fuiſſe fertur ab hiſtoricis.

Resolutio V.

Utrum omni ſorti gentium placuerit idem ſuos ſepeliendi mos.

E

§. I.

Proponuntur varii gentium mores in ſuis ſepeliendis cadaveribus.

RESolvendum, quod apud varias gentes varii fuerunt modi ſua ſepeliendi cadavera. Sic tenent Beyerlinch, Santorellus, & nos retulimus *tom. 3. prompt.* 31.

Diximus enim, quod alii ſepeliebant cadavera in corporibus viventium; alii exponebant ea elementis, vel tradendo

illa cremanda igni, vel illa ſubmergendo
A in aqua, & mari, vel ſuſpendendo in aëre, vel humando in terra. Qui voranda objiciebant cadavera, non huc faciebant uno modo. Brachamani, Traxilli, Barcæi, Iberi, & Hircani cadavera objiciebant devoranda vulturibus. Hircani, & Parthi canes nutriebant, ut devorarent cadavera. Eſſedones miſcebant carnes cadaverum cum carne boum, & ipſis veſcebantur. Sydonum filii veſcebantur carne parentum, capite relicto. Maſſagetæ, Indi, Perſæ, Hiberni, Hyperborei ſenes benè ſatura-
B tos è rupe projiciebant in mare. Phryges aëri exponebant cadavera in lapidibus ſublimibus, vel ipſa ſuſpendebant. Troglodytæ cadaver in loco ſublimiori poſitum obruebant lapidibus, donec in acervo lapidum permaneret ſepultum. Abrahamus Ortelius *tabula* 20. *in Theatro orbis*, tenet quod in Inſulis Artanicis cadavera hominum non putreſcunt, ideo non humantur, ſed aëri expoſita ſervantur incorrupta, ita ut nepotes cognoſcant patres, avos,
C & proavos, totamque ſuam ſtirpem incorruptam manentem. Idem refert Maſſæus reperiri in Indiis Occidentalibus, in Comagra.

§. II.

Quis præſtantior ſepeliendi modus.

Reſolvendum ſecundò, quod repoſitio cadaveris in terra, ſeu humatio, eſt præſtantior reliquis ſepeliendi modus.

Probatur. Tum primò, quòd corpus
D feris dare, ſeu cadaver, feris tantùm hominibus fuerit uſitatum: nam & carnibus humanis ſanorum uti, impium ſemper fuit judicatum, & non niſi à crudeliſſimis barbaris uſitatum; & magis execrabile eſt cadavera à propriis filiis & parentibus devorari, nec minùs vulturibus & canibus offerri, niſi feris trandenda forent ob ſua facinora ignominiæ causâ, qualiter patet *Ioſue cap.* 10. quinque Reges Amorrhæos cruci ſuſpenſos feris devorandos relictos fuiſſe ignominiæ causâ. Sic 1. *Reg.* 17. con-
E ſtat Goliath interfectum à Davide feris, & avibus devorandum relictum in agro: *lib. Machabæor. cap.* 5. fertur de Jaſone, quia impius, quia inſepultos plures reliquerat, poſt mortem ejus cadaver abjectum, & feris ingominiæ causâ fuiſſe objectum. Apud Ethnicos idem refert Pauſanias *in Meſſ.* de Ariſtroiade Arcadum Rege, quem Arcades ignominiæ causâ inhumatum reliquerunt devorandum feris, & extra fines abjectum. Herodotus, Strabo, & Solinus devorantium cadavera hiſtorias referunt, quos feriſſimos judicanr, & damnat Tertullianus *in Apologetico, cap.* 9.

Tum Phryges aëri imponebant cadavera decem cubitos erecta in ſublime; & qui aëri illa non humanda tradebant, non minùs abhorrent à pietate; illa enim avibus devoranda relinquunt, nec ſe à fœtore liberant, nec apud noſtros ab ignominia, qui aëri ſuſpenſos poſt mortem facinoroſos relinquunt. Sic Æmilius *lib.* 2. refert Michaëlem Palæologum Cæſarem privatum fuiſſe ſepulturâ, & in aëre relictum ignominiæ causâ: ſic & de aliis pluribus narrant hiſtorici adhuc poſt ſepulturam, ob ignominiam illa privatos, & in aëre relictos.

Tum aquarum ſepulchrum abhorruerunt præclariſſimi Duces. Æneas, & Hippomedon Deos accuſantes clamabant apud Homerum, ob miſeram in aquis ſuffocationis ſortem. Sic cœlum imprecavit precibus Hercules. Seneca *in Herculem furioſum*. Sed Ovidius 1. *triſtium*, maniſeſtiùs abhorret aquæ ſepulchrum, dicens:

Nec lethum timeo: genus at miſerabile lethi.
Demite naufragium, mors mihi numnus erit.
Eſt aliquid fatoque ſuo, ferroque cadentem,
In ſolida moriens ponere corpus humo.
Et mandare ſuis aliqua, & ſperare ſepulchrum,
Et non æquoreis piſcibus eſſe cibum.

Pro ignominia aligua ſubmergi corpora, & cadavera ob ignominiam, patet *in leg. quidam in ſuo teſtamento, D. de condit. inſtit.* ubi ſi quis hæredem contendat teſtatoris corpus projicere in mare, decernitur quod non tenetur; quia impia apparet conditio denegans ſepulchrum: ſicut & Sylla, cùm Marii cadaver projeciſſet in flumen, Cicero pro Roſcio, attulit antiquam legem latam in patricidas, jubentem quod in ſacculo projicerentur in fluvium cum gallo gallinaceo, vipera, cane, & ſimia incluſis; nullum enim ad terrendum hoc ſupplicio majus invenerunt. Tum corpora cremari, apud Græcos, & Romanos diu invaluit. Virgilius *lib.* 6. *Æneidos*, protulit inſtitutum, modumque obſervatum in cremandis Heroum corporibus. Cur hæc invaluit conſuetudo, nondum conſtat. Alii quaſi igneo vehiculo judicabant corpora ſurſum vehi; alii purificari ab igne: ideo Euripides Clemeſtræ corpus igni traditum dicit, ut depuraretur. Sic receperunt Gymnoſophiſtæ Græcorum. Heraclitus omnia contendens fieri ex igne, tenebat corpora in ſllum debere reſolv-

ſolvi. Sed neutrum ad eremandum convincit cadavera. Ex dictis ſunt qui judicent, morem cremandi corpora ortum duxiſſe ex metu eorum, qui timebant ne à ſepulchris extracta à tyrannis opprobriis afficerenrur. Sed nec hoc erat tutum, cùm oſſa manerent humata: & cremandi mos obſtat æternitati, ſeu durationi poſſibili conſervandi corpora, quæ intenditur in ſepulchris. Ad delendam aliquorum memoriam, & ob illorum ignominiam determinant leges corpora cremari, ut in hæreticis,& ſodomitis: ob quod D. Thomam Cantuarienſem ſepultum jam, ex ſepulchro exemptum Rex Henricus VIII. cremari juſſit anno 1538. Sic apud noſtros, Marcus Antonius de Dominis apoſtata, & hæreſiarcha in campo Floræ fuit concrematus anno 1624. & alii quamplurimi. Sic Joannes Cocleus refert contigiſſe Huldrico Zuvinglio.

Convincitur quod præ reliquis ſepeliendi modis ſit ſepultura præſtantior, ſeu corporis ad terram reductio: naturaliter enim debetur corpori, quod fit ex terra, quod revertatur in illam. Docuit hoc Eccleſiæ documentum, & ſepeliendi Chriſtianos mos: nec inter Ethnicos ignoravit Plinius, reddens rationem: *Ut quæ naſcentes nos excipit, natos alit, ſemelque editos ſuſtinet ſemper, noviſſimè complexa gremio, à reliqua jam natura abdicatos, tum maximè ut mater operiat*: ideo ſepultura tanquàm quid ſacrum judicata, lege ſic imperante: *Ubi corpus hominis demortui condas, locus ſacer eſto.* Et inter hujuſmodi ſepulturas prævalent ſepulchra, in quibus cadaveris conſervatio, & duratio faciliùs conſequitur.

Resolutio VI.

Quæ ſint aptiora loca pro ſepulturis.

§. I.

Varia loca pro ſepulturis antiquorum uſitata.

Sepulchrum in domo mortui, vel extra domum eligi poteſt. Si extra domum eligatur, poteſt eligi intra urbem,aut extra illam. Si intra urbem, aut in locis publicis, aut extra templa, aut intra templa. Si in templis, aut extra in cœmeteriis, aut intra in ipſis templis. Mos fuit antiquorum ſua ſepulchra locare juxta hæc omnia loca. Græci, quibus divitiæ abundabant, ſepulchra pro affluentia illarum extra do-

A mum conſtruebant: quibus major erat inopia, Domi condebant cadaver in arca erecta juxta inferiorem parietem. Athenienſes ſua conſtruebant ſepulchra extra urbem in campo, ſeu ſepulturas, & ſupra illas erigebant columnas inſcriptas propriis nominibus eorum, qui in illis ſepulti fuerant. Eundem morem ſervabant Corinthii, ut Santorellus refert cum Pauſania, & etiam Athenienſes, & ex ſacra Pagina conſtat, Hebræos eundem ſepeliendi ſuos

B retinuiſſe morem: ſic convincitur ex ſepulchro Abrahami empti pro ſepelienda Sara, & ex aliis antiqui Teſtamenti Patribus; & in novo apparet in ſepulchro Chriſti Domini, & aliis, quos retulit ſacra Pagina. Romani lege coacti fuerunt in campis ſepelire cadavera, ſimulque & urere extra urbem, ne urbs cadaverum fœtore inficeretur, & ne aër inficeretur contagio: ſoliſque Principibus, & eis qui eſſent benemeriti de Republica fas erat intra mœnia ſepeliri, reliquis extra ur-

C bem, vel in proprio fundo, & in una ſoli uni cadaveri dicata ſepultura, vel in gentilitia dicata pro alicujus familiæ gentibus, vel erat extra urbem ſepultura communis, ſeu publica, aut pro pauperibus, & mancipiis, vel pro illuſtrioribus civibus conſignata.

Sepulturæ communes pro ignobilibus dicebantur Puticulæ, quia quaſi putei erant foveæ, in quibus cadavera obruebantur: & iſtæ Romæ erant procul ab urbe, extra portam Eſquilinam, ut proſe-

D quitur Santorellus: locus verò in quo cremabantur Reges erat campus Martius. At verò divites non ſolis ſepulturis utebantur, ſed in hortis, & agris ſua ædificabant ſepulchra, ſicut & noſtri in templis, præcipuè circa vias publicas, cum variis inſcriptionibus, quæ à viatoribus legebantur; & ſi in ſepulturis jacebant, aut lapidem imponebant, aut arborem ingerebant, ut aliqua remaneret ſepulti memoria. Nec unus fuit Romanis pro ſepulturis deſtinatus locus, ſed multiplex, in via Latina, Aurelia, Flaminia, Appia,

E Lavicana, Laurentina, Hoſtienſi, Tiburtina, & aliis, ut ex Romanorum monumentis conſtat.

Chriſtiani primò Ethnicorum more extra urbes ſuas parabant ſepulturas, & ſepulchra: cœperunt poſtea ſepeliri in Templis: ſancitum deinde fuit, quod ſepelirentur extra Templa, & urbes, in Concilio primo Bracharenſi; ſed iterum inſiſtentibus Chriſtianis permiſſum, ut ſepelirentur in cœmeteriis, & prope pa-

rietes Templorum. Placuit enim corpora defunctorum non in Baſilicis ſepeliri, ſed de foris circa murum: & tandem conſequuti ſunt ſepeliri intra Baſilicas. Hæretici plures conantur Chriſtianorum corpora, & ſui ipſorum non debere in Baſilicis ſepeliri, immò nec in ſuis cœmeteriis, hoc uno conatu, ut Catholicis ſe opponant. Georgius Uvicleffus ex Lutheri doctrinis hoc deduxit impium documentum, contra quod ſcripſit Catholicorum agmen confutans Sectarios conantes mutare ſepulturarum loca, quorum refellit fundamenta, & ipſos reprehendit, quia malunt Judæis aſſentiri in ſepeliendis mortuis, quàm Catholicis.

§. II.

Determinatur qualis locus aptatur Chriſtianis pro ſepultura.

Reſolvendum primò, quod poſt Bracarenſis Concilii permiſſum ſemper receptum fuit apud Catholicos, quod illorum cadavera ſepeliantur, vel intra cœmeteria, vel Baſilicas templorum, tanquam in aptiori loco pro ſepulturis.

Probatur: Tum quia ſic receperunt Fideles ex Conciliis, & Eccleſiæ permiſſu. Tum quia non obſtat Sectariorum contradictio, qui ſolùm avidi invertendi veram doctrinam, opponunt antiquorum morem, ſequuti Ethnicos, & Judæos, ut opponantur Catholicis. Tum quia templa, quia frigidiora, & ampliora, aptiora ſunt ut in illis conſerventur cadavera. Tum quia inter Sectarios plures convicti fatentur, quod honeſtius eſt in Templis ſepeliri, quàm cum aſinis in agro. Tum quia in Templis cadavera magis tuta ſunt à temporum injuriis. Tum quia à dæmonum incurſionibus in Templis ſunt ſecuriora. Tum quia Miſſis, & Suffragiis, ac Fidelium orationibus in Templis frequentiùs animæ defunctorum valent juvari, ob Fidelium frequentiam ad illa. Tum nec obſtat, quod ex putredine fiat fœtor, cùm ex modo, quo fideles ſepeliuntur in profundioribus ſepulturis, nihil obſtare potuit per tot ſecula. Tum quia nec obſtar peſtis ob hanc rationem, & quia ſi contagium timetur per aërem communicatum, æquè poſſet communicari à ſepulturis extra urbem parum diſtantibus. Tum Lutherani fanatico fervore temperato, majori ex parte ad antiquas ſepulturas inter urbes ſe reduxerunt. Tum ut tenet Brentius, non honeſtè ſepeliuntur defuncti in rure, tanquam boves, aut aſini, qui debent ſepeliri tanquam homo, qui reſurrecturus; & ſic explicamus aliam noſtram eſſe naturam ab illis diſtinctam. Tum Catholici ita honorificè in cœmeteriis, & Baſilicis judicant mortuos debere ſepeliri, ut prohibitum ſit apud illos, quod indigni tali honore ſepeliantur inter illos; ideo à ſepulturis in ſacris locis ex decretis ſacrorum Canonum excluduntur omnes infideles, Judæi, Ethnici, hæretici, hæreticorum receptatores, defenſores, & fautores, uſurarii, & alii nefarii. Ergo quia fidelibus aptior ſepulturarum locus eſt, qui in Eccleſiis conſecratur pro illis. Tum quia Ethnicis, à quibus inventum fuit extra urbem ſepelire mortos, tutior locus erat in agris mortuos reponere, quàm in dæmonum ſuis templis ſepulturæ tradere. Tum quia nec obſtat, quod Fideles ſuos quandoque mortuos conſueverint ſepelire extra urbem, quia vel tunc nondum habebant ſua templa, vel nondum ab Ethnicis permittebatur illis intra urbem relinquere illos.

§. III.

Præſtantior patrius locus ſepulturæ apparet.

Reſolvendum ſecundò, quod ſepultura in patrio ſolo magis appetitui noſtro eſt conformis.

Probatur: Tum quia ab infitis eſt nobis dulcis amor patriæ. Et ſicut in vita eſt nobis appetitus, ob quem dum ſumus in remotis regionibus, cupimus redire in patriam, quaſi in ſenectutis ſolatium, ſic & quieſcendi in illa poſt mortem. Tum quia ſicut eſt ſolatium converſari cum conſanguineis & amicis pro neceſſitatibus quæ in vita occurrunt; ſimiliter & confidentia eſt major in illis poſt mortem, ob ſuffragia quæ ſperantur ex illis. Tum, quia ex ſacra Pagina conſtat, antiquos Patres omni conatu providiſſe, ut cùm mortui eſſent, ab Ægypto eorum cadavera ſepelienda deducerentur in propriam patriam. Sic Jacob, & Joſeph procurarunt propria oſſa transferenda. Tum Ovidius hoc amore ductus 3. *triſt. eleg.* 3. canit:

Oſſa tamen facito parva referantur in urna.
Sic ego non etiam mortuus exul ero.

Tum Romanis fuit mos antiquitus, quod in bello mortui ſepeliendi transferebantur Romam, donec lege id prohibitum; quia licèt appetitui erat conformis conſuetudo, tamen in Reipublicæ incommodum cedebat. Tum huic appetitui aſſentiebantur conſanguinei mortuorum, conantes in patriam reducere oſſa eorum, qui mortui fuerant extra illam. Tum quia non obſtant

obſtant huic naturali appetitui Socrates, Anaxagoras, & Diogenes, judicantes nihil intereſſe, quod non ſit ſepultura in patria, quia *undique ad inferos tantundem eſt via*. Nam tenebant omnem mundum eſſe unicuique patriam, & ideo ubique ſepeliri in illa: vel non ſecuri de animæ immortalitate, non expectabant ſuffragia à conſanguineis, qualiter accidit Fidelibus: vel potuerunt ſuum vincere appetitum, non illum auferre in reliquis.

Resolutio VII.

An priſcorum ſepulchrorum majeſtas laudanda, & quæ præſtantiora.

§. I.

Majeſtas priſcorum ſepulchrorum laudanda.

Reſolvendum primò, quod priſca ſepulchrorum ſtructura, & majeſtas omni laude fuit digna. Sic ſtatuo contra aliquos vituperantes magnifica Mauſolea, adhærentes Plinio dicenti, *Regum pecunias eſſe otioſam, atque ſtultam oſtentationem*.

Probatur ex Bellonio. Tum quia cùm uni animantium homini ſit à Deo indita cura ſepulturæ ad poſſibilem corporis conſervationem, debuit Regia Majeſtas oſtendere, quantum poſſibile potuit, operari in hunc finem humanâ potentiâ. Tum quia qui piè reſurrectionem corporum expectabant, piè contendebant ſuo modo corpora præſervare ad illam, quod conſequi judicabant in magnifica ſtructura ſuorum regiorum ſepulchrorum. Tum quia Aſtronomiæ periti veſtutiores Babilonii, Aſſyrii, Gymnoſophiſtæ, Chaldæi, Indi, Æthiopes, Ægyptii putabant, poſt mundanum annum futuram mortuorum revocationem in vitam; & ideo qui poterant, ſtruebant ſua ſepulchra, in quibus corpora quieſcerent uſque ad illud tempus; & erat conſonum, quod Reges durabiles ſtructuras pro ſepulturis contenderent fabricare. Tum quia in hac ſuppoſitione doctrinæ impium judicabant corpora cremare, putredini exponere, aut voranda tradere feris; & ideo conſonum erat in ſepulchrorum vaſtiſſima ſtructura illa conſervare juxta uniuſcujuſque poſſibilitatem. Tum quia Romani orbe potiti, ne ſuperarentur à devictis in magnificentia ſepulchrorum, non ſine ratione ſua erigere tentarunt: Ergo non ſine aliqua ratione potentiſſimi olim ſuis in exſtruendis magnificis ſepulchris extiterunt magnifici. Nec illis obſtat quod

A tantam divitiarum copiam conſumpſerint ex ſubditis collectam, cùm totam illam diſperſerint inter eoſdem.

§. II.

Proponuntur varia mundi miracula in ſtructura ſepulchrorum.

Reſolvendum ſecundò, quod magnificentiæ antiquorum ſuam oſtentarunt potentiam in conſtruendis miraculoſis variis ſepulchris.

B Probatur. Tum quia Ægyptius Coloſſus, ſub quo conditum fuit corpus Amaſeos, dictus ab Herodoto Androſphinx, à Plinio Sphinx, qui poſt tot ſecula permanet inter Memphim, & pyramidem, faciem habens ad Memphim converſam, in Ægypto inter miracula orbis omnium ſuperavit admirationem; inquit enim Plinius *capit.* 36. quod ante pyramides eſt Sphinx magis miranda, & Amaſim Regem putant in ea conditum: eſt autem ſaxo naturali elaborata, & lubrica: capitis monſtri am-
C bitus per frontem centum & duos pedes colligit; longitudo pedum centum quadraginta trium; altitudo à ventre ad ſummum apicem à capite eſt ſexaginta duorum. Herodotus *lib. 2. de Rege Amaſi*, tenet, quod fuit opus admirandum, & longè ſuperans cætera, tum ſublimitate, tum magnitudine: & ſuperaddit, quod alia quoque ſaxa grandia in apparatum Amaſis comparavit, ducta ex lapidicinis, quæ juxta Memphim ſunt, quæ majoris molis erant, ex urbe Elephantina, quæ diſtat
D viginti dierum navigatione: & quod magis admiror, attulit ædificium ex ſolido ſaxo ab urbe Elephantina, in quo adferendo conſumpſerunt triennium duo millia delectorum virorum, qui omnes erant gubernatores ejus. Tecti extrinſecus eſt unius & viginti cubitorum longitudo, quatuordecim latitudo, octo ſublimitas. Domus hæc ad ingreſſum templi collocata eſt. Tum in Ægypto Pyramides ſtructæ ſunt admirandæ amplitudinis, ut tenet Bellonius, non niſi ut Regum fuiſſent ſe-
E pulchra. Plinius tenet, ampliſſimam Pyramidem fuiſſe ſtructam ex ſaxis erutis ex Arabibus lapidicinis, in qua ædificanda abſumpti ſunt anni viginti, cujus ſingulæ frontes ſunt octogenûm jugerum, pari altitudine, ſaxis dolatis, decentiſſimeque coagmentatis: quorum nullum eſt minus triginta pedum; & in ſumma mille & ſexcenta talenta conſumpta ſunt in operariorum ſumptibus. Herodotus inquit de illa, quod ampliſſima pyramis octo jugera obtinet

tinet ſoli, quatuor angulorum paribus intervallis per octingentos octoginta tres pedes ſingulorum laterum: altitudo à cacumine pedes mille viginti quinque. Tum ſunt duæ aliæ pyramides in Ægypto, altera ſupra Memphim, & locum Delta dictum, paulò inferior annumeratâ, licèt major à longè appareat, quia in altiori loco ſita eſt. Altera in Ægypto etiam eſt duabus poſitis inferior, in altiori loco poſita, & ideò apparens æqualis è longinquo, quæ conſtructa eſt ex lapidibus Æthiopicis: & hæ tres pyramides, licèt inæquales, reliquis quæ in orbe fuerunt ampliſſimæ celebrantur, ut tenet Plinius. Tum aliæ pyramides pro ſepulchris ſtructæ fuerunt in aliis partibus minores, ſed in toto orbe celebres, inter quas Bellonius in Ægypto tenet numerum vidiſſe penè infinitum, quarum alias refert eſſe inter ſe majores, alias minores. Inter has enumerantur Romanorum pyramides. Altera fuit C. Ceſtii, aſſurgens quinquaginta lapidum marmoreorum ordinibus, cujus interna materia fuit ex calce, lapidibuſque; externa ex albiſſimo marmore Thaſio: fuit alta per quinquaginta & centum pedes, lata triginta paſſuum. Altera narratur celebris vetuſtate, inter locum qui Crotaroſſa vocatur, & Urbem. Fuerunt & aliæ, quas Pontifices demoliri juſſerunt. Tum obeliſcorum majeſtas auxit omnium admirationem pro ſepulchris erectorum: eſt enim obeliſcus aſperrimus lapis in ſummam metæ exurgens ad ingentem proceritatem, & acutiem, ſpecie quadrata, in verticem ſe extollens, manu artificis lævigatus. Antiquus is fuit ſepulchrorum modus, licèt & 10 alios uſus deſerviret: etiam apud Romanos fuerunt obeliſci in majori admiratione quàm pyramides, quia illæ fiunt ex multis lapidibus, ut ait Bellonius; obeliſci ex uno tantùm. Celebriores obeliſci primò inventi apud Ægyptios, poſtea Romam fuere plures tranſlati. Inter ſeptem mundi miracula ponit Diodorus *lib.* 3. *cap* 4. obeliſcum à Regina Semiramide in Babyloniam exportatum ex Armenorum montibus, longitudine pedum centum & quinquaginta, latitudine verò & ſpiſſitudine quatuor & viginti, quem magna curruum multitudine ad flumen delatum, navique impoſitum, ad Babyloniam delatum tenet in via inſigniori erectum: plures alii inferiores Romam fuerunt tranſlati, quorum aut mentio, aut ruinæ ſuperſunt in civitate. Tum patet plures labyrinthos pro Principium ſepulchris fuiſſe repertos. Moëredis Ægypti Regis ſepul-

A chrum inter reliquos fuit celeberrimus labyrinthus: fuit & Lemnius labyrinthus celebris, de quo non conſtat cujus ſepulchrum fuerit. Apud Cretenſes alter fuit celebratus inter Gnoſium & Cortynam. Herodotus narrat qualis fuerit ſepulchri causâ conſtructus labyrinthus Ægyptius à pluribus Regibus paulò ſupra ſtagnum Myrios, in quo bifaria ſunt domicilia, alia ſubterranea, altera ſuperiora illis impoſita, utraque numero tria millia quingenta. Plinius refert Italicum labyrin-

B thum factum à Porſena Hetruriæ Rege, qui ſepultus ſub urbe Cluſio, in quo monumentum reliquit ex lapide quadrato, habens ſingula latera pedum lata tricenûm, alta quingenûm, inque baſi quadrata intus labyrinthum continens inextricabilem, quò ſi quis properet ſine glomere lini, exitum invenire nequeat. Tum tumulorum amplitudo pro ſepulchris, licèt inferior, celebris etiam fuit inter gentiles Thraces: illis maximè utebantur pro ſepulchris Optimates, & tales ſunt ſepul-

C turæ, in quibus perlato ad triduum cadavere, mactatiſque omnifariam hoſtiis convivantur, illudque defletum priùs, deinde combuſtum ſepeliunt, aut aliter humo contegunt, aggeſtóque deſuper tumulo, cùm alia omnis generis certamina proponunt, tum certa cum ratione monomachiam, id eſt ſingulare certamen, ineunt: & ſepulturæ quidem Thracum bujuſmodi ſunt. Talia fuerunt ſepulchra Protheſilai, & Achilles, alterum in capite Gymneſio, alterum in capite Gargano circa Troadem. Fuerunt plura ſepulchra Troiæ ſub mœ-

D nibus: plura apud Philippolim urbem ſitam ad Helleſponti fauces, & in multis aliis locis.

Tum ſepulchra, licèt non ita operoſa, in magno honore ſemper fuerunt: pro ſacris habebantur, & leges duodecim Tabularum, & Ulpianus ex ſepulchri violati actione infamiam irrogant, & in violatores magnæ ſancitæ ſunt pœnæ. Fuerunt communiter ſepulchra, ut diximus, in agris; ſolis verò Imperatoribus, & Veſtalibus in-

E tra urbem admiſſa. Epheſtioni Alexander ſepulchrum conſtruxit, quod ſitum eſt apud Babylonem, cujus ſtructuræ duodecim talentorum millia fuerunt expenſa. Turcæ filios Imperatorum, eo dempto qui ſuſcipit Imperium, interficiunt, & varia pro illis apud Pruſſiam apparent fabrefacta ſepulchra. Reliqui potentiores ſua habent ſepulchra in viridariis. Troiani varia monumenta ſepulchrorum reliquerunt, quorum ruinæ apparent paulò ſupra arces Ilii,

&

& in viis verſus Leſbum. Sic totum per orbem variæ ſunt ſepulchrorum ruinæ, in quibus poſſunt adhuc legi variæ inſcriptiones, quibus magna ex parte ornata fuerunt: immò ab ethnicis non ſolum pro hominibus, ſed pro animalibus aliqua conſtructa ſunt ſepulchra, ut ab Alexandro pro ſuo Bucephalo, ſimiliter & ab aliis. Tandem poſt ſepulchra ſepulturæ jam noſtris temporibus omnium ferè communiſſimum ſunt receptaculum omnium humanorum cadaverum; quia ut diximus cum Plinio, terra noviſſimè nos complexa gremio, jam à reliquiis naturæ abdicatos, tum maximè ut mater operit; & ideo in omnis legis ſectatoribus ſic uſitatum propoſuimus, & in miraculoſis à Deo ſuorum ſervorum conditis cadaveribus, eos Dominus ſuos ſervos terrâ humandos juſſit. Sic Breviarium Romanum tenet in vita ſancti Pauli Eremitæ, quem ſepultum ab Antonio Eremita, juſſu Dei, conſtat: ſic Abbas Zozimus ſepelivit corpus Mariæ Ægyptiacæ, Deo imperante, ut tenet Paulus Diaconus apud Surium *tom. 2.* Sic ſanctus Lucianus Martyr Dei providentiâ ab aquis extractus humo fuit ſepultus. Surius 7. Januarii: idem patet de corpore Athaniſlai, ex Martini Cromeri hiſtoria Poloniæ.

RESOLUTIO VIII.

Utrum aliqua ſit habenda cura mortuorum antequam tradantur ſepulturis.

§. I.

Negat barbara aliquorum ethnicorum opinio.

SUprà jam retulimus, quod impia barbarorum conſuetudo contra naturæ propenſionem, quâ nos recipit terra in ſuo gremio jam mortuos, feris, & brutis devorandos tradebant defunctos ſuos. Ethnicorum aliqui nihil curandum de cadaveribus contendebant, ſed inanimata ea relinquenda eſſe aſſerebant, ſicut aſinorum cadavera in agris. Sic Demonates, Diogenes, & alii.

§. II.

Oſculandi mortuos cauſa, & conſuetudo.

REſolvendum primò, quod antiquis fuit conſuetudo ſuos oſculari mortuos, ob varias cauſas.

Probatur. Tum apud Hebræos, & Chri-

D. Gaſp. Bravo Tract. Miſcell.

A ſtianos fuit mos oſculandi mortuos ad amorem cum mortuo conteſtandum. Sic *capit. 50. Geneſ.* mortuo Jacob, ruit Joſeph ſuper faciem patris flens, & oſculans illum. Baronius *tom. 1.* morem fuiſſe Chriſtianis tenet in ſacrorum celebratione oſculum dare in ſignum amoris. Et D. Hieronymus *in epiſtol. Paulæ*, Euſtochii amorem in matrem explicat, quia oſculum dederit, dicens quod oblata ſupra matrem ſuam, abſtrahi à parente non po- B terat, deoſculari oculos, hærere vultui, & totum corpus complexari. Tum Romani oſculabantur mortuos proximos, ut reciperent animam ad labra ſuo videri occurrentem. Hinc Cicero inquit *in Verrem*, quod miſeras matres ad oſtium carceris pernoctantes ab extremo liberorum complexu excludebat, cùm nihil aliud optarent, niſi ut filiorum extremum officium excipere liceret. Idem colligitur ex Ovidio, dicente:

Soſpite te ſaltem moriar, tumuloque me condas,
Lumina, & excipias hanc animam ore pio.

C Romani prætereà quaſi veniam dantes diſceſſuris, non ſolùm morientes, ſed jam mortuos oſculabantur dum imponebantur rogo. Tullius *lib. 1. eleg.*

Flebis & arſuro poſitum me Delia lecto,
Triſtibus & lacrymis oſcula mixta dabis.

Nec omnino diſceſſit à nobis hæc conſuetudo; diſcedentes enim, & poſt longum tempus redeuntes amplectimur, ſi amici; oſculamur, ſi filii. Inter Chriſtianos ſæpe nimius amor cogit filios, aut parentes mortuos oſculari. Sed antiquus mos oſculandi D receſſit à more, niſi pedes oſculentur devotionis, aut cultus gratiâ in aliquibus: in ore verò non ſine horrore & contagii metu oſculari eſſet tutum.

§. III.

Claudendi oculos, & componendi alias corporis partes qualis fuerit mos.

REſolvendum, quod omni ætati communis fuit uſus claudendi mortuorum oculos, & componendi alias corporis E partes.

Probatur: Nam quædam mortuis ſupervenit deformitas, quam naturali omnium pietate pro viribus vitare conantur: quod apparet. Tum quia antiquiſſima hæc conſuetudo ad noſtra pervenit tempora, & apud Chriſtianos maximè in uſu eſt recepta, & patet ex D. Auguſtino, qui in morte ſuæ matris hoc exercuit officium, cùm animam jam emiſiſſet; inquit enim: *Premebam oculos ejus.* Tum apud antiquos

uſitatum fuit, ut uxores viris, viri uxoribus, filii parentibus, & patres filiis, amici amicis hoc præſtarent officium. Apud noſtros illud præſtant, qui proximiores ſunt morientibus, ſed præcipuè mulieres illud exercent. Homerus refert, Agamemnonem in Nicia conqueri, quòd Clytemneſtra neglexerit manibus oculos comprimere illi eunti ad Plutonis domos. Ovidius *lib. 1. Triſt.* lamentatur, quòd uxor non poſſet oculos illi claudere:

——nec cum clamore ſupremo
Labentes oculos condet amica manus.

Et *in epiſt. ad Theſeam*, canit mariti defectum ad hoc munus.

Supremoque die notum ſpectantia cælum,
Nec mea qui digitis lumina condat erit.

Parentes filiorum oculos ſolitos claudere, patet apud Euripidem.

Iam claude mater oculos mihi in manu tua.

Et Euryalus conqueritur apud Virgilium, non clauſiſſe matris oculos:

——Nec te tua funera mater
Produxi, preſſive oculos, nec vulnera lavi.

Et apud Ovidium Penelopes inquit:

Dii precor ut jubeant, ut euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

Fratres fratribus ſolitos claudere oculos, patet ex Picedio.

Lumina cærulea jam, jamque natantia morte
Lumina fraternas jam ſubitura manus.

Tum compoſitio membrorum diſtortorum attendebatur: ideo Auguſtus Cæſar ultimo die, petito ſpeculo, capillos ornavit, ut tenet Suetonius. De Cæſare tenet, quod tibias plicavit, ut honeſtè caderet. Idem tenet Ovidius de Lucretia, *in faſtis:*

Tum quoque jam moriens, ne non procumbat honeſtè
Reſpicit: hæc etiam cura cadentis erat.

Et *in Metamorph.* repetit:

Tum quoque cura fuit partes velare pudendas,
Cùm caderet, caſtique decus ſervare pudoris.

Tum ſuperaddit Santorellus, quod conducat oculos, & os claudere, caput directè ſtatuere, pedes reducere, & levare, brachia ad pectus deducere, quæ omnia fieri debent ſtatim ac anima efflaverit: Ergo ſtatim à morte plura pia officia reſtant pro mortuis. Tum quia cadavera ſæpe rigida fiunt duritie quadam acquiſitas alia verò apparent cum quadam mollitie, & lenitate, qua poſſunt in ſuam figuram adaptari: & hoc in omnibus intenditur, ut propriam acquirant figuram, & faciliùs adaptentur pro funere, ſive rigiditas fiat frigore, ſive ſiccitate, ſive repletione.

A Antequam verò frigore condenſetur, molle ſatis manet corpus pro partium compoſitione; & ideo tentanda debita corporis proportio, & figura.

RESOLVTIO IX.

Utrum conclamatio, lotio, & aliæ functiones exercendæ pro mortuis.

B §. I.

Conclamare mortuos cur fuerit ex uſu antiquis.

Reſolvendum, quod vetuſtioribus fuit in uſu magnis vocibus defunctos conclamare, ut conſtaret fuiſſe mortuos.

Probatur ex Terentio *in Eunucho*, ubi inquit: *Desine, conclamatum eſt.* In quo mortis certitudinem teſtatur. Nec niſi poſt declamationem erant certi de morte alicujus. Virgilius *lib. 6. Æneid.*

C *——Fit gemitus, tum membra toro reponunt:*
Per medios ruit, ac morientem nomine clamat.

Nec ſemel conclamare ſufficiebat, ſed pluribus conclamationibus quaſi defunctum excitaturi ululabant; inquit enim Servius: *Servabantur cadavera octo diebus, & calida lavabantur; poſt ultimam conclamationem comburebantur.* Poſt plures verò declamationes jam pro mortuis judicabantur, ut tenet Apuleius *2. Mileſior. Ecce enim ultimùm defletus, atque conclamatus præceſſerat*
D *morsuus.* Ex quibus conſtat, ab antiquis nondum quemquam credi mortuum, niſi poſt declamationem non reſponderet.

§. II.

Lavare mortuos abiit in conſuetudinem plurium.

Reſolvendum ſecundò, quod lavare mortuos fuit commune pluribus nationibus.

Probatur. Homerus de funere Achillis
E inquit: *Depoſuimus in lecto purgantes corpus pulchrum aquâ calidâ, & unguento.* Et agens de funere Miſſeni, ait: *Pars calidos latices, aliique undantia flammis expediunt, corpuſque lavant & ungunt.* Et apud ipſum Euryali mater conqueritur, quia:

—— Nec te tua funera mater
Produxi, preſſive oculos, aut vulnera lavi.

Ennius de Tarquinio inquit:

Tarquinii corpus bona fœmina lavit, & unxit.

Socrates

Socrates potaturus venenum, juxta hanc A
conſuetudinem dixit: *Conſultius ſibi videri prius lavari, nec mulieribus negotium faceſſere, ut mortuum lavent.* Herodotus *lib.* 2. hanc conſuetudinem obſervat apud Ægyptios. Apud Euripidem juxta Græcorum morem accerſit Creon Locaſten, ut filium in Phœnicia mortuum lavet. Ælianus uſitatam fuiſſe hanc lotionem tenet apud Dardanenſes, *lib.* 4. *var. lect.* Nec in primitiva Eccleſia abſtinuerunt Chriſtiani ab hac conſuetudine; corpus enim lotum poni in ſepulchro conſtat *cap.* 9. *Act.* B
Taletam enim vita functam patet fuiſſe lotam, ut comprobat Tertullianus.

§. III.

Plura alia mortuos ornantia erant ex uſu pro cadavere.

Reſolvendum quod poſt lotionem antiquis licebant alia cadaveris ornamenta.

Probatur. Plinius laudat corporum inunctionem *lib.* 13. *cap.* 1. & Perſius *ſatyra* 3. ejus meminit: & Beatulus alio com- C
poſitus lecto, craſſiſque lictus amomis ſ it. D. Joannes Chriſti Domini corpus inquit *cap.* 9. fuiſſe delibutum unguentis. Tum Cicero in oratione pro Lucio Flacco tenet, Græcos poſt cadaveris lotionem ſolitos veſtitu corpus ornare. Ariſtophanis etiam ſcribit fuiſſe in uſu coronas imponere mortuis. Græci utebantur amictu candido ex lino, ſicut & noſtri. Alexander *lib.* 3. *cap.* 7. id fatetur. Feſtus tenet, quod Romani ungebant cadaver, & in- D
duebant amictum candidum. Homerus *in odyſſea*, pro mortuo Ulyſſe inquit:

Penelope ſuſtinet urgentes meas nuptias,
Donec linteum perfecero, ne mihi fila vana pereant.

Virgilius *lib.* 9. pro matre Euryali conqueritur:

—— Nec te, tua funera mater
Produxi, preſſive oculos, nec vulnera lavi,
Veſte tegens: tibi quam noctes feſtina dieſque
Urgebam, & telâ curas ſolabar aniles. E

Sed qualia pietatis munera circa cadavera liceant à Chriſtianis exerceri, docuit Euſebius *lib.* 7. *hiſtor. Eccleſiaſt.* dicens ea quæ in agone, & poſt mortem exercenda, ut non ſint gravati gremio ſuo excipere, claudere oculos, ora obturare, geſtare cadavera humeris, decenter ornare, illis adhæreſcere, amicè complecti, lavare accuratè, & linteo funebri involvere.

RESOLUTIO X.

Utrum liceat pro mortuis triſtari, & deflere.

§. I.

Quid ſit deflere, & à quibus ſit ex uſu pro mortuis flere.

Reſolvendum primò, quod fletus eſt lacrymarum effuſio valens à variis provenire cauſis.

Pro quo notandum, quod lacryma eſt ſeroſus, & aqueus humor, manans ex oculi. Fletus eſt multiplex. Primus, de quo loquimur, provenit ex triſtitia, eſtque fletus lacrymæ, ſive ſeroſi cujuſdam humoris aquei effuſio per oculos in ſignum mœſtitiæ. Differt à ſudore, quia per oculos effunditur; ſudor per cutem: differt à lotio, quia hoc funditur per veſſicam. Eſt alius fletus quaſi voluntarius, præcipuè in aliquibus mulieribus, & fictus in ſignum triſtitiæ, de quo Ovidius:

Quò non ars penetrat, diſcunt lacrymare decenter,
Quoque volunt, plorant tempore, quoque modo.

Tertiò eſt fletus miſericordiæ, in quo lacrymæ ab illa moventur. Quartò eſt fletus à nimio gaudio compreſſis humoribus oculorum. De fletu ex triſtitia, aut commiſeratione hîc loquimur. Fletus ut ſic convenit cum mœrore, planctu, & luctu; partim verò ab illis differt. Mœremus, flemus, plangimus, & lugemus dum ſumus triſtes, mœrentes cum ſilentio, dolentes cum lacrymis, plangentes cum querulis vocibus; lugentes cum habitus mutatione: quod in mœſtitia pro mortuis accidit.

Quod fletus poſſit ex variis provenire cauſis, patet. Quod ex gaudio, patet ex ſacra Pagina. Jacob inveniens Rachelem, flevit præ gaudio, *Geneſ.* 29. Eſau complexns collum Jacob, & oſculans, præ gaudio flevit, *Geneſ.* 33. Joſeph agnoſcens fratres, flevit præ gaudio, 1. *Reg.* 24. Tobias recipiens filium, & mater, flevere præ gaudio, *Iob* 11. Dum templum Dei reædificatum eſt, omnes præ gaudio flebant. *Eſdra* 3. Ptolomæus cùm vidiſſet miſſos ad ſe LXXII. Interpretes, præ nimio gaudio flevit. Joſephus *lib.* 12. *cap.* 2. Tum fictione fœminas plorare ſolitas diximus cum Ovidio. Eraſmus in adagiis idem refert de Baccho Corinthio. Mulieres etiam

quæ conductæ plorant in funere, & faciunt propè plura dolentibus ex animo, (A) quas præficas vocant. Tandem veræ triſtitiæ communior eſt vetus fletus ob ſuorum mortes. Jacob flevit filium Joſeph, *Geneſ.* 37. David flevit mortem Abner, 2. *Reg.* 3. mortem Ammonis, & mortem Abſalonis: Aſſyrii mortem Holophernis, Talamon mortem filii Ajacis, Heraclitus omnium mortes.

Sed pro mortuis non eſſe lugendum, ſuaderi videtur: Tum primò, quia apparet ſic ſuaderi ab Ambroſio dicente: (B) *Tantis malis hæc vita repleta eſt, ut comparatione illius, mors remedium putetur eſſe, non pœna; nam ideo brevem illam Deus fecit, ut moleſtiæ ejus, quæ proſperitate nec vinci nec tolli poſſunt, temporis exiguitate finirentur.*

Tum ſecundò, quia D. Paulus, & alii Sancti cupiebant diſſolvi à vinculis iſtius vitæ, cum gaudio mortem recipientes.

Tum tertiò, quia Platonici, Marcionitæ, & aliqui tenebant ob ſcelera animam detineri in corpore tanquam in ſepulchro, vel ſupplicii loco, & tenebant ab illo liberari (C) per mortem: Ergo illam non eſſe lugendam fatendum eſt.

§. II.

Mors qualibet lagenda ob humanam conditionem.

Reſolvendum primò, quod hominum mortem lugere præ triſtitia, debetur pro conditione humanitatis hominum.

Probatur primò ex Herodiano, qui protulit, quod eſt humanum caſibus in- (D) gemiſcere humanis; ideo continuò flebat Heraclitus hominum miſerias. Xerxes, ut tenet Herodotus *lib.* 7. videns magnum exercitum ſuum, flevit tot gentium mortes, quæ brevi eventuræ erant. Darii mortem flevit Alexander Magnus. Plutarchus *in Alexandro.* Tum patet; nam humanitate ducti coacti ſunt vetuſtiores mortuos ſuos flere, quod committebatur publicè mulieribus, quæ prodibant in publicum, detecto capite, & facie, & urbem circum luſtrabant capillis paſſis, ſinu (E) denudato, ingentes ejulatus emittentes, comas, & genas lacerantes, extenſis manibus, cum dextra, & ſiniſtra percutientes ſternum; cum dextra manu partem ſiniſtram, cum ſiniſtra dextram, genas per vices ſcarificando, & crines trahendo. Romanis lugendi modum præſcripſit Pompilius. Romulus annum tantùm permittebat ad lugendos mortuos: Populus Romanus poſtea interdixit ne faciem dilacerarent mulieres in luctu. Comitabantur flentes apud Græcos, & conducebantur mulieres variè ejulantes. Perſæ extendebant capillos, & lugubri veſte utebantur. Alexandrini etiam conducebant mulieres plorantes. Noſtri intra domos præcipuè ſuos lugent mortuos: antiquiores concomitabantur lugentes uſque ad ſepulturas, in quibus magno ejulatu plorabant. Apud Mantuanos, & Cantabros nondum abolevit hic mos, & ſic plorantes vocant *planideras.* Ex iis conſtat, deberi pro humanitate fletus pro mortuis.

Tum tertiò, ut tenet Ariſtoteles, quia mors eſt terribilior omnium miſeriarum, quæ non ſolùm noſtros terret animos, dum conſanguineos, & amicos deperdimus; ſed in aliis quibuſvis deterremur, memores quod ſimilis nos minatur miſeria: Ergo humana conditio cogit mortuos deflere.

§. III.

In chriſtiana pietate pro quibus mortuis plorandum.

Reſolvendum ſecundò, quod Chriſtiana pietas cogit lugere mortuos in infernum damnatos, non reliquos. Sic tenent Sancti Patres.

Probatur: Tum ex D. Hieronymo *epiſt.* 2. ad Paulam, §. *Lugeatur mortuus, ſed ille quem tartarus devorat, in cujus pœnam æternus ignis æſtuat. Nos, quorum exitus Angelorum chorus comitatur, quibus obviam Chriſtus occurrit, gravamur magis, ſi diutiùs in iſto habitaculo mortis habitemus.* Tum Iſidorus *lib.* 3. *de ſummo bono*, ait: *Illi deplorandi ſunt in morte, quos miſeros infernus ex hac vita recepit, non quos cæleſtis aula ſacrificandos includit.* Tum D. Bernardus *in epiſtolis*, ait: *Bona mors juſti propter requiem, melior propter novitatem, optima propter ſecuritatem. Contrà mors peccatorum peſſima, mala quidem in mundi amiſſione, pejor in carnis ſeparatione, peſſima in vermis, igniſque duplici conſtrictione.*

§. IV.

Si lugendum cogat humanitas, quantum lugendum ſit.

Reſolvendum tertiò, quod licèt fletus humanæ pietati permittatur, temperandus tamen eſt in modo, tempore, & intenſione paſſionis.

Probatur ex Eccleſiaſtico *cap.* 38. *Modicum plora ſupra mortuum, quoniam requievit.* Tum ex D. Chryſoſtomo *homilia* 61. ubi

ubi lugendi præſcribit modum, dicens: A *Si peccator, & qui ſæpenumero Deum offendit, moritur, is deflendus eſt, vel potiùs minimè, cùm nihil illi afferat utilitatis; ſed ea facienda, quæ ei aliquod conferre poſſint ſolatium, ut ſunt eleemoſynæ, & oblationes: in hoc lætandum eſt, quod malitia ejus abſciſſa eſt. Quod ſi ſit juſtus, rurſus lætandum, quòd in tuto collocatus eſt à futura incertitudine: ſi juvenis, quòd ex medio malorum eſt ereptus: ſi ſenex, quòd eo diutiùs uſus, quod maximè deſiderabile videbatur, & in vita ſatietate migravit.* Et infrà: *Quid inquis, cùm homines ſimus, de morte hominis non eſt dolendum? Numquid ego hoc prohibeo? Minimè: ſed imprudenter lugere veto. Non ſum immanis, atque crudelis: video naturam lugere, & quotidianam requirere conſuetudinem. Non licet nullo affecta moveri. Quod & Chriſtus oſtendit; lachrymatus eſt enim in Lazaro. Ejus ſequere exemplum: lacrymare, ſed leviter, & prudenter, & cum Dei timore.* Tum Plato *lib. 12. de legibus*, Cicero *in Tuſculanis*, Seneca *epiſt. 65.* ut tenet Santorellus præſcribunt lugendi C modum. Chryſippus dixit: *Sapiens dolere, & non torqueri tenetur, ne leviores videamur.* Ideo Lycii non permittebant viris plorare, niſi veſtiti veſtibus mulierum: non in publico licet lugere viris, nec niſi moderatè, prout movet humanitas, non prout petit oſtentatio.

§. V.

Solvuntur ſuprà poſita argumenta.

AD primum reſpondetur, quod D. Ambroſius non prohibet lacrymas ex naturali pietate ortas, ſed nimium fletum, præcipuè pro juſtis, qui per mortem perveniunt ad beatitudinem.

Tum pro ſecundo, quod D. Paulus, & alii Sancti expectatione divinæ fruitionis conabantur diſſolvi à vinculis hujus vitæ.

Tum pro tertio, quod Platonici, & Marcionitæ judicantes animas detineri in corpore propter ſcelera, & per mortem mutari ab hoc ſcelere in beatiorem ſtatum ad hanc perfectionem acquirendam, E beatam eſſe mortem contendebant, & non deplorandam.

Resolvtio XI.

Quali pompa licet mortuos ferri ad ſepulturam.

§. I.

Qualis, & quotuplex apparatus pro ſepeliendis mortuis.

REſolvendum primò, quod corpori ferendi in ſepulturam duplex eſt apparatus, alter cenſorius, alter tranſlatitius ſeu mediocris.

Probatur: Tum in noſtris temporibus, in quibus apud noſtros plures adhuc nobilium in ſuous deferuntur ſine omni faſtu & pompa; plures cum magno: vulgares, & cum mediocri plures. Tum apud Romanos pro Principibus uterque fuit apparatus uſitatus, ut Santorellus ex hiſtoriis antiquorum deprompſit. Cornelius Nepos narrat, quod Marcus Æmilius Lepidus Princeps Senatus voluit ſine omni pompa ſepeliri. Et de Britannico refert, quod fuit ſepultus, *parato antè funebri apparata, qui fuit modicus.*

At verò funus cenſorium, ac celebre magno fiebat apparatu. Appianus Alexandrinus *lib. 1. bellorum civilium*, illum depinxit exemplo funeris Syllæ; inquit enim quòd ferebatur cadaver in urbem in lectica aurea, cætero quoque ornatu regio, præcinentibus tubis & equitatu deducente, aliaque toto corpore armatorum multitudine, Legatis etiam, & Tribunis ejus undique cum armis ad funus celebrandum confluentibus, & ut quiſque venerat, ad ordinem pompæ ſe conferentibus, accurrente quoque vulgari multitudine, quanta nunquam aliàs: præferebantur & ſecures, cæteraque Dictaturæ inſignia, quibus vivens uſus fuerat. Cæterùm poſtquàm in urbem allatus eſt, tum verò plurimùm ſplendoris acceſſit funeri; coronæ enim aureæ pluſquam bis mille magna celeritate confectæ: lata ſunt dona civitatum, & legionum quibus præfuerat, & amicorum ſingulorum, cæteraque ineffabilis magnificentiæ: & quia res metu non carebat propter affluxum armati militis, deducebant corpus Sacerdotes, etiam Veſtales, ſuo quiſque ordine; tum Senatus univerſus, & Magiſtratus cum ſuis inſigniis; deinde Equitum Romanorum alia multitudo, rurſumque alia militum, quotquot illius auſpicia ſequuti fuerant; omnes enim properaverant, ut præſto forent,

præſtantes ſigna aurata, ſcutaque argento bracteata, quorum nunc quoque in pompis uſus eſt. Aderat & tibicinum infinitus numerus per intervalla quidem lugubre concinentium. Nec deerant fauſtæ acclamationes à Senatu exortæ, mox Equitum, deinde militum, poſtremò plebis: quorum alii ſeriò Syllam deſiderabant, alii copias ejus, ipſumque mortuum non minùs timebant, quam vivum; quippe quos tam præſens ſpectaculum terrebat, quàm præteritorum facinorum memoria, ut facilè in hoc aſſentirentur adverſariis, eum fuiſſe illis feliciſſimum, & ipſis ad extremum uſque diem terribilem. Pro roſtris deinde in ſuggeſtis poſito cadavere, funebrem orationem habuit vir ejus ætatis eloquentiſſimus, quòd Fauſtus filius nondum maturus erat: mox robuſti aliqui Senatores ſublatam in humeris lecticam tranſtulerunt in campum Martium, ubi ſolos Reges ſepeliri mos erat, & circum rogum decurrerunt tum equites, tum reliquus exercitus. Ex quibus patent utriuſque pompæ validiſſima exemplaria.

Diſplicuit, ut tenet Santorellus, cenſoria pompa pluribus. D. Chryſoſtomus *homil.* 34. inquit: *Quid ſibi ſuperfluum vult, & inutile diſpendium, quod ipſis quidem, qui faciunt, plurimum affert detrimentum, mortuis nullam utilitatem.* Diſplicuit & Ethnicis judicantibus honorem non in funebri pompa, ſed in virtutibus quærendum. Sic Ennius pro Germani moderata pompa:

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. Cur? Volito vivus per ora virorum.

§. II.

Quibus competat mortuos ferre in ſepulchrum.

Reſolvendum ſecundò, quod varius fuit uſus eligendi eos, qui portaturi erant mortuos ad ſepulturam.

Probatur: Tum quia mos fuit vetuſtioribus, ut à filiis, aut propinquioribus diſcooperto capite mortui portarentur ad ſepulturam. Sic Juvenalis *ſatyra* 10. & Plinius *lib.* 7. *cap.* 44. refert à quatuor filiis, tribus Conſulibus, & altero Prætore delatum fuiſſe Quintum Metellum Macedonem. Auguſtus, ut tenet Suetonius, in campum Martium humeris Senatorum fuit delatus, ſicut Trebius ab univerſo Populo, quia in ædilitate penuriâ laborantibus frumentum præſtitit, ut tenet Plutarchus. Fuit etiam in more Romanis mortuos deferri à ſuis manumiſſis, aliàs à

A veſpillonibus, qualiter exportatum Domitiani cadaver. Tum refert Santorellus, morem fuiſſe apud Chriſtianos quandoque à clariſſimis Viris, quandoque ab humilioribus deferri. Aſſentiuntur aliqui, quod mortui deferantur ab eis, qui ſunt ſui Ordinis; Senatores à Senatoribus, Doctores à Doctoribus. Durandus à bajulis debere deferri judicat, qui fortiores ſint pro onere ſuſtinendo: ſed in hoc ſua cuique regioni ſervatur conſuetudo.

B §. III.

Pro funere quæ fuerint ex uſu Muſica inſtrumenta.

Reſolvendum, quod pro funere varia placuerunt Muſicæ inſtrumenta, buccinæ, tubicines, tibicines, campanæ, cantores, præficæ.

Probatur: Tum apud antiquos, quibus campanarum uſus non erat receptus, tubicines, tibicineſque in uſum venerunt, ut conciliarent gentes pro decore, & ornatu concomitatus in funere, de quibus Gellius *lib.* 10. *cap.* 11. Plinius *lib.* 20. *cap.* 43. Virgilius 11. *Æneidos*:

It cœlo clamorque virûm, clangorque tubarum.

Tum Chriſtiani campanarum muſicâ, & clamoribus utuntur ſtatim poſt mortem adultorum, ut reliqui orent pro illis, & in ipſo funere. Tum Concilium Toletanum ex Gravano *lib.* 2. *de funere*, inſtituit campanarum uſum, & excluſit tubicines, admittens canentium muſicam, & pſalmorum, prohibens alias cantilenas, dicens: *Religioſorum omnium corpora, qui divina vocatione ab hac vita recedant, cum pſalmis tantummodò & pſallentium vocibus debere ad ſepulchra deferri; nam funebre carmen quodcumque defunctis cantari ſolet, vel pectoribus ſe proximos, aut familias cædere, omnino prohibemus.*

§. IV.

Coopertum, veſtitum tamen feratur cadaver.

E Reſolvendum, quod utplurimùm decentiùs fertur cadaver veſtitum, & coopertum.

Probatur: Tum quia licèt infantes, & virgines ſoleant, quia minùs horrificæ, diſcoopertæ ferri, & floribus ornatæ, plerumque tamen horrore & fœtore ſolent moleſtare. Tum veſtiri mortuos expedit pro illorum reverentia, & honore. Sic pro more fuit, ut tenet Alexander *lib.* 3. *cap.* 7. apud Ægyptios mortuos veſtire albo

amictu

amictu lineo, & ut tenet Plinius *lib.* 19. Ægyptii licio incorruptibili veſtiebant Reges, quæ veſtis nec igni cedebat. Tum Romani toga, Græci pallio veſtiebantur poſt mortem. Sic Juvenalis *ſatyra* 6. *Et ex Romanis tota vulgata vulgus, prætexta utebatur Magiſtratus.* Ex Artemidoro *lib.* 2. *cap.* 3. Tum Virgilius in funere Palantis refert fuiſſe ex uſu veſtire cadavera ſplendidis veſtibus, quas mulieres conabantur texuiſſe magno ſumptu. Tum apud noſtrates quiſquis poſt mortem ornatus veſtibus & inſigniis ſui Ordinis, ſed vetarunt leges ſumptuoſas veſtes, ne expilatores ſepulchra violarent. D. Hieronymus improbat ſumptuoſas veſtes, dicens: *Divitum corpora judicant aliqui non niſi in ſerico poſſe putreſieri.*

Resolutio XII.

Utrum pro ſepultis aliqua licuerint antiquis.

§. I.

Plura poſt funera fuerunt antiquis uſitata.

Reſolvendum, quod in funere, & poſt ipſum plura apud veteres exercebantur pro mortuis.

Probatur: Tum poſt funera veteres Scythæ, Romani, Hiſpani ploratu, & ejulatu maximo utebantur, & poſt conclamationem vale dicentes ægrum relinquebant. Virgilius

Salve æternum mihi maxime Palla,
—— æternumque vale

De Polydoro:

—— animamque ſepulchro
Condimus, & magna ſupremum voce ciemus.

Tum Herodotus *lib.* 2. refert Ægyptios ſolitos poſt funus laudatoria oratione extollere mortui virtutes. Noſtri funebri oratione & virtutes, & nobilitatem ſolent extollere. Tum pro mortuis veteres lampades apponebant ſepulchris, præcipuè Chriſtiani; quod D. Chryſoſtomus non omninò admittit *homil.* 61. ubi honorem inquit mortuorum eſſe fletum, non ejulatum, ſed hymnos & Pſalmos, & optimam vitam prodeſſe: & *Homilia* 4. *in* 2. *ad Hebraos*, lampades non approbat, quas nec approbat Lactantius, etiam lampades gentilium: nec approbat D. Hieronymus cereos. Sed Chriſtianorum mos invaluit in hoc pietatis munere. D. Athanaſius *orat. de fidelibus defunctis*, inquit: *Etiamſi in aere collocatus ſit ille, qui cum pietate diem*

A *vitæ extremum egit, tamen implorata Chriſti Dei ope, oleum, & ceram ad ipſius ſepulchrum accendere ne recuſes.* Tum Muſica apud Catholicos admittitur, & apud veteres Muſica admittebatur funebris. Virgilius *in Æneid.*

It cælo clamorque virum, clangorque tubarum.

Et Perſius

Hic tuba, candelæ, tandemque beatulus alto
Compoſitus lecto.

Alexander Aphrodiſeus judicat Muſicam B introductam in ſolatium lugentium, ut dolor mitigaretur. Tum fuit in uſu pro mortuorum honore epulas, & cœnas apud ſepulchra celebrare. Herodotus *lib.* 5. tenet, quod Thraces triduo convivantur apud mortuos, Alexander *lib.* 3. *capit.* 7. Scythas refert poſt funus amicis epulum ſolitos præbere. Græci, ut idem refert, magnis ſumptibus apud cadavera ſolliti ſunt epulas celebrare, exequialeſque cœnas invenerunt: & quod Romani cœnas ſimiles celebrarunt, teſtis eſt Pontanus C *cap.* 15. qui in pluribus oppidis Italiæ fuiſſe celebratas retulit. Varro *lib.* 1. *Saturnal.* refert feralium dies vocari eos, in quibus epulæ ferebantur ad ſepulchra. Oſorius *lib.* 3. *rerum Emman.* tenet Indos Chriſtianos poſt ſepultos mortuos, ſolitos per octo dies inſtruere convivia pro mortuorum honore. Platonici ſuper tumulos defunctorum epulis uti judicabant neceſſarium ob mortuorum manes, vel ob animas à corpore liberatas. Concilium Carthaginenſe *cap.* 50. prohibuit epulas apud mortuos, D dicens: *Super mortuorum tumulos nec vivere præſumant. Quod ſi fecerint, canonicam ſententiam accipiant.* Et D. Paulus inquit: *Numquid domos non habetis ad manducandum, aut vivendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent?*

Tum ludi funebres pro honore mortuorum ſolebant exerceri à gladiatoribus, præcipuè pro viris clariſſimis, quos Plinius *lib.* 7. *cap.* 56. tenet in Arcadia inſtituiſſe Lycaonem. Nec ſolùm pro viris, ſed etiam pro fœminis fuerunt in uſu lu- E di funebres. Cæſar, ut tenet Suetonius *cap.* 26. in morte filiæ hos introduxit ludos. Anaxagoras, ut ait Laërtius *lib.* 2. à Lampſacenis rogavit, ut hos ludos permitterent quotannis. Lypſius in Saturnalibus varios refert huiuſmodi ludos, penes majorem, aut minorem pugnantium numerum. Nec ſolùm fiebant pro ſepultis, ſed mortuos in ſellis ſedentes ad ludos ponebant, & tam gladiatores, quàm ſpectatores variis in illis utebantur veſtibus.

Resolv

Resolvtio Ultima.

Utrum pro cadavere incorrupto conſervando proſint medicamina.

§. I.

Proponitur pars negativa, & fulcitur.

Videtur, quod nullis medicaminibus poſſit præſervari cadaver à corruptione. Tum primò, quia ut diximus, fœtor eſt evidens mortis ſignum: ſed fœtor provenit à putredine: ergo in omni cadavere eſt neceſſaria putredo & corruptio.

Tum ſecundò Ariſtoteles *in lib. meteor.* docet, quod omnia putreſcunt, præter ignem; ergo in omni cadavere reperitur putredo. Tum tertiò corpora mortuorum cœperunt cremari, ut eſſent libera à corruptione: ergo quia hæc nullis poteſt vitari medicamentis.

§. II.

Per varia medicamenta arcentur à corruptione cadavera.

Reſolvendum, quod licèt non ab omni corruptione poſſint cadavera præſervari, diu tamen à putredine liberantur per varia medicamenta: eſt enim, ut tenet Zachias *tom. 1. lib. 4. tit. 1. quæſt. 10.* duplex corporum corruptio; putrefactio, & exſiccatio: per putrefactionem corpora breviter corrumpuntur, & per fœtorem in varia alia animalia tranſeunt. Per exſiccationem verò diutiùs permanent, & ſubſiſtunt: & hanc per medicamina poſſe conſequi tenemus.

Probatur ex variis ſimplicibus, quibus antiqui uſi ſunt in hunc finem. Æthiopes corpora ſalita conſervabant cum melle, ut tenet Herodotus *lib. 3.* Ballonius tenet Aſſyrios cadavera conſervaſſe in ſolo melle. Alexander idem tenet *lib. 3. cap. 2.* Plinius *lib. 22.* idem affirmat. Herodotus *lib. 1.* inquit Perſas conſervaſſe cadavera cum ſola cera: idem tenet Plutarchus in vita Ageſilai. Affirmant Plinius, Dioſcorides, & Galenus in cedro conſervari cadavera à corruptione. Judæi utebantur aromatis, & unguentis. Alexander tenet Græcos cadavera condire *lib. 3. cap. 7.* eum myrrha, aloë, cedro, melle, ſale, cera, bitumine, & reſina: plures, ut idem tenet, utebantur foliis populi, myrthi, cum aloë. Alii in auro reponebant cadavera, quod legibus poſtea fuit vetitum. Aër ſuis qua-
A litatibus præſervat, ut ſuprà diximus, ut in inſula Connachlico vidit Herman. *de miraculis mortuor. part. 3. capit. 4.* Zacchias plura medicamenta refert: Plinius cedriæ unctionem ſuperaddit *lib. 24. capit. 5.* & Scaliger in Cardanum *exercit. 141.* Galenus *lib. 1. de antidotis, cap. 12.* laudat ſcordium, quod dicitur vincapervinca. Olaus Magnus *lib. 1. de ritu gent. Septentrional. cap. 2.* tenet piſces in regione Biarmæ à ſolo aëre per decem annos præſervari à corruptione. Galenus *9. ſimpl.* laudat vi-
B triolum. Petrus Caſtel. ſuperaddit alumen, calcem, nitrum, acetum, aromata omnia, & opobalſamum. Langius laudat clavum ex ære chalcitide infixum in carne cadaveris.

Probatur ſecundò ex Ballonio, qui *lib. 3.* varias arborum differentias refert, quæ pro cadaverum conſervatione poſſunt eſſe ex uſu: & *lib. 2.* varia alia proponit ſimplicia, cedriam, bitumen, piſſaſphaltum, naphtam, nitrum, aſiæpetræ florem, varios ſales, & ſal chimicum. Cedria differt parum à pice liquida: fit ex larice, ex ju-
C nipero, ex tæda, & ex cedro, à quo cedria vocatur, de qua Dioſcorides inquit: Cedrus eſt arbor magna, ex qua picem colligunt, quæ cedria vocatur: optima eſt, craſſa, pellucida, gravis odoris, quæ dum effunditur guttatim, non coït; cui ea vis ineſt, ut defuncta corpora conſervet. Bitumen, ſeu aſphaltum, unum eſt liquidum, alterum durum, quod in Judæa in mari mortuo ſupernatat. Bitumen Dioſcorides tenet gigni in Phœnicia, in Babylone, Zacintho, & Sidone. Liquidum
D reperitur cedriæ ſimile, nigrum, apud Neapolim, in loco nomine *Teucre*: generatur in terra durius, quàm nigra napha, craſſioris compaginis, & quaſi ejus pinguedo. Piſſaſphaltum confundunt Arabes cum mumia. Ballonius tenet eſſe quoddam foſſile in Illyria, loco Epiro finitimo, à quo fertur in Europam. Naphta verò ruffa reperitur apud Babyloniam, & in Italia ſuperabundat. Dioſcorides vocat illam colamen bituminis. Tria in Italia ſunt
E illius genera, candida, nigra, & rubra, quæ diverſis oriuntur in locis. Ruffa ſub monte Zelize; in pago nomine Meiano naſcitur alba; in vico Allenſi nigra. Nitrum præcipuum eſt pro condiendis corporibus apud Ægyptios, quo præcipuè utebantur Salitores, commiſcendo cum aromatibus, & aliis ſalibus, de quo inquit Herodotus, quod carnes tabefaciet falſificatur, & loco illius aliqui utuntur ſale alkali. Ballonius tenet fieri ex ſal-

ſuginoſa

ſoginoſa terra. Plinius aſſerit copioſum generari, dictum calaſtricum, apud Letem civitatem Macedoniæ, & multò abundantius in Ægypto, licèt deterius. Flos aſſiæpetræ, ſive ſal petræ, loco nitri poteſt ſubſtitui pro condiendo cadavere. Dioſcorides agens de aſſialapide, inquit quod ejus flos eſt ſalſugo ſubflava in ſum-[illegible]de inſidens, compage tenui, co-[illegible]e in aliquibus albo, in aliis pumici ſimili, ad luteum vergente. Alchali, ſive ſal chimiſticus, ſeu vitri axungia, eſt quaſi vitri pinguiſſimus flos innatus nitro in clibanis calidiſſimis, & ignitiſſimis, qui cochleari ferreo ex catino ſeparatur. Barbari vocant cruſibulam. A paſta nitri decapulatur, ut tenet Ballonius.

Probatur tertiò, quod plura corpora deſiccantia, illa diu liberent à putredine. Tum quia parca præcedens victus ratio ante cadaver, arcet à putredine, ſeu potiùs à corruptione; ideo Rhodiginus *lib.* 26. *cap.* 24. dicit, cadavera Regum Romanorum citiùs ſolere putrefieri, quàm Regum Perſarum, quia plurimo quàm iſti utebantur cibo. Tum fulmine mortui, ut tenet Plutarchus, non corrumpuntur, quia igne fulminis exſiccantur. Tum qui à propria temperie ſunt ſicciores, tardiùs corrumpuntur. Tum & mortui, qui ſepeliuntur in terra frigidiori, & ſicciori, corrumpuntur tardiùs. Tum à ſicco aëre præſervantur à corruptione cadavera. Tum cadavera ſiccis rebus repleta, & exſiccata magis præſervantur à corruptione. Sic in capſulis reponuntur ex abiete, cedro, plumbo, aut auro.

Probatur quartò ex Foreſto, qui *lib.* 29. *obſervat.* 29. *in ſcholio*, plures adducit formulas medicamentorum, per quæ poſſunt cadavera exſiccari, & præſervari diu à corruptione, qualia ſunt balſamum Speringii, & alia ſimilia: præcipuè Rhaſis cadaveris condiendi præſcribit modum. Sic clyſterizentur corpora medicinis acutis, ſiccis, cum bahurach, colocynthide, addito multo ſale, ipſo corpore exiſtente erecto, ita ut venter comprimatur, & ſic excrementa, tum ſtercora egrediantur. Hoc facto, ſi expedit, alius clyſter injiciatur ex aloë, myrrha, acacia, galla moſchata, alipta moſchata, nuce cupreſſi, nuce myriſtica, cinnamomo, ligno aloës, ſantalis, croco, alumine in aceto, & aqua roſata diſſolutis: illud totum injiciatur in inteſtina. Deinde anus benè ligetur cum multiplici compreſſione, ac faſcia, ne liquor ille ultimus exeat. Deinde corpus cum alkitram, id eſt pice nigra, liniatur

D. Gaſp. Bravo Tract. Miſcell.

A deinde auribus, naſo, & ori argentum vivum injiciatur; iis enim cuſtoditur, ne effluat cerebrum. Deinde totum corpus ſpadrapo facto ex pice nigra, reſina, colophonia, thure, maſtyche, ſtorace, gum. arab. trag, & pulvere jam in ſecundo clyſtere dicto involvatur: ſpadrapum ſuatur diligenter, & ſuturæ cum pice liniantur. Brachia quoque circa latera ſituentur, pedeſque ſecundum longitudinem disjunctim diſponantur. Deinde aſpergatur totum corpus ante ſpadrapi applicationem pulvere, ex quo ſecundus clyſter fiebat, & loca vacua impleantur ſtupis involutis, & pulvere jam dicto. Poſtea applicetur ſpadrapum, & ſuatur, ut dictum eſt, ac pice liniantur ſuturæ. Inſuper ſpadrapum foris quoque pulvere ſæpiùs dicto inſpergatur, & iterum in alio panno incerato involvatur totum corpus, & ſimul ſuatur, ut ſuprà. Deinde faſciis furtibus firmiſſimè ligetur, involvendo poſtremò totum corpus in ſyndone munda, & ſuatur diligenter. Poſtea in capſam plumbeam ponatur bene linitam, & clauſam cum ferro ignito, in qua capſa ponantur herbæ odoriferæ, ſicut ſunt roſæ, majurana, balſamita, mentha, aut ponatur corpus in capſulam ex cupreſſo. Capſula quoque firmetur circulis ferreis, in quibus ſint ſex annuli ad levandum, & deferendum de uno loco in alium.

Minori ſumptu condiebant cadavera plures exenterando ipſa, & extractis inteſtinis, & viſceribus, infligunt eis vulnera multa in partibus carnuſis, per quæ evacuantur icores, & humores: ſaliantur corpora per aliquot dies. Ægyptii, ut tenet Diodorus *lib.* 1. *cap.* 1. ſaliebant per dies quadraginta. Sic & Hebræi *ex Geneſi cap.* 50. alii per 70. dies. Æthiopes ſolo gypſo utebantur: Aſſyrii: & Babylonii ſolo melle: Perſæ ſola cera: Ægyptii cedri ſucco: Græci vino, & unguentis odorificis: Scythæ cupreſſo tuſo, thure, petroſelino, & aniſo: Syri aloë, myrrhâ, cedro, & melle.

Nuſtri, ut diximus *tom.* 3. *prompt.* 31. pro cadavere condiendo adhærent Paræo, qui ſic cadavera condire docuit. Corpus primò exenteratur, corde ſeorſim habito, ut poſſit ſepeliri per ſe pro arbitrio conſanguineorum. Cerebrum avellitur, cranio ſerra diviſo. Profundis plagis cadaver ſecundùm brachiorum, femorum, dorſi, lumborum, & natium longitudinem obducitur, præſertim qua parte venæ majores, & arteriæ excurrunt: primùm quidem ut ſic exprimatur ſanguis, qui alio-

T quin

quin corrumperetur, & eſſet corpori putredinis initium. Deinde pulviſculis aromaticis cum ſale aſpergendus locus, inde totum lavandum eſt ſpongia imbuta aquâ vitæ, & acri aceto, in quo coxerint abſynthium, aloës, colocynthis, ſal commune, & alumen. Tum illæ plagæ, corporiſque ductus, & hiatus omnes, atque tres ventres infarciendi erunt aromatibus ſequentibus craſſiuſculè pulverizatis. Sic cadaver diſponitur pro pulveribus, qui ſunt hujuſmodi.

A

℞. Pulver. roſar. chamæm. melilot. balſamit. menthæ, anethi, ſalviæ, lavendulæ, roris marini, majoranæ, thymi, abſynth. cyperi, calam. aromat. gentianæ, ireos, flor. aſſiæ odoratæ, caryophil. nucis moſchatæ, cinnam. ſtyracis, calamint. benzoïni, myrrhæ, aloës, ſantalor. omnium quantum ſufficit: conſuantur plagæ, & hiatus, ne quid excidat: mox totum inungatur therebyntina liquida cum oleo chamæmelino, & roſaceo, additis oleis aromaticis per quintam eſſentiam extractis: iterum inſpergatur pulveribus commemoratis, deinde ſyndone involvatur, hinc tela cerata, deinde in capſa plumbea fideliter ferruminata componatur herbis odorificis ſiccis plena.

B

§. III.

Solvuntur rationes primò propoſitæ.

AD primam, reſpondetur, quod commune eſt corporibus animâ deſtitutis putrefieri, & putredini quod ſubſequatur fœtor, & ſi adſit, ſemper eſt mortis ſignum: contingit etiam corrumpi per exſiccationem, quam Medici contendunt pro cadaveris duratione.

Ad ſecundam reſpondetur, quod corpora ſine naturali calore abeunt in putredinem, aut exſiccationem, & ſub hac diutiùs durant; & ideo illam intendunt Medici modo quo diximus.

Ad tertiam reſpondetur, quod ut diximus, benignior eſt actio quantum ſit poſſibile corpora conſervandi, quàm ignis voracitati tradere; & ideo quantum poſſibile ſit, contendimus corpora deſiccare, conſervare, & condire.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Mixtorum proprietatibus ratione miſcibilium, coctione, fermentatione, & putredine.

PROPOSITIO DISPUTATIONIS.

EGIMUS de præcipuis viventium affectionibus, vita & morte: in hoc tractatu agendum reſtat de mixtorum affectionibus ratione miſcibilium; coctione, inquam, fermentatione, & putredine. Entia ſpiritualia, & ſimplicia corpora recipiunt totum ſuum eſſe in prima productione. Mixta, & præcipuè viventia per formam, quæ dat eſſe rei, recipiunt eſſe, non tamen totam perfectionem ad operandum cum illo, donec perficiantur per miſcibilium perfectiorem acquiſitum modum: acquiritur hæc perfectio per calorem unientem oppoſita patibilia, & hæc actio dicitur coctio, & fit ſæpè per caloris effervеſcentiam; & hæc actio à proprio calore dicitur fermentatio. Si calor omnino præternaturalis fiat, diſſolvitur hæc unio, & dicitur putredo, de quibus ſub tribus Sectionibus contendimus diſputare.

SECTIO PRIMA.

De Coctione.

IN libris de generatione, & corruptione docet Ariſtoteles tranſmutationes ſubſtantiales, quæ fiunt à privatione formæ ad ejus acquiſitionem, in quibus mobile eſt materia prima, quæ mutatur ab uno termino in aliud. In libro quarto meteororum agit de coctione, & putredine, quæ ſunt mutationes, quæ proveniunt in mixtis, & fiunt à calore operante circa oppoſita patibilia; ex quorum unione perficitur mixtum, præcipuè vivens, & fit aptum pro debitis operationibus: de qua agendum ſub hac ſectione.

RESOLVTIO I.

Utrum elementa ſint prima principia, ex quibus fit mixtum.

C

§. I.

Varia opinantium proponuntur ſortes.

AGimus de mixtis, quæ mixtione fiunt. Eſt mixtio, ex Ariſtotele *lib. 4. meteororum*, miſcibilium alteratorum unio. Reſtat examinare primò, quæ ſint hæc miſcibilia, & prima principia, ex quibus mixtum fit. Circa quod variant vetuſtiores, & juniores, maximè deviantes à doctrina Hippocratis, Ariſtotelis, & Galeni, ſimul & omnium Peripateticorum, & Medicorum Rationalium.

Prima opinio fuit vetuſtiorum Ethnicorum, Democriti, & Epicuri, qui omnia entia naturalia affirmabant fieri tanquam ex primis principiis ex atomis, quos admittebant eſſe rotundos, acuminatos, quadratos, cylindratos, ſtriatos, vel alterius ſimilis figuræ, ex quorum accidentali, & & caſuali concurſu tenebant conformari omnia entia naturalia, & vario modo conformari, juxta figuras atomorum conformantium diverſas; & conſequenter affirmabant omnium entium naturalium eſſe prima principia hos atomos, & omnium mixtorum eſſe prima miſcibilia.

Secunda opinió eſt juniorum Chimicorum, qui adhærentes Paracelſo affirmant, quod prima principia mixtorum ſunt ſal, ſulphur, & mercurius, intelligentes per ſalem craſſiores mixti partes; per mercu-

A rium oleaginoſas, per ſulphur partes aquoſas, quas per ignem extrahunt ex minerabilibus, & vegetabilibus, & ex animalibus; & cùm unumquodque reſolvatur in ea, ex quibus componitur, contendunt quod hæc ſint prima principia mixtorum, & non elementa, quæ à rationalibus Medicis aſſignantur. Receperunt hanc opinionem à Paracelſo: ipſe tamen, ut tenet Freitagius, eam ſuſcitavit à vetuſtioribus Spagyricis, ſeu Chimicis.

B Tertia opinio, quam docuere Hippocrates libro de natura humana, & Ariſtoteles *lib. de generat. & corrupt. lib. 4. meteor. & in lib. Metaph.* Galenus *lib. de elementis, lib. de placitis, lib. de natur. human.* & quam receperunt omnes Peripatetici, & Hippocratici Medici, tenet prima principia, & miſcibilia, ex quibus fiunt mixta, eſſe quatuor elementa, ignem, aërem, aquam, & terram, ex quorum materiebus, & qualitatibus commixtis tenent omne mixtum componi.

§. II.

Rejicitur opinio Epicuri, & Democriti.

REſolvendum primò, quod opinio, quæ tenet mixta, & omnia entia naturalia fieri ex atomis fortuitò commixtis, eſt impia, & quocumque rationali homine indigna, & inſufficiens.

Probatur: Tum quod hæc ſit impia opinio, cùm admittat fortuitò entia naturalia fieri ex concurſu atomorum, D denegans Dei requiſitam pro illis potentiam, providentiam, & intelligentiam, ſine quibus nullum ens eſt poſſibile. Tum eſt indigna homine rationali; convincit enim ratio, quod ab agentibus naturalibus fiant generationes, & corruptiones ſine fortuito atomorum concurſu: nam ignis generat ignem, & animal aliud generat. Tum quia tot fines, uſus, & conformationes, quales in viventibus præcipuè apparent, non poſſent fortuitò provenire, præcipuè in hominis generatione, in qua notatur E Avicenna, quia judicavit, poſſe fieri ab intelligentia, & omnes admittunt, non poſſe perfici, niſi ab infinita Dei potentia. Tum quia recurrendum ad alia principia, ex quibus atomi fiant rotundi, aut acuminati. Tum quia licèt ipſi appareant in radiis ſolis, nunquam tamen tot figuræ obſervantur in illis. Tum quia non apparet per quas virtutes locomotivas à ſe, vel ab alio moveantur ad locum, in quo deberent concurrere. Tum quia dato ato-

morum concurſu ſine cauſa efficiente & A finali, ineptè admittunt iſti Philoſophi, poſſe produci mixta ſine reliquis cauſis entis naturalis: Ergo inepta, & inſufficiens manet hæc opinio.

§. III.

Spagyricorum principia pro mixti generatione impugnantur.

RESolvendum ſecundò, quod chimici negantes elementa, & admittentes ſalem, ſulphur & mercurium pro primis B mixtorum principiis, aberrant à veritate. Communis eſt hæc ſententia in Peripateticorum & Dogmaticorum Medicorum ſchola.

Probatur primò ex ipſis Chimicis; ſanioris enim mentis Spagyrici, licèt ſua admittant principia, ſal, ſulphur, & mercurium, admittunt etiam in mixtis quatuor elementa, tanquam prima mixtorum principia, ad quæ ultimò recurrunt: inter quos Beguinus in ſuo Tyrocinio Chimico, *lib.* 1. *cap.* 2. inquit: Phyſicus corpus naturale C conſiderat quatenus naturale, ac propterea rectiſſimè etiam principia ejus generaliſſima, noëtica potiùs quàm verè hypoſtatica, materiam, & formam adſerit. Medicus idem conſiderat, non quatenus naturale, ſed quatenus ſanabile, aut quatenus ſanitatem efficere poteſt, vel deſtruere: ac propterea principia ejus addit quatuor elementa cum ſuis primis qualitatibus, à quibus tum ſanitas, tum morbus dependent. Si igitur Medico licitum principia phyſica repudiare, & alia ſubſtituere; D cur non licebit chimico artifici, ejuſdem corporis, quod ille non quatenus naturale, nec quatenus ſanabile, ſed quatenus ſolubile, aut coagulabile conſiderat, diverſa principia ſenſibilia à Medicis ponere. Hæc Beguinus, qui non ſpagyricus impoſtor, ſed Philoſophus, & Chimicus, vera principia conſiderat, varia attendens compoſitorum principia, ſine eo quod inſaniat in inventione ſuorum principiorum.

Probatur ſecundò: Si quæ ratio obſtaret, E ne mixtum fieret ex elementis, tanquam ex primis principiis, & quod ideo alia ſint conſignanda, maximè quia ut Severinus, & alii Spagyrici contendunt, ſunt in mixto plures proprietates, ut colores, odores, ſapores, & aliæ, quæ in elementis non reperiuntur, nec ab illis poſſunt provenire; & ideo alia principia pro iis in mixtis ſunt admittenda.

Sed hæc ratio, quæ ab iis tantùm eelebratur, eſt fruſtanea. Tum quia prædictæ proprietates non ſunt proprietates miſcibilium, ſeu elementorum, ſed proveniunt à forma ſubſtantiali mixta; & ideo nec ab elementis primis, nec à ſale, ſulphure, & mercurio confictis fiunt; ſed à mixtis formis ſubſtantialibus. Tum ſi aliquo modo pendent ex elementis, maximè quatenus ex illorum mixtione reſultant in mixto varii modi mixtionis, per quos forma mixta determinatur ad ſuas proprietates producendas: per quem mixtionis modum in diverſis partibus cogitur ad diverſas producendas proprietates. Tum quia ſicut forma vivens non elicit ſuas operationes, nec actiones vitales in qualibet parte, nec per actiones elementorum, ſed per ſuas potentias, quatenus determinatæ ſunt per organa propria ad illas: ſic forma mixta mixti operationes elicit, non in qualibet parte, nec per ſua elementa, ſed in illis, in quibus ex elementis fit talis modus ſubſtantiæ, qualis requiritur, ut forma mixta in illis eas producat: Ergo ad productionem proprietatum formæ mixtæ fruſtra proponuntur materialia alia principia, præter prima elementa, à quibus fiant.

Probatur tertiò: Chimici ex Peripateticis recipiunt, quod ſunt prima principia illa in quæ mixtum reſolvitur: & cùm per ignem diſſolvatur mixtum in ſal, ſulphur, & mercurium, hæc debent dici illius principia. Sed hæc ratio ſolùm probat, quud ſuo modo dicantur, & largo ſolùm principia, non tamen prima, & prima mixtorum miſcibilia. Tum quia rerum prima principia vocant Peripatetici illa, in quæ ultimò diſſolvitur mixtum, ut mixtum eſt. At verò Chimicorum principia, ſal, ſulphur, & mercurius, adhuc prout ſunt partes mixtæ ipſius mixti, manent reſolubiles in partes materiales elementorum, cùm non ſint corpora ſimplicia. Tum quia in hac impropria acceptione partes ſimilares noſtri corporis poſſunt dici elementa partium organicarum, & organicæ totius viventis, non tamen prima principia. Ergo chimici ſua principia ſolùm analogicè vocare poſſunt, non autem prima mixti principia.

Probatur quartò: Convicti impoſtores Chimici per has rationes, & cùm non poſſint ſui Paracelſi principia tueri, conantur in inſanas pervenire evaſiones, dicentes quod per elementa non intelligunt ignem, aërem, aquam; & terram; ſed quædam profundiora principia incorporea, & matrices ſeminum, ex quibus res

omnes

omnes producuntur, & quod talia elementa A non miſcentur, ſed quodlibet habet in ſe cætera tria, ita ut in igne ſint aër, aqua, & terra ignea, & ſic in reliquis; & in iis eſſe virtutes productivas omnium rerum, & in quolibet ſeorſim permanere.

Sed hoc figmentum abhorret à ratione. Tum quia ſi Paracelſus ſua principia dicit eſſe ſal, ſulphur, & mercurium, & hæc eſſe partes terreſtres, aqueas, & adipoſas mixti, quomodo has partes ponit ſpirituales, incorporeas, & motrices ſeminum. Tum quia diſcedunt ab intento; ſi enim B loquimur de primis principiis, quæ ſunt principia materialia, ex quibus fit mixtum, cur illi recurrunt ad agendum de aliis principiis activis, & quæ ſunt cauſæ efficientes omnium rerum, quæ producuntur. Tum conficta hæc elementa, aut ſunt accidens, aut ſubſtantia: ſi accidens, ſunt poſteriora mixtis, cùm debeant in illis inhærere, & non ſunt illorum prima principia: ſi ſunt ſubſtantia, aut incompleta, aut completa: ſi incompleta, aut materia, aut forma, & hæc ſunt principia entis phyſi- C ci, non mixti: ſi completa, aut informantur per formam ſubſtantialem mixtam, & hæc eſt quæ operatur; nec hoc arguit, quod ſint principium materiale: vel informantur per proprias formas ſubſtantiales, & ſic mixtum eſt quoddam ens per accidens, completum per plures entitates phyſicas per ſuas formas diſtinctas. Tum ſi iſta elementa ſunt ſpirituales, & incorporeæ res, mixtum quod fit ex illis erit incorporeum. Tum ſi quodlibet ex fictis iis elementis reliqua continet, fruſtra qua- D tuor aſſignantur pro quolibet mixto componendo. Tum ſi virtutes agendi mixtorum ſunt in iis elementis ſpiritualibus, mixta phyſica ſuas elicerent actiones ſpirituales, & independentes ab illorum corporea natura. Tum ſicut iſti nullas mixtis tribuunt operationes, ſed ſuis elementis; ſimiliter & in mixtis viventibus fient vitales operationes, non à vitalibus potentiis, ſed ab iis principiis, ſeu elementis; & in homine rationales actiones tribuerentur confictis iis principiis. Tum ſi E hæc elementa ſunt prima mixtorum principia, dum ipſi per ignem affirmant diſſolvere mixta in illa, in quacumque parte, in quam illa diſſolvant, erunt incorporea hæc principia cum virtutibus ad omnes res producendas.

§. IV.

Sancitur communis doctrina principiorum mixti.

Reſolvendum tertiò, quod mixta fiunt ex quatuor elementis, igne, aëre, aqua, & terra, tanquam ex primis principiis, ac miſcibilibus. Hæc eſt doctrina recepta ex communi conſenſu omnium Philoſophorum, & Medicorum rationalium.

Probatur: Mixta debent fieri tanquam ex primis principiis, & propriis miſcibilibus ex atomis, & ſale, ſulphure, & mercurio, aut ex quatuor mundi elementis, igne, aëre, aqua, & terra: Sed non fiunt ex atomis, nec ex principiis Spagyricorum, ut probavimus: Ergo fiunt ex igne, aëre, aqua, & terra. Sic demonſtravimus *tom. 1. Reſolut. Medic. ſect. 2.* & conſtabit ex dicendis.

RESOLUTIO II.

Qualiter elementa remaneant in mixtis.

§. I.

Proponuntur variæ Philoſophorum, & Medicorum opiniones.

Fit mixtum per mixtionem elementorum; docet enim Ariſtoteles *lib. 4. meteor.* quod mixtio eſt miſcibilium alteratorum unio. Cùm igitur maneant elementa unita ſub forma mixti illa informante, reſtat examinandum, qualiter ſub illa permaneant.

Prima opinio eſt, quod elementa in mixtis manent cum ſuis formis ſubſtantialibus, quam tribuunt aliqui Platoni; illam docuerunt Anaxagoras, & Empedocles, & receperunt alii, licèt non eodem modo. Avicenna *1. ſufficientiæ, cap. 10.* tenet elementorum formas in mixto integras, & perfectas remanere, ſicut in univerſo, & in ſuis propriis locis; ſed qualitates eorum interire, & ex earum refractione ſupervenire aliam, quæ dicitur temperamentum qualitativum mixti. Averroës *lib. de generat. comm. 90.* & *lib. 3. de cælo, cap. 67.* tenet formas elementorum per materiam æqualiter fuſas, actu permanere in mixto remiſſas, & refractas, ſicut illarum qualitates. Inter admittentes elementa in mixto, alii unum ſufficere contendebant pro quovis mixto; nam aut requiritur elemen-

tum pro ſua activitate, & ſufficit ignis; aut ut præſtet materiam pro illo, & ſufficit terra. Hippocrates *lib. de natura humana*, demonſtravit omnia quatuor elementa requiri pro quolibet generando perfecto mixto.

Secunda opinio tenet, quod elementa ſunt in mixto ſecundùm ſuas materias, non ſecundùm ſuas formas ſubſtantiales; formas tamen elementorum contineri in mixtis virtualiter eminenter, quatenus illas virtualiter eminenter continet forma mixti; & ob hanc continentiam valent producere omnes primas qualitates, quæ ſunt propriæ elementorum.

Tertia opinio eſt aliorum, qui negant formas elementorum manere in mixtis, & ſimul contendunt, quod licèt remaneant virtutes, & qualitates elementorum, non eſt neceſſarium, quod remaneant elementorum materiæ. Sic contendit Carreirus, & illius ſubſcriptor Matamoros, non quia ab aliquo ſit priùs dictum: ſed Carreirus hoc profert placitum, ut diximus *tom.* 1. ut fingat hoſtem contra quem pugnet, contendens quod admittentes elementales elementorum partes in mixtis, aſſerant quod ſunt inter ſe penetratæ. Hanc doctrinam ſatis diſputatam reliquimus *tomo* 1. *Reſol. Medicar. diſput.* 1. *ſect.* 2. quæ ibi videantur; ſolùm enim hìc proponemus, quæ ad intelligentiam coctionis erunt neceſſaria, de qua diſputamus.

§. II.

A mixto rejicienda forma elementorum.

Reſolvendum primò, quod non ſunt admittendæ formæ elementorum in mixtis, ſed ſola forma ſubſtantialis mixta. Sic protulimus *tom.* 1. *Reſol. Medic. diſp.* 1. *ſect.* 2. contra Anaxagoram, Empedoclem, Avicennam, Averroëm, Albertum Magnum 3. *de cælo, tract.* 2. *cap.* 1. Philoponum *in text.* 64. Jandunum 6. *phyſic. q.* 4. Fernelium 1. *Phyſiolog. cap.* 6. & contra plures Avicennæ ſectatores. Noſtram ſententiam docent D. Thomas *opuſc.* 33. & 1. *part. quæſt.* 76. *art.* 4. & ibi Caietanus, & citati à Conimbricenſibus, Scotus, Gregorius, Capreolus, Joannes Major, Argentinas, Gabriel, Richardus, Ochamus, Harvæus, Soncinas, & alii plures.

Probatur: Si in mixto eſſent actu formæ elementorum, aut eſſent refractæ, ut tenet Averroës, & tunc non eſſet ſubſtantia, quia ex Ariſtotele *in prædicamentis*, hæc non recipit magis & minus: nec etiamſi ſit inadæquata, ut tenet Averroës, quia adæquatum mixtum factum ex illa

A nequit magis & minus ſuſcipere per ſuas partes. Præterea illæ formæ elementorum aut ſunt ſecundùm ſuas dimenſiones, & ſe penetrant, quod repugnat; vel ſeorſim ſunt poſitæ, & tunc ſicut quælibet in ſuo loco non facit mixtum, eſſet pars ſimplex, & ſine mixtione diceretur mixta. Tum quia mixtum componeretur ex pluribus entibus per ſe, & in actu, & eſſet ens per accidens, & elementorum acervus, non autem unum per ſe mixtum, & ens phyſicum, quod reprobat Ariſtoteles 5. *phyſ.*
B *cap.* 4. & eſſet idem mixtum, ſicut per ſuam formam eſſentialiter mixtum, per formas elementorum eſſentialiter ignis, & aqua, & terra: & ſicut in univerſo per eaſdem formas ſunt entia per ſe, ſic in mixtis.

§. III.

Admittitur in mixti forma virtualis continentia elementorum.

Reſolvendum ſecundò, quod licèt non
C ſint in mixto formæ ſubſtantiales elementorum, forma mixta continet illas virtualiter eminenter. Sic ſancivimus *tom.* 1. *Reſolut. Medic. citato*, deduciturque ex Ariſtotele *lib. de gener. text.* 48. *lib.* 2. *de part. animal. cap.* 1. *lib.* 3. *de cælo, cap.* 3. ex D. Thom. 1. *part. quæſt.* 76. *art.* 4. *ad* 4. quem ſequuntur Conimbricenſes *lib.* 1. *de generat.* & alii citati à nobis.

Probatur, quia in mixtis reperiuntur qualitates primæ, quæ ſunt effectus proprii formarum elementorum: Ergo de-
D bent produci ab earum formis, vel ab alia, quæ illas virtualiter contineat: Sed nulla alia forma eſt compatibilis cum forma mixta: Ergo ab illa producuntur, quatenus naturaliter continet formas elementorum.

Probatur ſecundò, quod forma mixta virtualiter eminenter contineat formas elementorum, ex dictis à nobis loco nuper citato, & præcipuè, quod per illam virtualem continentiam valeat producere non ſolùm remiſſas primas qualitates, ſed in
E ſummo, & ipſas elementorum formas. Nam virtualis continentia elementorum in forma mixta, vel ſtat in hoc, quod forma mixta virtute contineat elementorum formas, quatenus eas valet producere; vel in hoc, quod elementorum qualitates producat: Sed in qualitatum remanentia in mixto non ſtat virtualis continentia elementorum: Ergo ſtat in hoc, quod mixta forma valeat producere elementa. Probatur minor. Si propter qualitates primas

in mixto repertas virtualiter continerentur elementa in illo, ubicumque continerentur, reperiretur virtualis elementorum continentia: Sed adhuc ſi in aqua, aut terra reperiantur omnes quatuor primæ qualitates, illarum formæ non dicuntur reliqua elementa virtualiter continere: Ergo nec in mixto per ſolas has qualitates remiſſas.

§. IV.

Admittuntur in mixtis materiæ omnium elementorum neceſſariæ pro ejus forma.

RESolvendum tertiò, quod ſub qualibet forma mixta debent eſſe materiæ omnium elementorum debitè commixtæ pro illa: Sed in quavis parte mixta adæquata ſunt juxtapoſitæ partes materiales elementorum, quæ ſunt ſub forma mixta mixtæ inadæquatè.

Pro hac doctrina videnda eſt tota noſtra Sectio ſecunda diſputationis primæ, *tom. 1. Reſol. Medicar.* ubi latiùs diſputavimus, quæ conferunt pro horum intelligentia.

Probatur: Quodlibet indifferens ad plura, ut hoc potiùs, quàm illud producat, debet habere aliquod determinans, ut patet in anima indifferente ad plures potentias, quæ habet propria organa, per quæ determinetur ad illorum productionem: Sed forma mixta, ut nuper probavimus, eſt indifferens ad producendas omnes primas qualitates, & in qualibet intenſione: Ergo ut determinetur ut potiùs has, quàm illas producat, & potiùs in hac, quàm in illa intenſione, petit quod informet omnium elementorum materias, quia non eſt aliud per quod determinetur, ut loco citato demonſtravimus, ubi latiùs patet, per quid hujuſmodi materiæ quælibet pro ſui elementi qualitatibus determinet mixtam formam: quibus præſuppoſitis, pervenimus ad inquirendam coctionis naturam.

Resolutio III.

Quid ſit coctio in communi, & de ejus variis differentiis.

§. I.

Traditur definitio coctionis in communi.

RESolvendum primò, quod coctio in communi eſt actio uniens mixtorum oppoſita patibilia, & deducens mixtum in perfectiorem ſtatum ad ſuas operatio- A nes, vel in perfectiorem modum ſubſtantiæ, & in alios fines, ad quos ordinatur, proveniens à calore.

Probatur in primis, quod ſit actio; non enim agimus de termino coctionis, qui eſt unio miſcibilium; nec de calefactione, per quam aufertur impedimentum, ut partes uniantur, quod erat redundans humor; ſed de ipſa actione, per quam oppoſita patibilia magis uniuntur pro requiſito mixtionis modo; nec de unione ut eſt motus B localis abſolutè, ſed ut eſt, per quem mixtum acquirit perfectionem, quâ carebat, requiſitam ad proprias mixti operationes, vel ad requiſitum eſſe pro finibus, in quos mixtum eſt à natura deſtinatum: & de hac perfectione agimus, prout acquiritur à calore.

§. II.

Coctionis prima proponitur diviſio.

RESolvendum ſecundò, quod coctio alia eſt propriè talis, quæ dicitur matura- C tio; alia eſt elixatio, alia eſt aſſatio. Sic docuit Ariſtoteles *lib. 4. meteoror.* & tenent ejus Commentatores.

Diximus in definitione, quod coctio deducit mixtum in perfectiorem ſtatum ad ſuas operationes, vel ad alios fines. Propria coctio, ſeu maturatio, eſt per quam mixta perfecta, quæ licèt in ſuo eſſe ſiant perfecta per ſua miſcibilia, & ſuas formas ſubſtantiales, novam tamen acquirunt perfectionem ad ſuas operationes, quam acquirunt per modum novum ſupervenien- D tem per coctionem, per quam ſuperfluo humore reſoluto à calore, ab illo uniuntur oppoſita patibilia, quæ ſunt partes materiales mixti, & elementorum humidi & ſicci; per quam unionem; & acquiſitum ſubſtantiæ modum à ſuo præcipuè calore proprio & naturali fructus maturantur, & in ſuam feruntur perfectionem; & animalia in ſtatum debitum pro ſuis operationibus, quem à principio ex vi mixtionis non acquirunt, quia in conformatione organorum major requirebatur humiditas, E quâ à calore reſolutâ, aufertur unionis impedimentum cum ſicco elemento: & de hac maturatione, quæ eſt perfectio debita præcipuè viventibus, agunt præcipuè Philoſophi cum Ariſtotele *lib.4.meteor.*

De coctione, & elixatione licèt aliqua egerit Ariſtoteles loco jam citato, præcipuè agunt Medici; qui non tam agunt de perfectione mixti ad agendum, ſed de perfectione & coctione alimentorum, per quam acquirunt perfectionem, per quam poſſint

poſſint aſſimilari viventibus, & illorum partes nutrire, & augere: & coctiones quæ fiunt circa alimenta, vocantur elixationes, aſſationes verò ſi externæ.

§. III.

Elixationes, & aſſationes quæ fiunt in ordine ad vſum alimentorum, & nutritionem dividuntur.

RESolvendum tertiò, quod elixationes, & aſſationes aliæ fiunt ab arte, ut alimenta præparentur, & fiant aptus cibus; aliæ fiunt à natura intra partes noſtri corporis.

Probatur; eſt enim elixatio, coctio quæ fit in humido; aſſatio verò, coctio quæ fit in ſicco. Quod autem utraque fiat ab arte, & à pharmacopæis pro medicamentorum præparatione, & à Medicorum miniſtris pro uſu alimentorum, omnibus conſtat. Quod autem fiat aſſatio circa alimenta intra noſtrum corpus, quæ poſſit eſſe illorum perfectio ad nutriendum, nondum apparet; bene tamen de elixatione, quæ in noſtro corpore fit vel in officinis communibus, ut in ventriculo, perficiendo alimenta, vt fiat chilus; vel in iecore, perficiendo chilum, vt fiant quatuor humores; vel in liene, perficiendo craſſiores cibi partes, vt fiat craſſior nutritivus ſanguis; vel fit coctio, ſeu elixatio ſanguinis in omnibus particularibus corporis partibus, vt ex illo fiat illarum nutritio, & augmentatio.

§. IV.

Coctio eorum quæ perficiuntur in corpore, triplex apparet.

RESolvendum quartò, quod præter maturationem Medici triplicem coctionem admittunt à noſtro calore provenientem, coctionem ſcilicet in iuvativo, in nocitivo, & in perfectivo. Sic tenent Nuñez *in Comm. lib.*1. *aphor.* 22. Carreirus, Matamoros, & alii.

Probatur: Tum quia circa materiam benignam ab actione caloris naturalis fit coctio, per quam plurima pars alimenti tranſit in aliam perfectiorem intentam à natura. Sic in ventriculo ex alimento per coctionem fit chilus, in iecore ex chilo fit ſanguis, ex ſanguine per coctionem fit nutritio: & hanc coctionem vocat Avicenna *fen* 1. 1. *doctrina* 6. coctionem in iuvativo, à qua excluduntur actiones, quæ producunt ſubſtantias ab intentione naturæ alienas, quidquid contrarium te-

A neat Nuñez; hæc enim coctio ſolùm habet pro termino ſubſtantiam, quæ pro iuvamine viventis perficitur, ut ipſe ex Auicenna deducit, dicente: *Digeſtiva verò eſt illa, quæ quod attractiva attraxit, & tenuit retentiva, in eſſentiam convertit præparatam operationi virtutis in ea permutationem facientis ad complexionem, quæ converſioni nutrientis in effectu eſt competens; hæc eſt enim eius operatio in iuvativo, quæ vocatur enhenda, ideſt coctio.*

Tum ſecunda coctionis acceptio, quæ fit
B circa alimentum, eſt illa quæ fit circa materiam non omnino aptam, per calorem præter naturalem, ſiue cum naturali commixtum, ſiue cum materia coctioni inepta ſuo modo coaptatum, quæ licèt aliquo modo valet regulari, ne incorruptionem omnimodam habeat, non tamen vt pro nutritione deſeruiat: ſed agens circa nocitivum eum terminum conſequitur, qui pus vocatur: & hæc coctio dicitur in nocitiuo, ab Auicenna, & ſuppuratio, quæ eſt triplex: ſi ſuperat naturalis calor, vt in-
C quit Nuñez, eſt optima ſuppuratio; ſi vincit calor extraneus, eſt peſſima; ſi uterque calor eſt medius, media fit ſuppuratio, & in pure apparent vtriuſque caloris indicia: quod explicat Auicenna loco citato, ubi agens de hac coctione, quam vocat in nocitivo, ſive in ſuperfluitatibus, diſtinguens eam ab illa quæ fit in materia benigna, & apta nutritioni, inquit: *Eius generatio in ſuperfluitatibus eſt, ut ſi poſſibile fuerit, eas in hanc mutet diſpoſitionem, quæ etiam vocatur digeſtio; aut earum egreſſionem in membro, in quo ſunt*
D *retenta, facilem efficiat cum expulſione earum, attenuando eſſentiam, ſi quod prohibet, fuerit groſſum.* Ubi præſcribit finem huius ſecundæ coctionis, quæ licèt non acquirat perfectionem in juvativo, ut ſubſtantia cocta poſſit nutrire, acquirit tamen in materia pro nutritione inepta perfectionem, ideſt in nocitivo, ut producatur ſubſtantia ſeparata ab utili, quæ cùm fiat objectum expultricis, vel à toto à natura expellatur per criſes, vel ſi eſt in ali-
E quo membro, per ſuas qualitates partes continentes attenuet, ut reſolvatur, vel rumpat, ut expellatur.

Tum tertia acceptio coctionis vocatur à Nuñez contemperamentum, quando ſcilicet ratione ſupervenientis temperiei ætativæ, materialis cauſa antiquorum morborum poteſt regulari & terminari, juxta quam coctionem, ſeu actionem caloris, ſeu temperamenti ſic contemperati finiuntur morbi longi, cauſâ illarum regulatâ: quod

quod videtur doceri ab Hippocrate *lib.6. epidem. comm.* 1. *text.* 6. docente: *Morbos ſimul nutritos deſinere in ſenecta, & per coctionem, & per ſolutionem, & rarefactionem:* ideſt per coctionem à contemperamento in illa ætate acquiſito conſequutam.

RESOLVTIO IV.

Utrum definitio Ariſtotelis pro coctione tradita ſit bona, & omnibus differentiis apta.

§. I.

Coctionis definitio improbatur ex Argenterio.

Ariſtoteles *lib.* 4. *meteor. cap.* 2. dicit, quod coctio, *eſt perfectio à calore naturali, tum proprio ex oppoſitis patibilibus, quæ ſunt unicuique materia.* Argenterius ſua argutie & conatu contradicendi omnium Authorum ſcriptis, *in lib. art. medicinalis,* omnes coctionis definitiones ab illis traditas contendit impugnare. Carterius doctiſſimus, *cap.* 2. *de natura coctionis*, invehitur in illum, & reprobat ejus impugnationes; ſed præcipuè Argenterius contra adductam definitionem plura opponit.

Primò, quia *perfectio* eſt genus remotum reſpectu coctionis. Tum ſecundò, quia hæc definitio convenit etiam generationi, quæ à calore fit ex propriis materiis. Tum tertiò, quia non docet quid patitur materia à calore concoquente. Tum quartò, quia vocat Ariſtoteles concoctos fructus, dum ſunt perfecti ad generandum, & concoctam materiam ſupputatam, in quibus non explicatur coctionis terminus. Tum quintò, quia hæc definitio non competit aſſationi, & elixationi, quæ non fiunt à calore proprio: Ergo hæc definitio non eſt admittenda.

§. II.

Definitio Ariſtotelis traditur pro maturatione.

Reſolvendum primò, quod Ariſtoteles intendit definire coctionem, quæ dicitur maturatio, per quam mixta, præcipuè viventia acquirunt perfectionem ad proprium operari; & huic integrè adaptatur. Probatur, quod hanc intendit definire, quia ut diximus, viventia præcipuè, & mixta totam perfectionem eſſentialem recipiunt per ſuas formas ſubſtantiales, quantum ad ſuum eſſe perfectum, in ordine ad ſe, non in ordine ad ſuas operationes; & ideo natura præſtitit naturali calori, quod tractu temporis acquireret illam perfectionem per coctionem, quæ maturatio dicitur: & hanc intendit Philoſophus definire; & ipſi ex toto adaptatur definitio Ariſtotelis.

Probatur ſecundò, quod illi competat, ex ejus explicatione. Particula *perfectio*, eſt ratio generica ad generationem, mixtionem, & alias naturales diſpoſitiones, quæ ſuperſunt in mixto, quæ excluduntur, quia non ſuperveniunt ex unione temporis progreſſu acquiſita per calorem in oppoſitis patibilibus, ad differentiam perfectionis, per quam recipit eſſe per generationem; & perfectionis, per quam recipit temperamentum ſubſtantificum per ſubſtantias elementorum in mixtione, & perfectionem in temperamento qualitativo per alterationem acquiſito.

§. III.

Definitio Ariſtotelis licèt non omnimodè, ſuo tamen modo convenit elixationi, & aliis differentiis.

Reſolvendum ſecundò, quod diffinitio coctionis, quam Ariſtoteles adaptat maturationi, poteſt aliqualiter adaptari elixationi, & largo modo reliquis adductis acceptionibus coctionis.

Integram nos adduximus diffinitionem pro omnibus acceptionibus, quas adduximus coctionis: Sed licèt Ariſtoteles, ut Phyſicus diffiniat veram coctionem, tamen Medicus acceptiones coctionis ſuo modo explicat. Contendit ille explicare coctionem perfectivam mixti jam geniti. Contendunt Medici explicare coctiones, & perfectiones, quæ in alimentis intra corpus perficiuntur pro concoquendo alimento, & illud coaptando & perficiendo quantum poſſibile fuerit pro nutritione, vel benigniori ſtatu, & illi proximiori.

Probatur, quod definitio Ariſtotelis elixationi præcipuè adaptetur ſuo modo; eſt enim elixatio perfectio, quæ ſupervenit in alimento in ordine ad nutriendum vivens, ſubſequuta per unionem in oppoſitis patibilibus illius, quæ partim fit à calore proprio alimenti, quod concoquitur: & licèt ab illo non fieret, ſufficit quod fiat à calore naturali viventis; quod explicat Ariſtoteles in diffinitione, dicens quod unio illa petit fieri à calore, tum proprio rei, quæ coquitur; tum naturali, id eſt coaptato, & proportionato alimento pro ſua acquirenda ad alendum perfectione.

Probatur ſecundò, quod aliquo modo poſſit

poſſit adaptari hæc definitio coctioni pro- A veniénti ex contemperamento quod acquiritur dum morbi connutriti ſubjecto in mutatione ætatum curantur à calore eum tali temperamento, ex quo ablatis morbis, & eorum cauſis concoctis, perficitur vivens.

Probatur tertiò de elixatione, & aſſatione per artem factis in alimentis, quod æquivocè illis adaptetur tantùm coctionis diffinitio, quatenus remotè diſponuntur, & perficiuntur, ut poſſint abſumi, ut coquantur pro viventium alimento, & nu- B tritione.

§. IV.

Argenterii obiectiones ſolvuntur.

AD primum reſpondetur, quod proximum genus coctionis eſt *perfectio*; hæc enim intenditur à natura per coctionem, ut adimpleatur in ſuo eſſe neceſſario ad operandum, & in eſſe perfectionis hæc genericè convenit cum aliis perfectionibus, quas mixtum acquirit in ſuo C eſſe, in ſuorum elementorum commixtione, & in ſuarum qualitatum contemperatione, à quibus differt per differentias ſuperadditas. Tum pro ſecundo, quod eſt proprium generis, quod ſub illo conveniat definitum cum aliis, à quibus differt per reliquas definitionis particulas. Tum pro tertio, quod docet, quod perficitur mixtum ex unione acquiſita in oppoſitis patibilibus. Tum pro quarto, quod in utriſque fit coctio, in fructibus maturatio, in humoribus coctio in juvativo, aut in D nocitivo. Tum pro quinto, quod Ariſtotelis definitio traditur pro maturatione, cui propriè convenit, ſed adaptatur etiam reliquis coctionibus, ut diximus.

Resolvtio V.

Utrùm per coctionem uniantur oppoſita patibilia.

§. I.

Proponitur ratio propoſitæ difficultatis.

CUm conſtet ex diffinitione adducta coctionis ex Ariſtotele, quod coctio eſt actio quædam, per quam mixtum præcipuè vivens perficitur in ſuo eſſe ad operandum per perfectionem receptam in oppoſitis patibilibus, reſtabat determinare, per quid acquiratur hæc perfectio? Et Ariſtoteles, & Galenus, & omnes eorum diſcipuli ſine controverſia receperunt omni ætate, quod conſiſtit in quadam unione humidi cum ſicco, facta à naturali calore; ſicut putredo, quæ coctioni opponitur, conſiſtit in quadam deunione earundem partium miſcibilium.

Quâ ſic ſancitâ doctrinâ, & ab omnibus receptâ, ex receptioribus unus Doctor Matamoros *lib. 4. diſput. de febribus, tract. de coctione, & putredine, diſputat. 5.* contendit antiquam hanc pervertere doctrinam, dicitque, quod omnes Philoſophi, & Medici, tum veteres, tum juniores, quotquot hactenus ſcripſere, affirmant in coctione reperiri partium humidarum cum ſiccis unionem, & hanc ſic receptam doctrinam tenet expreſſè doceri ab Ariſtotele *lib. 4. meteor. cap. 1. §. Simplex autem, naturaliſque ortus: & §. Quamobrem quæ putreſiunt: & §. & viventia putridis in rebus innaſcuntur.* Ex quibus omnes illam receperunt, & ſuperaddit: Hæc tamen communis ſententia, quæ aſſerit, in coctione dari unionem partium humidarum cum ſiccis, ſicut in putredine earundem ſeparationem, mihi videtur improbabilis, & omninò fictitia. Ubi fatetur, à nullo alio ſuam opinionem foveri, plurimumque immoratur, quod forſan Carreirus illam inſinuaſſe videtur.

§. II.

Tuemur veram Philoſophorum, & Medicorum communem doctrinam.

REſolvendum, quod Matamoros fruſtra conterit tempus in conatu evertendi veram, & ab omnibus receptam antiquam Philoſophorum Peripateticorum, & Dogmaticorum Medicorum doctrinam, ſimul & juniorum à quibus gloriatur recedere.

Reſtat probanda hæc Reſolutio impugnando fundamenta, quæ proponit, & per quæ dicit convictum ſe eſſe ad antiquam deſerendam doctrinam Matamoros. Primò quia ipſe contra communem ſententiam pro ſuo placito aſſerit, quod eſt contra Ariſtotelem, & Galenum, E & utramque ipſorum familiam, pro ſe adducens ſolum Carreirum, qui licèt dodoctus, & acutus, nequit onus ſuſtinere contra tam præclaros Magiſtros, & familias. Tum quia tenet, quod ſua aſſertio non palam fuerit prolata à Carreiro, ſed quod poteſt deduci ex ſuis doctrinis; nam *fen. 1. 1. diſput. 4. cap. 11.* vituperat aſſerentes in omnibus paſſionibus mixti humidum & ſiccum paſſivè ſe habere: quod nihil convinceret, adhuc ſi probaret,

cùm

cùm humidum, & ſiccum ab Ariſtotele etiam admittantur inter primas qualitates activas. Secundò tribuit illi ſuam aſſertionem, quia negat partes materiales elementorum in mixto, quod nihil convincit; nam negat penetrationem illam, quod nos fatemur: ſed demonſtravimus contra iſtos Authores *tom.* 1. *Reſol. diſput.* 1. partes materiales elementorum juxtapoſitas, eſſe neceſſariò admittendas in omni mixto: ex quo convictæ manent aliæ propoſitiones Carreiri, quas pro ſe adducit Matamoros ſine aliquo fundamento.

Probatur ſecundò improbabile placitum Matamoros, quod ſecundò confirmat, dicens quod non eſt audienda communis ſententia aſſerens in productione mixti calorem, & frigus habere vim uniendi miſcibilia; quia hoc reprehendit Carreirus *fen.* 1. *diſput.* 4. *cap.* 11. quia in mixtione non ſolùm humida & ſicca miſcentur, ſed omnia.

Sed hæc improviſa ratio aberrat ab intento. Nam aliud eſt loqui de cauſa mixtionis, per quam mixtum recipit eſſe; aliud de cauſis, aut effectu coctionis, per quam mixtum jam genitum recipit perfectionem ſibi debitam, quam non acquiſivit in prima ſui productione. Pro hac Ariſtoteles definiens coctionem, aſſignat pro cauſa naturalem calorem. Pro cauſa mixtionis *tom.* 1. *citato*, aſſignavimus virtutem cœleſtem, quam admittit Carreirus, divinam virtutem in prima mixtorum creatione, & facultatem formatricem in mixtorum generatione.

Probatur tertiò: Matamoros cum Carreiro intendit etiam ſuadere ſuum placitum loco citato, quia calor & frigus ſe habeant activè; humiditas, & ſiccitas paſſivè. Primò, quia cùm coctio ſit mixti paſſio, ſicut & putredo, illæ debent recipi in omni mixto, non in paſſivis illis elementis. Secundò, quia humiditas, & ſiccitas ſunt etiam activæ qualitates.

Sed eſt hoc fundamentum debile, & indignum eſt tanto viro, ut roboret illud: dicere enim quod coctio & putredo debent dici paſſiones mixtorum, non tollit, quod proveniant ex modo mixtionis in oppoſitis patibilibus. Proprietates enim videndi, & aliæ gradus ſenſitivi ſunt hominis, licèt proveniant ab appropriatis organis. Secundò puerile eſt dubitare, an ſint omnes primæ qualitates activæ, cùm ex Ariſtotele omnes id cognoverint ſimul; & etiam puerile eſt dubitare, quod calor, & frigus comparativè ad oppoſita patibilia, quæ valent unire, aut deunire, dicantur peculiari modo activæ, & aliæ paſſivæ.

Probatur quartò debilitas fundamentorum Matamoros; ſuperaddit enim primò, quod adhuc in putredine non apparet, quod ſit deunio humidi à ſicco: ex quo poſſet probari illorum unio. Secundò, quod non fuit neceſſarium in natura viventia produci cum excedente humore, & quod petat mixtum vivens coctione perfici ad agendum, unitis à calore miſcibilibus. Tertiò, quod adhuc per calorem non poſſet reſolvi humidum excedens, quia calor eſt valens omne humidum reſolvere.

Sed nulla eſt vis in iis rationibus. Tum patet in prima, in qua ille admittit in aliquibus putridis apparere humiditatem deunitam: & licèt in aliis non ita eſſet conſpicua, hoc manifeſtum indicium convinceret de omnibus. Præterea in omnibus mixtis putrefactis apparet externarum partium mollities, quæ ex Ariſtotele provenit ab humiditate; non à ſuperaddita, quia ſæpe ſine illa fit putredo; nec ab ea quæ priùs permanebat ut unita: Ergo ab illa ut in proprio mixto deunita.

Tum patet in ſecunda, quæ contendit ſuperadditam humiditatem non fuiſſe neceſſariam in mixtis viventibus, & ideo neque calorem quo reſolvatur, nec coctionem quâ mixtum perficiatur. Sed contrarium docet experientia in pueris, qui ſunt humidioris habitus, & in prima infantia, in qua nequeunt ob nimiam humiditatem ambulare, donec à proprio calore reſolvatur, & partes ſiccitate roboratæ poſſint ſubſiſtere. Præterea, quia licèt in elementis, & aliis mixtis recipientibus in primo eſſe totam ſuam perfectionem, & partium homogeneam naturam, non requiratur excedens humidum, eſt tamen neceſſarium in viventibus, quæ cùm componantur ex heterogeneis, & organicis partibus, requiritur quædam apta humiditas, ut conformentur, quæ niſi mixtione reſolveretur mutata per coctionem, non maneret vivens aptum pro omnibus debitis actionibus.

Tum pro tertia, quæ intendit, quod adhuc ſi admittatur excedens humiditas, non apparet cur potiùs vna pars ejus reſolvatur à calore, quàm tota humiditas omnium partium, debilitatem arguit proponentis. Tum quia hæc ratio poſſet probare, quod ſi tota aqua lebetis non reſolvitur ſimul, nec poſſet reſolvi pars illius ab igne. Præterea, quod nihil humidi reſolvitur à febre ardente, quia non fuit reſoluta ſimul tota humiditas viventis.

Probatur quintò ex impugnatione alte-

rius illius fundamenti, in quo contendit impugnare unionem fieri per coctionem, quia nec eſt de eſſentia coctionis, nec proprietas illius. Non eſt de eſſentia coctionis, quia coctio eſt alteratio, & non poteſt eſſe motus localis. Nec eſt ejus proprietas, quia non eſt conditio requiſita ad operandum. Nec poteſt dici approximationis conditio, quia partes materiales mixti, ſi admittantur in illo, debent eſſe penetratæ, & non poſſent approximari jam penetratæ.

Sed non minùs ſunt invalidæ hæ impugnationes. Nam eſt controverſia contra communem opinionem aſſerentem, conſiſtere coctionem in unione miſcibilium, & ipſe impugnat illam dicens: Eſt alteratio: Ergo non mixtorum unio; & ſine alia probatione, cum hac futili ſuppoſitione pertranſit ad alias cavillationes inutiles. Pertranſit tamen ad aliam quæſtionem, in qua inquiritur circa definitionem coctionis, an fiat à calore, ut docet Ariſtoteles, quam nos diſputavimus nuper.

RESOLVTIO VI.

Utrum cujuſlibet coctionis ſit cauſa calor.

§. I.

Præcipuæ ſpecies coctionis aſſignantur, & pars negativa proponitur.

DUo ſub hoc dubio examinanda ſunt, an à calore ſcilicet fiat coctio, & quomodo fiat ab illo. Duæ ſunt differentiæ coctionis, de quibus præcipuè currit difficultas; maturatio, quæ eſt perfectio quæ acquiritur in viventibus ad ſuas operationes, quæ præcipuè ſpeculatur à Philoſophis; & elixatio, per quam perficitur alimentum pro viventium nutritione, quæ maximè neceſſaria pro Medicis. De utraque dubitatur; an fiat à calore, ut proponit Ariſtoteles *lib.* 4. *meteor.* in coctionis diffinitione. Carteirus *in fen.* 1. agens de coctionis natura, *cap.* 5. contendit probare, quod coctio fiat ſimul à frigore. Tum quia Ariſtoteles *lib.* 4. *meteor.* pluries proponit, quod generationes fiant à calore, & frigore. Tum ſecundò, quia ex Theophraſto apparet, aliquos fructus non maturari, niſi frigore. Tum tertiò, quia Galenus *lib.* 1. *de facult. cap.* 1. inquit: *Nam ſi quis in animalibus, & ſtirpibus calidum & frigidum magis agere, humidum & ſiccum pati dixerit, Hippocratem ſubſcriptorem habuerit; ſi enim in animalibus, & plantis agit frigus, non eſt cur hanc actionem non producat.* Tum quartò; nam maturatio, & elixatio differunt: ergo etſi altera fiat à calore, altera debet fieri ab aliis qualitatibus. Tum quintò, quia quæ coquuntur, craſſiora evadunt: ſed calor attenuat, & conſequenter nequit concoquere. Tum ſextò, quia alimentum concoquendum ſæpè eſt calidius parte à qua coquitur, & ideo nequit ab illa calefieri, nec concoqui per calorem.

§. II.

Sancitur, quod omnis coctio fit à calore.

REſolvendum, quod maturatio, & elixatio, & ſuo modo reliquæ coctiones proveniunt efficienter à calore in proportionato temperamento coëxiſtente. Sic ſancivit Ariſtoteles, quem ſequutus fuit Galenus, & omnes illorum ſectatores.

Probatur primò ex Ariſtotele *lib.* 4. *meteor.* præcipuè *cap.* 2. ubi ſic definit coctionem: *Eſt perfectio à calore naturali, tum proprio, ex oppoſitis paſſibilibus, quæ ſunt unicuique materia.* In qua definitione pro utraque coctione proponit pro cauſa calorem, *propriam* pro maturatione, quæ in viventibus, & fructibus vim retinet maturandi, & deducendi illa in perfectiones ſibi debitas juxta proprias illorum naturas. Superaddit, *& naturalem*, ut explicandum calorem, à quo fit coctio in elixatione, quæ licèt aliquo modo ab interno adjuvetur calore, tamen efficiens principale eſt calor externus viventis, ut naturalis, & proportionatus alimento coquendo; ſi enim eſſet improportionatus, potiùs corrumperet, & cauſaret putredinem. Poſtea idem repetit dicens: *Nam quæ concoquuntur, ſimul ac cocta ſunt, perfecta habentur, & id planè, quod potentia erat, actu ſtatim obtinet, perfectenſque origo, & cauſa propria, nativoque rei concoquendæ calori aſſignatur, etiamſi illa adjamento aliquo extrinſecus adhibito compleatur.* Plura hujuſmodi repetit pluribus in locis; ſimiliter & Galenus, præcipuè *lib.* 5. *de ſimp. medicam. facult. cap.* 7. inquit: *Nam id genus omnia vetuſtate prorſum efficientur pinguia, quippe in quibus aquea quidem, excrementitiaque humiditas digeritur: propria verò à calore nativo elaboratur, atque exactè concoquitur.* Tum patet; nam pro coctione duo requiruntur: alterum quod reſolvatur ſuperfluum humidum, quod impedit debitam unionem partium humidarum cum terreis, & quod ablato illo impedimento, reſiduum humidi uniatur cum partibus

terreis

terreis modo debito pro conſiſtentia requiſita ad perfectas mixti operationes: ſed id totum à ſolo calore poteſt præſtari, de cujus eſſentia eſt, quod diſgreget, & reſolvat ſuperfluum, & uniat homogeneum, quod remanet. Tum frigus licèt contemperet calorem, ut fiat naturalis rei coquendæ, nequit tamen per ſe concoquere; fit enim concoctio per coucoctricem viventis facultatem, quæ ſolo calore utitur tanquam inſtrumento ad ſuas conſequendas actiones vitales: Ergo omnis coctio, ſive maturatio, ſive elixatio, fit à ſolo calore.

§. III.

Requiritur in calore pro coctione, quod ſit naturalis.

Reſolvendum ſecundò, quod non quivis calor ſit cauſa coctionis, ſed qui naturalis, ſive proportionatus eſt rei concoquendæ. Patet ex definitione coctionis, & aliis locis ex Ariſtotele adductis, & ab omnibus receptis.

Ratio hujus doctrinæ eſt, quia calor in noſtris corporibus non ſolùm operatur ut calor nos calefaciens, ſed ut naturalis, & perfectivus, aut ut præternaturalis, & corruptivus: Ergo ut concoquat, debet eſſe naturalis, & coaptatus pro hac conſequenda perfectione. Antecedens docetur ex Galeno *lib.* 5. *de ſimplic. medic. facult. cap.* 6. ubi agens de alteratione, inquit: *Una quidem ſecundùm naturam eſt, cùm videlicet in ventre cibus coquitur, aut in viſceribus, & vaſis, qui inibi generatur ſuccus, unde rurſus pars unaquaque nutriatur: altera planè præter naturam, nempe in putreſcentibus humoribus.* Et ſuperaddit: *Siquidem alterationi ſecundùm naturam duo hæc inſunt, ut è familiari animantis materia fiat alteratio, & ab ingenito calore planè ſuperetur; ei verò quæ præter naturam eſt, & ab aliena caliditate provenit, nihil eſt utile.*

Probatur ſecundò: Si quid obſtaret Reſolutioni, maximè quia Galenus 6. *epidem. ſect.* 3. *comm.* 17. & 5. *aphor. comm.* 70. videtur deducere ex Hippocrate, quod crudi humores, ut in gravedine & quartanis, exſuperantes coquuntur à calore febrili, qui eſt præternaturalis: Sed hoc non obſtat, quia calor dicitur naturalis quatenus eſt coaptatus, & proportionatus ſubiecto in quo inhæret, aut circa quod operatur; & ideo calor febrilis eſt improportionatus temperiei viventis, & ineptus pro aliis actionibus illius; ſed com-

A paratiuè ad materiam craſſam, & viſcidam, quam debet attenuare, alterare, & perficere, eſt coaptatus, & naturalis: calor enim non vt calor naturalis, aut præternaturalis fit; ſed prout ſubiecto coaptatus: & ideo idem gradus caloris qui eſt naturalis bilioſo, poteſt eſſe præternaturalis pituitoſo; & calor remiſſus, qui in aliis eſſet diminutus, in ſenibus eſt febrilis: ideo Hippocrates febres ſenum vocat ſepultas.

Probatur tertiò: Si quid obſtat com-
B muni huic doctrinæ, maximè quia à calore ſolis, & palearum fit coctio in aliquibus fructibus: vnde patet, quod non fiat à naturali partium calore maturatio, & ab ſpirituum excedente calore alimentis præternaturali fit illorum coctio; vnde apparet, quod nec maturatio, nec elixatio petant fieri à naturali calore: Sed id non obſtat: nam maturatio non fit niſi à proprio calore; adiuvatur tamen à calore ſolis, aut palearum: quod non aufert, quin ab ipſo naturali calore præcipuè dependeat coctio,
C ut patet ex doctrina Ariſtotelis *lib.* 4. *meteor. cap.* 2. *citato*, ubi tribuens naturali calori coctionem, ſuperaddit: *Etiamſi illa adiumento aliquo extrinſecus adhibito compleatur.* Tum de elixatione dicimus, quod licèt fiat à calore ſpirituum, à naturali, & proportionato fit calore, quia operatur ut attemperatus per pulſum, & reſpirationem.

§. IV.

D *Proponitur quod concoquens calor petit eſſe proprius rei concoquendæ.*

Reſoluendum tertiò, quod Ariſtoteles per calorem proprium intendit docere calorem extrinſecum, per quem fit elixatio, qui proprius eſt ut alimentum conſequatur ſuam perfectionem ad alendum, ideſt coaptatus ad illud perficiendum in hunc finem.

Probatur ex eodem Ariſtotele, qui pro coctione has duas proponit cauſas, calorem naturalem, de quo, vt diximus, tenet
E quod poteſt coadjuvari ad maturandum per calorem externum, & ponit calorem proprium, qui alius debet eſſe à naturali, & interno, à quo fit maturatio, & conſequenter talis debet eſſe calor externus, à quo fit elixatio, per quam coquitur alimentum tanquam per proprium ſui perfectivum, vt aptum fiat pro nutritione: de hac loquitur *lib.* 4. *meteor cap.* 3. ibi: *Nam & cibi in corpore concoctio elixationi ſimilis eſt: etenim à corporis calore in humido & calido*

 fit.

fit. Vbi non loquitur de quodlibet calore corporis, ſed de proprio, ideſt appropriato ad alimenti coaptationem ad alendum. Tum *lib 2. de partib. animal. cap. 3.* idem protulit, ibi: *Sed cùm omne quod augetur, capiat alimentum neceſſe ſit, alimentum autem omnibus ex humido, & ſicco ſuppeditatur, quorum coctio & mutatio non niſi per caloris vim agitur, fit ut tam animalia omnia, quàm ſtirpes, etſi non alia de cauſa, tamen ob eam rem principium caloris naturale habeant neceſſe ſit, idque ipſum partibus ſit pluribus accommodatum, quemadmodum cibi conficiendi adminiſtrationi.* En qualiter pro coctione elixationis admittit in omnibus corporis partibus calorem, non naturalem, & intrinſecum rei coquendæ, ſed proprium *cibi conficiendi adminiſtrationi.*

Probatur ſecundò: Idem alimentum duplicem coctionem patitur; alteram quæ dicitur maturatio, ut eſt mixtum vivens per calorem naturalem, & internum rei, quæ coquitur; alteram quæ dicitur elixatio, per calorem externum receptum mediâ facultate concoquente per calorem ſubjecti alendi: Sed maturatio fit per naturalem calorem rei, quæ maturatur: Ergo elixatio per calorem viventis concoquentis, qui perficit alimentum pro nutritione, tanquam proprius in illo in hunc finem.

Probatur tertiò: Si calor naturalis, & proprius eſſent idem, omnis coctio proveniens ab illis eſſet maturatio, aut elixatio: Sed ſunt ſpecies diverſæ coctionis: Ergo quia hujuſmodi diverſæ ſpecie coctiones à diverſis fiunt caloribus, naturali inquam, & proprio.

RESOLVTIO VII.

Qualis ſit perfectio, quæ acquiritur per coctionem.

§. I.

Proponitur ratio hujus dubitationis.

Ariſtoteles *lib. 4. meteor.* definiens coctionem, dicit quod *coctio eſt perfectio:* repetitque quod *concoctio perfectio quædam eſt.* Sub dubio cadit, in quo conſiſtat hæc perfectio; nam ut Nuñez proſequitur *lib. de coctione, & putredine*, variæ ſunt perfectionis explicationes apud Authores. Cicero *lib. de Oratore*, ait: *Perfectio expletio eſt, & abſolutio rei inchoatæ.* Sic ex Ariſtotele, & Galeno ſimiles adducuntur perfectionis acceptiones, ſed adhærentes Ciceronianæ. Qualis ſit perfectio rei inchoatæ, quæ ſupervenit viventi per coctionem, reſtat inquirendum. Coctionem diximus eſſe duplicem: maturationem ſcilicet, per quam perficitur vivens in perfectione incboata in illo in ordine ad ſuas operationes: & elixationem, per quam perficitur alimentum non in ordine ad ſe, ſed in ordine ad nutritionem alterius, qui eſt finis in quem eſt productus ab Authore naturæ.

§. II.

Proponitur qualis perfectio acquiratur per maturationem in vivente.

Reſolvendum, quod maturatio eſt perfectio quæ acquiritur in vivente ad ſuas perficiendas operationes per unionem ſibi debitam in oppoſitis patibilibus priùs inchoatam. Sic patet ex Ariſtotele dicente in definitione, quod hæc perfectio provenit ex ſubjecta materia, quæ ſanè oppoſita patibilia ſua, & propria cuique rei concoquendæ ſunt materia. Cum igitur ex patibilibus oppoſitis debeat provenire, non ex deunione, quia hæc eſt corruptio: Ergo ex illorum unione debita, quæ nondum erat acquiſita.

Probatur: Viventia cùm ſint corpora organica, petunt pro ſui conformatione non ſolùm humiditatem connaturalem, ſed aliam ſuperfluam, quæ licèt utilis pro conformatione, tamen eſt inutilis, ſuperflua, & impediens debitam unionem humidi cum ſicco, requiſitam pro propriis mixti illius actionibus: Ergo ut ad perfectum eſſe deducantur. Sed perficiuntur per calorem reſolventem humidum ſuperfluum, & unientem oppoſita patibilia in unione viventi debita: Ergo in hac unione horum miſcibilium conſiſtit maturatio, & ejus perfectio. Patet antecedens in reliquis viventibus, & præcipuè in homine, in quibus ab ortu eſt maxima impotentia ad motum, & reliquas operationes, donec ſuperflua humiditate reſoluta per calorem, & terrea ac ſicca ſubſtantia mixti unita cum humido remanente, perfectio ſuperveniat ex tali unione, quâ vivens fit perfectum, & ſuas perfectè operationes perficit.

Matamoros contendit, quod coctio non tendit ad unionem partium materialium, quas negat in mixto; ſed ad quandam qualitatem ſecundam.

Sed contrà ſtat Ariſtoteles, qui in diffinitione coctionis admittit partes materiales elementorum, & quod ex commixtione illarum fit coctio. Tum quia nos *tom. 1. Reſolut.*

Reſolut. Medic. diſp. 1. *ſect.* 2. idem demonſtravimus. Tum quia alteratio quæ reperitur in coctiune, eſt calefactio, à qua fit calor, qui eſt qualiras prima, & non ſecunda. Tum quia coctio eſt perfectio, quæ opponitur deunioni paitium provenienti in oppoſitis patibilibus; & debet conſiſtere in illorum unione, & non in ſecundis qualitatibus: Ergo fruſtra fingit hanc qualitatem ſecundam innuminatam.

§. III.

Proponitur principalis cauſa, qua medio calore unit oppoſita patibilia in maturatione.

RESolvendum ſecundò, quod unionem in oppoſitis patibilibus medio naturali calore principaliter efficit in maturatione facultas conformatrix mixti viventis. Subticuit Ariſtoteles hanc maturationis cauſam, nec proſequuti ſunt reliqui, conantes plures illorum totam mirabilium, ſeu oppoſitorum patibilium unionem tribuere ſoli calori, cui licèt tribuamus totam reſolutionem ſuperfluæ humiditatis, & deunionem à reliquis, nòn poſſumus illi eidem ſoli tribuere humoris relicti unionem cum terreo, niſi pro libito velimus hoc ſancire.

Ratio fundamentalis hujus reſolutionis patet ex nuper dictis. A calore ſolo non poteſt fieri unio, & deunio miſcibilium, cùm illi ſit proprium partes humidas attenuare, deunire, & reſolvere; quod repugnat earum uniuni cum terreo elemento: Ergo ut illas valeat unire, aliqua superaddenda facultas, quæ aſſumens illum pro inſtrumento, uniat prædictas partes. Tum ſic: Se in vivente nulla alia poteſt id efficere per naturalem calorem, quàm conformatrix, quæ medio calore alias partes arrarat, alias indurat, alias hoc, aut illo modo unit, aut deunit, aut conformat: Ergo illi tribuenda principalitas coctionis, quæ fit per maturationem.

Probatur ſecundò ex doctrina à nobis tradita *tom.* 3. *prompt.* 4. ubi præcipuè de anima rationali demonſtravimus, quod idem dicendum de aliis animabus, quod ipſa formar ſuum domicilium, & propriam organizatiunem mediâ ſuâ facultate conformatrice, & ſuam perficit organizarionem, ſimul & debitam ſuorum elementorum commixtionem: Ergo ab illa, medio calore debet provenire per maturationem unio miſcibilium in oppoſitis patibilibus, quæ pertinet ad integram geniti perſectionem.

Probatur tertiò: Eidem conformatrici **A** facultati, per quam conformatur totum vivens, tribuitur conformatio partium, quæ defecerunt in prima conformatione, ut ſunt dentes intra ſeptem menſes, & intra ſeptem annos, & circa annos quatuordecim, & in fœminis ubera. Sed unio in oppoſitis patibilibus eſt perfectio debita viventi prò debita ſui conformatione: Ergo debet tractu temporis ſaltem cauſari, & perfici à facultate conformatrice rei, quæ coquitur.

Dices, quod hæc ut in plurimum debe- **B** tur generantis conformatrici, & non conformatrici viventis, qui maturatur.

Sed contrà: Ergo jam ſaltem habemus, quod non ſoli calori debeatur maturatio, ſed principaliter formatrici facultati. Tum patet, quod debeatur conformatrici rei, quæ coquitur; nam non conformarrici parenris, qui ſæpe jam non eſt in rebus: nec conformatrici prout in ſemine; quod jam corruprum: reſtat ergo ut ſit in vivente, quod maturatur, à cujus anima pullulat, & cujus eſt potentia: **C** Ergo à propria conſormatrice rei quæ maturatur, fit coctio principaliter, & unio in oppoſitis patibilibus.

§. IV.

Proponitur cauſa, qua medio calore unit oppoſita patibilia in elixatione.

REſolvendum tertiò, quod in elixatione medio calore concurrit ad unienda oppoſita patibilia facultas concoctrix, tanquam agens principale.

Ex dictis §. antecedenti conſtat, quod **D** ſolus calor naturalis nequit unire oppoſita patibilia, niſi fiat naturale inſtrumentum facultatis conformatricis in maturatione: ſimiliter aſſerimus, quod calor proprius viventis, in quo fit elixatio, ſe ſolo nequit miſcibilia unire, niſi tanquam inſtrumentum facultatis concoctricis.

Probatur ex elixationis narura. Fit elixatio in humido calido, & aſſatio in calido ſicco: utraque aut fit à calido elementali, conducenre maximè pro extrahendis chimicis remediis, & ut alimen- **E** ta præparentur in officinis: aut fir à calido proprio rei concoquentis, & ſic aſſario non pervenit ad uſum. Elixatio maximè neceſſaria eſt in omni vivente pro alimenti præparatione in uſum nutritionis, & augmentationis, quæ fiunt miniſterio facultatis concoctricis convertentis alimentum in ſubſtantiam nutriti, quod priùs plurimas patitur alterationes, & concoctiones: ut enim tenet Donatus *lib.* 1. *de maturat.* alimentum eſt veluti materia ſubjecta artifici,

artifici, in qua expolienda, & exotnanda, A ut tenet Horſtius, natura ſuas ubique vires exercet per varias coctiones in ventriculo, jecore & tertia regione factas mediâ concoctrice facultate, quæ proprio viventis calore utens pro inſtrumento, per unamquamque ſeparat inutile, & excrementitium ab eo quod nutriendo eſt utilius; & inutile expellit, utile pro nutritione retinet, & conſervat, & in totum corpus deducit mediis facultatibus reliquis miniſtrantibus gradus vegetativi.

Ex quibus facilè convincitur, quod facultas concoctrix utitur pro inſtrumento B proprio viventis calore, quod per illum ſeparat inutile, quod utile pro nutritione perficit, quod oppoſita patibilia rei nutrientis perficit per has coctiones; & cùm coctio quælibet ſit perfectio in oppoſitis patibilibus per debitam illorum unionem, ideo à calore per facultatem concoctricem elevato conſequitur vera coctionis perfectio in hac elixatione, ſeu concoctionis ſpecie.

Resolutio VIII.

Utrùm coctio ſit perfectio tantùm conſiſtens in unione in oppoſitis patibilibus.

§. I.

Pars negativa apparet ſuaderi ex Carreiro.

ARiſtoteles definit coctionem per hoc, D quod ſit perfectio. Diximus, quod hæc perfectio conſiſtit in unione miſcibilium: inquirimus an in unione, quæ fit in oppoſitis patibilibus conſiſtat, & tantùm in illa unione. Catreitus *tom. 3. tractat. de coct. capit.* 8. videtur ſuadere, quod coctionis perfectio non conſiſtat in unione ſupetveniente in oppoſitis patibilibus.

Primò, quia nulla poteſt fieri ſub mixta forma unio partium elementorum, quia ut ipſe contendit probare, ſub forma mixta non ſunt elementa, quæ uniantur, cùm E hoc ſit impoſſibile, quod ſit per ſuas formas, aliàs mixtum eſſet ens per accidens; nec poteſt eſſe per ſuas materias, niſi eſſent penetratæ, quod implicat: Ergo nullo modo eſt poſſibilis talis unio, nec perfectio per coctionem.

Secundò unio in oppoſitis patibilibus aut eſt neceſſaria, ut ex illis partes commixtæ producant ſuum temperamentum, & tunc ab illo, & non à calore fieret coctio, vel ut in unione ſubjectetur coctio, & hoc non, cùm illa ſit incapax ad recipiendam coctionem: Ergo perfect o coctionis non ſtat in unione in oppoſitis patibilibus.

Tertiò Ariſtoteles *lib. 4. me eor. cap. 5. & cap. 11.* frigus ponit etiam pro mater a coctionis, ex quo apparet, quod non fiat perfectio coctionis in unione ſ .a in oppoſitis patibilibus.

§. II.

Duplex miſcibilium unio admittenda.

REſolvendum, quod in viventibus duplex miſcibilium unio poteſt dari: alia totalis, quæ fit ex unione materierum omnium elementorum: alia partialis, quâ tractu temporis perficitur mixtum per coctionem, & per unionem in oppoſitis patibilibus.

Probatur prima pars. Tum quia illam demonſtravimus *tom. 1. diſputat. 1. ſect. 2.* Tum quia hæc eſt mixtio univerſalis, C quam docet Ariſtoteles, quod eſt omnium miſcibilium alteratorum unio. Tum quia nullum mixtum perfectum, ut demonſtravimus, poteſt generari ſine omnium elementorum materiis ſub form mixta unitis.

Probatur ſecunda pars, & quod hæc ſit unio particularis in oppoſitis patibilibus, & quæ vocatur perfectio acquiſita coctione. Nam ut patet ex dictis, provida natura, cùm non potuerit ob impedientem humiditatem tribuere viv ntibus totam perfectionem in prima g neratione ad ſuum operari, tractu temporis per maturationem ſuperfluum reſolvit, & oppoſita patibilia unit, & hac unione perficit totum cum hac partiali unione, quam abſolutè vocat perf ctionem Ariſtoteles, & quia eſt ultimum complementum, per quod natura perficit res quæ maturantur ad ſuas operationes.

§. III.

Soluuntur propoſita fundamenta.

AD primum reſpondetur, quod Carreirus in varias incidit veritatis oppoſitiones, ſiſtens in illo errore renuendi admittere partes materiales elementorum in mixtis, quem iam nos confutavimus *tom. 1.*

Ad ſecundum reſpondetur, quod unio in oppoſitis patibilibus eſt neceſſaria, ut enim illa oppoſita patibilia præſtent partium conſiſtentiam viventi pro ſibi debitis operationibus: inde conuincit experientia,

rientia , quod fructus per maturationem fiant aptiores pro ſuis finibus , & viventia pro ſuis exercendis debitis operationibus per perfectiones debitas in illis acquiſitas.

Ad tertium reſpondetur , quod Ariſtoteles dum loquitur de univerſali mixtione & perfectione acquiſita per illam , admittit quod fit per commixtionem omnium elementorum , dum definit coctionem, per quam perficitur vnio in oppoſitis patibilibus : & hanc perfectionem ponit in illorum unione , quæ perficitur à calore proprio rei quæ coquitur , media concoctrice vi , ut diximus : & aliquo modo perficitur à calore ſolis & extrinſeco,ut docet Ariſtoteles *lib.4. meteor. cap.2. §. Etiamſi auxilio aliquo eorum, quæ externa ſunt , compleatur.* Cui adhæret Galenus 4. *acut. comm.*44. *§. natura igitur.*

Resolutio IX.

Utrum quæ coquuntur, calidiora evadant.

§. I.

Ponuntur argumenta pro parte negativa.

Licèt unanimi aſſenſu Philoſophi , & Medici ſequantur Ariſtotelis doctrinam *lib.4. meteor. cap.2. &* 3. aſſerentis calidiora evadere quæ coquuntur ; tamen differunt inter ſe in oppoſitis argumentis refrangendis , & ſimul in reddenda cauſa cur quæ coquuntur , fiant calidiora. Carreirus varias Authorum refert objectiones, quas Matamoros reducit ad tres.

Prima : Ex ſanguine generatur lac per coctionem , & ex ſpiritu vitali ſpiritus animalis , & ex ſanguine oſſium medulla : Sed hæc euadunt frigidiora , quàm ea ex quibus fiunt : Ergo non omnia per coctionem fiunt calidiora.

Secundò : Coctio fit naturali & proprio calore rei quæ coquitur : Sed calor non poteſt proprium ſubiectum calefacere : Ergo non eſt à quo res quæ coquitur, fiat calidior.

Tertiò : Plures fructus amari tempore cruditatis , euadunt dulces per coctionem: Ergo minùs calidi , quia amaritudo fit à maiori calore , quàm dulcedo.

Quartò caliditas vel fit intenſior in partibus quæ reſolvuntur , & hoc non, cùm ipſæ ſeparentur à re cocta ; vel in eis quæ uniuntur , & hoc non : nam caliditis perit fieri per calefactionem , & non per motum localem unientem partes de-

A unitas : Ergo nullo modo ſupervenit caliditas.

Reſpondet Matamoros , quod per coctionem fit quædam ſecunda qualitas , à qua provenit illa major caliditas in re quæ coquitur.

Sed contrà ſtat : Tum quod non aſſignat qualis ſit talis ſecunda qualitas conficta ab illo. Tum quod ſecundæ qualitates proveniunt à primis , & non è contrà. Tum ſi primæ qualitates oriuntur ex ſecundis , & ſecundæ à primis , erit vitioB ſus circulus in illarum productione. Tum quia non apparet ratio , cur ſe mutuò valeant cauſare.

Reſpondet , quod licèt hæc qualitas ſecunda non poſſit per ſe producere calorem, determinat tamen formam ad eius productionem.

Sed contrà ſtat , quod nulla ſecunda qualitas ab Ariſtotele , nec ab aliis Authoribus determinata fuit , vt poſſet formam determinare ad caloris productionem. Tum quia ſimiles admittendæ eſſent , vt determinarent illam ad producendas alias C primas qualitates. Tum ſi daretur qualitas determinans ad caloris productionem, qualis eſt raritas , hæc non eſt diſpoſitio ut producatur calor ſe ſolo ; ſed vt producatur forma ignis , à qua fit calor , ut apparet in aëre arrarato inter corpora dura. Tum quia cogitur in hæc diſcrimina ſine aliquo fundamento , ut fugiat admittere partes materiales elementorum in mixto. Tum quia ignis , aut virtualis continentia illius , eſt cauſa naturalis in eius productione , & non indiget ab aliquo de-D terminari ad illam.

§. II.

Communis ſancitur opinio , & fundamenta.

Reſolvendum , quod ea quæ coquuntur , evadunt calidiora. Sic ſentiunt Ariſtoteles , & tenent eius ſectatores , & admittunt Medici.

Pro hac confirmanda doctrina ratio deſumenda ex eis , quæ tradidimus *tom.* 1. *reſol. Medic. diſput.*1. *ſect.*2. ubi agentes de E remanentia partium materialium elementorum in mixto , determinavimus quod forma ſubſtantialis mixta continet virtualiter eminenter formas elementorum , & quod propter iſtam virtualem continentiam valet producere illorum qualitates, & in eadem intenſione , ac producerent ipſæ formæ elementorum , ſi actu , & formaliter eſſent in ipſo mixto : & cùm quodlibet indifferens ad plura debeat determi-

nari potiùs ad hoc, quàm ad illud producendum per aliquod determinans illud, ideo neceſſariæ ſunt in omni mixto materiæ elementorum, quarum quælibet determinet formam mixtam, vt in illa ſui elementi qualitates producat, quas non producit in tota ſua intenſione, quia impeditur à qualitatibus contrariis productis in partibus vicinis reliquorum elementorum. Quibus poſitis deducitur ratio fundamentalis.

Omnis coctio intenditur à natura, vt per illam res quæ coquitur, perueniat ad ſibi debitam perfectionem, quam priùs acquirere non potuit, ob maximam cruditatem, quæ pro coctione reſoluitur, vt poſſint uniri oppoſita patibilia: Sed ablatis cruditatibus, & aqueis humoribus priùs impedientibus ſua frigiditate reſultantiam caloris à forma mixta, neceſſe eſt calorem ab illa pullulare in re quæ coquitur: Ergo & quod calidiora ab interno principio fiant, quæ coquuntur.

§. III.

Soluuntur argumenta primò adducta.

AD primum reſpondetur, quod lac, ſpiritus animales, & medulla, licèt non ſint calidiora toto mixto ex quo fiunt, evadunt tamen calidiora illis mixtorum partibus, ex quibus majori ex parte fiunt.

Ad ſecundum reſpondetur, quod coctio fit à calore rei quæ coquitur, & à propria forma rei quæ cocta eſt, reſultat intenſior caliditas in illa, vt diximus.

Ad tertium reſpondetur, quod plures fructus amari per coctionem fiunt dulces, quia reſolvuntur aliquæ partes igneæ, & remanent aëreæ magis commixtæ, à quibus fit dulcedo.

Ad quartum patet ex vltima replica, & ejus impugnationibus.

RESOLVTIO X.

Utrum quæ coquuntur, evadant craſſiora.

§. I.

Qualiter Ariſtotelis doctrina intelligenda.

REſolvendum, quod in oppoſitis patibilibus, in quibus per coctionem fit illorum perfectio, neceſſariò ſubſequitur major craſſities. Sic ex Ariſtotele receperunt Philoſophi, & Medici.

Probatur: Tum ex Ariſtotele *lib. 4. me*-A *teor. cap. 2.* dicente: *Neceſſe eſt cocta craſſiora & calidiora eſſe; tale enim fit melioris moles, & craſſius.* Et *cap. 3.* inquit: *Quare tenues ſunt rurſum rerum immaturarum ſucci, & frigidi magis, quàm calidi, & eſui, potuique inepti.* Et infrà: *Ergo ex ſpiritualibus aquea, ex aqueis terrea conſtituuntur, atque ex tenuibus ſemper craſſiora fiunt quæ cocta ſunt.* Galenus illi acquieſcit *lib. 4. meteor. cap. 5.* vbi tradit rationem dicens: *Craſſities fit humido abeunte, & ſicco coagmentato.* Et *cap. 3.* inquit: *Et hæc quidem ad ſeip-*B *ſam natura trahit, hæc expellit. Cùm ergo ille humor, qui abſumitur, fit tenuiſſimus, quod remanet, remanet craſſius.*

Probatur ratione ex dictis: Coctio fit per hoc, quod à calore reſolvatur humor crudus, & ſuperfluus in partibus, & per hoc quod à calore naturali, aut proprio ſumpto pro inſtrumento à conformatrice, aut concoctrice, vniatur humidum cum terreo ex oppoſitis patibilibus: Sed terreum unitum cum pauciore humido, & humidi portione reſolutâ, neceſſariò ſic C unitum craſſius redditur: Ergo quæ coquuntur, debent evadere craſſiora.

Carreirus, & Matamoros renuunt has partes materiales admittere, & ideo invalidè philoſophantur: Sed Ariſtoteles illas admittit, & nos illas demonſtravimus *tom. 1. Reſolut.*

§. II.

Proponuntur, & ſolvuntur aliqua obiectiones.

D PRimò opponitur, quod chilus fit ex alimento, ſanguis ex chilo, ſpiritus ex ſanguine: & hæc omnia ſunt tenuiora, quàm ea ex quibus fiunt per coctionem.

Reſpondetur, quod vt probat ratio, Ariſtoteles loquitur de illis, quæ coquuntur maturatione, non elixatione.

Secundò Hippocrates *2. aphor. 13.* docet præparare humores ad purgationem, faciendo illos fluidos, ideſt tenuiores per coctionem.

Reſpondetur, quod Hippocrates vias docet præparare, & illas apertiores reddeE re, ut fluant humores, & humores viſcidos fluidos facere per medicamenta attenuantia, & aptos humores reddere ad purgationem per coctionem; non quia per illam fiant tenuiores, ſed quia ſeparantur per coctionem à ſanguinis commixtione, & fiunt cacochymi, & obiectum facultatis expellentis.

Tertiò ſunt quidam fructus, ut pyra, & uvæ, qui per coctionem redduntur tenuiores.

Reſpon

Reſpondetur quod pyra, & uvæ ante coctionem ſunt duriores, non autem craſſiores, etſi reſiſtant magis, quia dura; poteſt enim durities adhuc ex tenſione orta reſiſtere, ut apparet in utre aëre pleno; non tamen inde ſequitur, quod ſit craſſities: hæc autem ſeparatis craſſioribus partibus rei quæ maturatur, major eſt, quia major in re matura eſt unio in oppoſitis patibilibus.

Quartò Carteirus intendit, qnod in re cocta craſſities non fit ab unione partium, ſed à partibus terreſtribus, quæ antea erant.

Reſpondetur, quod admittit craſſitiem, & ſolùm negat partium unionem, ut ſalvet opinionem negantem partes materiales elementorum. Sed fruſtra; nam extraneis partibus reſolutis, ut jam probavimus, coctione perficiuntur fructus, & unione humidi cum ſicco: ex quo convincit Galenus, futuram craſſitiem per coctionem.

RESOLVTIO XI.

Utrum à ſola perfecta coctione proveniat craſſities in re, quæ coquitur.

§. I.

Ponuntur variæ coctionum differentiæ.

PAtet ex dictis, quod variæ ſunt coctionum differentiæ. Alia eſt propriiſſima, cunctis viventibus communis, quæ maturatio dicitur. Alia minùs propria, quam ad maturationem reducit Ariſtoteles; & hæc alia proximè accedit, quæ dicitur elixatio: alia magis remotè, quæ dicitur aſſatio. Utraque harum accedunt maturationi, quia ſicut maturatio perficit rem viventem in ſuo eſſe, ſic elixatio, & aſſatio perficiunt alimenta, ut poſſint nutrire, & vivens perficere, diverſo tamen modo; nam aſſatio ſolùm perficit alimenta extra corpus, ut poſſit in illo concoqui; elixatio & ad extra diſponit, & intra corpus perficit, & concoquit.

Præterea elixatio alia eſt perfecta, alia imperfecta. Perfecta eſt quæ perfectum conſequitur terminum intentum à parte concoquente, ut dum per illam fit in ventriculo perfectus chilus, & in jecore perfectus ſanguis, veráve nutritio in aliis partibus.

Præterea à materia, quæ elixatur, alia ſumitur differentia coctionis; nam ſi eſt apta, ut rectè poſſit concoqui, coctio circa illam dicitur in juvativo, ut docuimus cum Avicenna: ſi inepta eſt, ut poſſit à noſtro perfici calore, coctio circa illam dicitur in nocitivo. Si autem elixatio fit circa materiam aptam concoqui ratione caloris inepti ad elixationem perficiendam, fit etiam coctio imperfecta, diminuta, ſi calor eſt remiſſus, ut patet dum fiunt loco chili cruditates ventriculi à diminuto calore: ſimiliter & ab illo excedente fiunt depravati ſucci, tam in ventriculo, quàm in jecore, quia aduritur concoquenda materia, & fit nidoroſa ſubſtantia, de quibus inquirimus, an in omnibus proveniat craſſities.

§. II.

Omni coctioni competit incraſſare.

REſolvendum, quod in omni coctione quæ coquuntur, evadunt craſſiora, præterquàm in ea, quæ à remiſſiori fit calore.

Probatur, quod in coctione à proprio, aut intenſiori calore. Nam ab illo fit reſolutio ſuperflui humidi, & unio ejus quod relinquitur cum terreo, & conſequenter major craſſities. Tum ultima pars conſtat, quia à remiſſo calore nec fit reſolutio ſuperfluæ humiditatis, nec ejus quæ remanet unio cum terreo elemento.

RESOLVTIO XII.

Utrum poſſint cocta incrudari.

§. I.

Cruditatis variæ acceptiones referuntur.

CRuditas eſt imperfectio, quæ petit emendari coctione, de qua Ariſtoteles *lib.* 4. *meteor.* Latiùs ab aliis præſcribitur, ut proſequitur Nuñez, & eſt crudum quod nondum ad coctionem pervenit, ut carnes nondum coctæ, & fructus non maturi. Sic Cicero de ſenectute, poma non matura vocat cruda. Juvenal. vocat crudum cibum nondum coctum. Galenus craſſos humores crudos vocat, ideſt non adeptos debitam coctionem. Et Columela crebros ructus pro ſigno cruditatis adaptat, ideſt non peractæ coctionis, vel quia abolita, diminuta, aut depravata ſit, ut docet Galenus *de differ. ſympt. cap.* 4. Medici crudos vocant humores morbos cauſantes in principiis, dum nondum pervenerunt ad coctionem in noci-

tivo. Deficit coctio in re coquenda, aut vitio A cauſæ concoquentis, caloris ſcilicet, dum ſit diminutus, vel ultra modum intenſus; aut ineptitudine rei coquendæ ſuâ naturâ, quæ ob proprium ſubſtantiæ modum, & ſua exſuperante quantitate ſit inſuperabilis à proprio calore.

Eſt igitur cruditas, ut docet Ariſtoteles, *imperfectio ob proprii caloris defectum:* vel eſt imperfectus ſtatus rei concoquendæ, dum calor proprius impeditur, ut non poſſit illam perficere, & perducere ad perfectionem ſibi deſtinatam per coctio- B nem à natura.

Diximus ſuprà, quod viventia per ſuas formas perficiuntur in ſuo eſſe eſſentiali; ſed ad ſuas operationes perficiuntur à proprio calore, dum coctione debitè uniuntur oppoſita patibilia: defectus enim hujus perfectionis eſt ſtatus cruditatis, & ipſa cruditas imperfecta unio in oppoſitis patibilibus.

§. II.

Quod ſemel coctum nequit ad prægreſſam cruditatem regredi.

Reſolvendum quod ſemel coctum, licèt poſſit regredi ad prægreſſam deunionem humidi cum ſicco, non tamen ad prægreſſam cruditatem in ſpecie.

Probatur: Nam licèt admittamus, quod id, quod coquitur, perveniat per coctionem ad unionem in oppoſitis patibilibus ut tria, & quod per putredinem, quod unitum erat ut quatuor, reddatur deunitum ut tria; illa tamen deunio, ſeu cruditas eſt D diverſæ ſpeciei; nam licèt ſpecificari videatur ab illa deunione ut tres, iſte tamen terminus localis deunionis ob diverſam tendentiam ſpecificat diverſas ſpecie actiones: coctionem, inquam, dum acquiritur per illam à calore naturali; & putrefactionem, dum acquiritur per putredinem à calore præternaturali corruptivo. Quod à ſimili patet in motu locali, quo ignis aſcendit in aërem, & grave deſcendit, licèt in eundem locum; nam ob variam tendentiam in eundem locum, motus localis deſcendentis, & aſcendentis differunt ſpecie.

Ex quo patet, quod deunio eadem miſcibilium, ſi fiat à calore proprio, eſt perfectio, & talis eſt cruditas naturalis, quæ fit putredine, & à calore præternaturali eſt corruptio, & cruditas præternaturalis; & ideo quod coctum eſt, nequit incrudari per coctionem naturaliter, ſed per cruditatem præternaturalem.

Dices, quod Galenus docet, quod coctio facit ceſſare putredinem: Ergo corrigit cruditatem; quod non contingeret, ſi eſſet præternaturalis.

Reſpondetur, quod cùm putredo deuniat oppoſita patibilia, & coctio illa habeat unire, ſive cruditas ſit à natura, ſive à præternaturali fiat calore, ſemper coctio quantum eſt ex ſe, tendit ad unionem, & in materia apta facit ceſſare putredinem.

SECTIO SECUNDA.

De fermentatione.

Varias perfectiones conſequuntur entia naturalia ſuis temporibus. Per generationem totum eſſe eſſentiale acquirunt per materiam & formam ſubſtantialem, de qua Ariſtoteles *lib. de ortu, & interitu*. Per co- C ctionem recipiunt res perfectum eſſe ad proprias operationes, in quas ordinantur, de qua Ariſtoteles *lib.* 4. *meteor*. Per fermentationem debitam acquirunt res depurationem, & miſcibilium conglutinationem, de qua paſſim aliqua tetigit Hippocrates, aliqua Plato, & Galenus confuſa, & breviter oſtenderunt, à quibus in uſum medicum tranſtulerunt Cornigius, & Bellichius minùs adſtrictè: Sennertus pauca tetigit, Spagyrici ad ſuos fornaces tranſtulerunt nomen, & quaſdam igneas operationes vocant fermentationes. Alii magis Vanhelmontio adhærentes delirantem fecerunt fermentationem, tenentes quod eſt nec ſubſtantia, nec accidens, ſed quoddam principium & cauſa omnium rerum. Ex quibus infertur, quod cùm non ſit ſubſtantia, nec accidens, conſequenter nihil eſt cauſa omnium rerum, itaut omnia non ſolùm fiant ex nihilo, ſed producantur ab eo, quod nihil eſt. Nos deliramentis iis omiſſis, inquirere conabimur, qoid ſit id quod Medici, & E Philoſophi non inſanientes vocabant fermentationem.

Resolvtio I.

Quid nominis, quid rei, & quotuplex ſit fermentatio.

§. I.

Proponuntur variæ fermentationis acceptiones.

REſolvendum primò, quod fermentatio ad varias trahitur acceptiones. Sic tenent Vvillis, Bellichius, & Coringius.

Probatur: Nam fermentatio à fermento derivatur; à fervore fermentum, quia facit fervelcere panificium, ebullire, & elevare: quod ideo noſtri vocant *levadura*, quia panem reddit leviorem. Calepinus fermentum tenet dictum, quia fervendo creſcit. Plautus tranſtulit ad iræ fervorem; inquit enim, *Mea uxor propter iram tota in fermentatione jacet*: id eſt, inflata, & irata. Collumela *lib.* 4. *cap.* 1. tranſtulit fermentationem ad terræ intumeſcentiam: *Reſupinata*, inquit, *humus, dum eſt recens ſoluta, laxaque, veluti fermento quodam intumeſcit.* Orgaſmum vocat Hippocrates 2. *aphor.* 22. ſeu turgentiam, bilis fervorem, quia fermento ſimilis. Idem confirmat *in epidemiis*, loquens de hepatis tumore: *lib. de veteri medicina*, ventriculi æſtuationem extendit ad fermentationem; *in Coacis*, humorum ſpumoſitatem dicit; *in prorrheticis*, fermentatas urinas vocat; nunquam tamen fermentationem definit. Noſtri pharmaceutici compoſitiones ex variis ſimplicibus, qualis eſt theriaca, & mithridatum, fatentur fermentari à propriis virtutibus, donec in novam tranſeant formam. Chimici per ignis ſublimationem contendunt quod fermentata aliqua metalla in novas tranſeunt formas utiles ad plures uſus medicos: & ſic communes ſunt fermentationis acceptiones, juxta varias rerum efferveſcentias.

§. II.

Fermentatio in communi deſcribitur.

REſolvendum ſecundò, quod fermentatio ut ſic, eſt quædam efferveſcentia commovens partes materiales, præcipuè miſcibilium calidorum: ſic ſuo modo poteſt adaptari prædictis variis acceptionibus.

A

§. III.

Traditur diviſio fermentationis per ſuas differentias.

REſolvendum tertiò, quod fermentatio in communi alia fit à natura, alia ab arte Medica. Utramque Vvillis comprehendit *cap.* 3. *de fermentatione*, ſub ſua definitione; inquit enim, quod fermentatio eſt *motus inteſtinus particularum, ſeu principiorum cujuſvis corporis, cum tendentia ad*
B *perfectionem ejuſdem corporis, vel propter mutationem in aliud.* Ubi primò comprehendit mutationes particularum, ſeu principiorum, quæ ex ſua naturali fermentatione ſponte moventur ob fermentationem factam à natura in perfectionem rei, quæ fermentatur; & ſuperaddit, *vel propter mutationem in aliud*, ubi includit arte factam fermentationem, ſive factam ab arte Spagyrica per ignis exaltationem, ſive à Dogmaticis in compoſitione variorum ſimplicium, quæ mutuâ reactione in aliam
C tranſeunt formam.

Præterea fermentatio, quæ fit à natura, alia à fermento ſuperaddito fit, ut apparet in panificio, in quo particulæ commoventur, partes elevantur, fervent, fiunt leviores, & rariores: in quibus vera manifeſtatur fermentatio, in ordine ad quam reliquæ cognoſcuntur. Alia eſt naturalis fermentationis differentia, in qua res quæ fermentatur, fervet à proprio fermento, ut contingit in muſto, & aliis ſuccis, ex quibus fiunt alia vina, ſeu potiones po-
D tentes inebriare.

Bellichius magis adſtrictè ſe accingit ad explicandam naturam fermentationis factæ à natura; inquit enim §. 129. quod fermentatio eſt, *Motus terræ vi ignis interni concitata, ut beneficio aquæ intermediæ areſcat, ac igneſcat.* Videtur adhærere ad Platonem, & ad Galenum, juxta quorum placitum Plato *in Timæo*, inquit: *Quandoque verò hæc eadem ex putredine attenuata anguſtas venas ingrediuntur, coguntur que partes interiores, etiam terreſtriores quodam-*
E *modo ob aereas jactatas invicem commiſceri, permixtaſque circumlabi alias, & alias ingredi, ingreſſuque ſuo penetratas concavas, tenſaſque efficere, ubi cavus, & ampulloſus humor aere confunditur, iſque humor aliàs terreus quoque modo eſt, aliàs purus, fitque ex aqua concava vaſculum aeris humidum, atque clarum; ſed quod ex pura naſcitur aqua, aquaque, ampullaque vocatur: quod autem ex faculento magis humore, ſimul agitato quidem, elatoque, & circuntenſo con-*

ficitur, ebullitio, bulla, fermentumque dicitur. Horum omnium paſſionum cauſa acida qualitas appellatur. Galenus *lib. 1. prorrhet. comm. 2.* hæc de fermentatione protulit: *Cùm in terram acetùm acre infuſum fuerit, protinus intumeſcent ſurſum quaſdam terræ partes ſimul tollit, ſique compoſitum quoddam ex terreſtri ſubſtantia, & aceti humiditate, & ex facto vaporoſo ſpiritu. Simile verò huic contingit, cùm atra bilis in terram effuſa fuerit, nempe & in utroque ſpirituoſa quædam motio evidenter fieri videtur, & ſimilis ei, quæ in fervente muſto apparet. Simile quoque & in panibus quotidie fieri videtur; cùm enim mixtâ aquâ tritici farina, miſcetur illis & fermentum mediocriter, majoris molis per ſe fiunt, unde fermentatio fieri videtur; fuſa ſimul, & intumeſcente, quæ fermentatur ſubſtantia. Quapropter & urina quæ fermentuntur, ut prorſus craſſitiem molitiem habeant, oportet ut deinde & in ea levem quandam efferveſcentiam habeant, quodque pars ſpirituoſa motionem nacta, tumorem habeat majorem, quàm cùm excerneretur, haberet.*

Has omnes commotiones miſcibilium, ſeu elementalium partium provenire à fermentatione, admittunt Bellichius & Cotingius, aſſerentes eſſe illius proprium munus attenuare, ac rarefacere, tum ſecundùm minimas quaſcumque particulas, & ſecundùm omnes dimenſiones deducere, atque extendere, ſeu maſſam, ſeu farinam, efficereque ut bene ſubacta, & piſta, tumque in clibano rectè excocta ad levitatem, & ſponginſam raritatem aſpiret.

§. IV.

Traditur ex dictis propria fermentationis definitio.

REſolvendum quartò, quod fermentatio naturalis propriè accepta eſt commotio omnium partium materialium elementorum, quæ quaſi compactæ erant, dum ab igneo calore efferveſcentes, attenuatæ extenduntur, & elevantur in perfectionem rei fermentatæ.

Particula *Commotio*, eſt ratio generica, comprehendens omnes corporum commotiones. Particulæ *omnium partium materialium elementorum*, excludunt reliqua commotionum ſubjecta, contrahuntque fermentationem ad commotionem partium materialium elementorum.

Particula *omnium*, excludit coctionem, & putredinem, in quibus licèt detur commotio partium materialium, non omnium,

A ſed tantùm in oppoſitis patibilibus, quæ uniuntur in coctione, & deuniuntur in putrefactione. At verò in fermentatione fit diverſa omnium partium materialium alteratio, attenuatio, & commotio. Particulæ, *quæ quaſi compacta erant*, explicant finem naturæ, quæ aſſurgit ad arrarandas, & attenuandas miſcibilium partes, levigandas & commovendas. Particulæ, *dum ab igneo calore efferveſcentes extenduntur & elevantur*, denotant cauſam efficientem. Particulæ, *in perfectionem rei fermentatæ*, B excludunt violentas alias harum partium commotiones, quales fiunt in hecticis febribus, colliquantibus, & aliis, quæ non fiunt, nec ſunt deſtinatæ à natura in perfectionem ſubjecti, ſicut in fermentatione.

RESOLUTIO II.

Utrum fermentatio differat à coctione & putredine.

C

§. I.

Pars negativa confusè amplectitur ab aliquibus.

ALiqui abutuntur fermentatione pro putredine, ut voluit Bellichius cum Mercuriali, & Plato videtur fateri *in Timæo*, ubi voce putredinis utitur pro fermentatione, confundens utramque, quaſi videantur partes materiales aliquo modo confundi, ſeu commoveri in utraque harum alterationum.

D Primò apparet, quod fermentatio ſit vera coctio. Nam coctio eſt perfectio, ut diximus cum Ariſtotele, à calore naturali, aut proprio in oppoſitis patibilibus: ſed per fermentationem panificium, & vinum proprio calore perficiuntur in ſua mixtione: Ergo in illis fermentatio fit per coctionem.

Probatur ſecundò, quod fermentatio non differat à putredine. Nam putredò eſt corruptio rei, quæ putreſcit à calore extraneo, & violento. Sed per fermen-E tationem mixta corrumpuntur ab extraneo calore, ut patet in tranſmutationibus in alias formas, quæ fiunt in variis compoſitionibus, & ab Spagyricis: Ergo eſt idem cum putredine, & quædam mixtorum corruptio.

§. I I.

Differt fermentatio à coctione, & putredine.

Reſolvendum, quod fermentatio eſt diverſa mixtorum proprietas ac coctio, & putredo. Annuit Zabarella, & tenent Coringius, & Bellichius. Horſtius *tom.* 2. *lib.* 10. hæſitat, & extra metas ſe exercet cum pharmacorum fermentatione.

Probatur. Tum quia coctio, & putredo ſunt ex Ariſtotele *lib.* 4. *meteor.* proprietates mixti, provenientes ex unione, aut deunione in oppoſitis patibilibus: fermentatio provenit præcipuè ex ebullitione aërearum & ignearum partium, ac reliquarum ab igneo calore. Tum quia coctio fit à calore, tum proprio, tum naturali; putredo ab omnino præternaturali calore, fermentatio à ſolo uſtivo calore, & ſæpe medio fermento, acore, aut effervſcentia. Tum quia, ut tenet Zimara *littera F*, cum Averroë 5. *collig. capit.* 26. fermentum ponitur in pane, ut faciat ipſum ſpongioſum, & in eo dominetur aëreitas; quia corpus aëreum levius eſt ad permutationem, propter ſuam humiditatem, quia ſubſtantia ſicca eſt dura. At verò per putredinem fit corpus aqueum, & grave, & motioni ineptum. Tum quia putredo ex Ariſtotele *lib.* 4. *meteor. cap.* 1. eſt naturalis corruptio caloris in unoquoque humido ab extranea caliditate: fermentatio eſt ignis effervſcentia à proprio calore igneo. Tum quia, ut deducit Bellichius ex Zabarella *lib.* 3. *de mixti generat.* fit putredo primò proprii caloris corruptione, deinde humidi evaporatione, poſtea ſeparatione humidi à ſicco, tandem diſſolutione mixti; fermentatio autem per ebullitionem omnium miſcibilium perficit rem fermentatam. Tum patet ex fine; nam per fermentationem res perficiuntur in ſe, & in ordine ad humanos uſus, ut apparet in fermentatione panificii, in vino, & cerviſia, in theriaca. Per putredinem autem res corrumpuntur, diſſolvuntur, & in præternaturalem ſtatum transmutantur. Ergo fermentatio differt à coctione, & etiam à putredine.

Dices quod fermentatione aliqua corrumpuntur, ut vinum fervens, quod tranſit in acetum.

Reſpondetur, quod licèt putredo, & fermentatio differant, poſſunt tamen eſſe ſimul, & ſuos varios effectus cauſare circa diverſas partes mixti; ſicut contingit, quod coctio & putredo, licèt contrariæ, ſimul ſint in febribus putridis juxta diverſas partes, & in ſtatu ſimul appareant ſigna putredinis in vehementia febris, & ſigna coctionis in urinis.

§. III.

Solvuntur argumenta primò poſita.

Ad primum reſpondetur, quod ſunt diverſæ perfectiones, quæ proveniunt in mixto ex coctione, & ex fermentatione. A coctione fit commixtio, & unio in oppoſitis patibilibus; à fermentatione, ut diximus cum Averroë, fit quædam effervſcentia, & calidorum elementorum agitatio, & commotio ſimul, & intumeſcentia, & partium levitas cum commixtione omnium, ac ebullitione.

Ad ſecundum reſpondetur, quod fermentatio differt à putredine, & corruptione ratione cauſæ, & modi alterationis; eſt enim putredo extinctio caloris naturalis, & partium materialium paſſivarum deunio, humidi ad externas partes deductio à præternaturali calore: fermentatio verò eſt quædam commotio, & elevatio terreæ exhalationis calidorum elementorum, cum illorum ebullitione, & commixtione, non à præternaturali calore, ſed à proprio in fervorem adaucto, ſæpe ob aciditatem, aut acrimoniam inſurgens, ob quas partium tenuitate ſuperaddita, à calidis ſuſcitatur partibus effervſcens calor.

Resolutio III.

Utrùm fermentatio accidat omni ſublunari enti.

§. I.

Sublunarium qualis diverſitas.

Sublunaria aut ſunt ſubſtantia, aut accidens. Fermentatio ſupervenit ſubſtantiæ. Subſtantia, aut eſt ens completum ex materia, & forma, quale eſt ens naturale; aut eſt quid incompletum, qualis eſt materia, & forma. Subſtantia completa aut eſt ens ſimplex, ut elementa, aut mixtum. Elementum in ſuo centro eſt omninò impermixtum: extra illud permixtum fit cum aliis, igne excepto. Mixta aut ſunt imperfecta, ut impreſſiones meteorologicæ; aut perfecta, ut metalla, vegetabilia, & animalia, quæ fiunt ex omnium elementorum materiis cum forma ſubſtantiali mixta.

§. II

§. II.

In commixtis elementis apparet fermentatio.

REſolvendum primò, quod ſub concavo lunæ in commixtis elementis, & imperfectioribus mixtis ſuo modo apparet reperiri fermentationem.

Probatur in lata fermentationis acceptione, quæ eſt actio naturalis, quæ imperfectiones aliquas ſublunarium apta eſt perficere, per quandam efferveſcentiam particulas commixtas elevans: Sed hæc perfectionis acquiſitio tentatur à natura adhuc in imperfectis mixtis: Ergo illi poteſt adaptari. Probatur minor. Tum in ipſo concavo lunæ, in quo elevatæ exhalationes variæ, quæ illud ſpatium valent coinquinare, intemperare, & corruptionem inducere peſtilentem ab ipſa natura, ſub variis formis accenduntur, concremantur, & extinguuutur, ut apparet in cometis, in facibus accenſis, fulguribus, & aliis meteorologicis impreſſionibus. Tum patet ex fine naturæ in lata hac fermentatione, per quam natura intendit rerum corruptelas impedire, ut tenet Bellichius ex Ariſtotele, expurgans ſordes, inquinamenta, ſitus, pulverem, cariem, marcorem; & ut comprobat Heurnius, fermentantur res, ac ventilationem ſubeunt quædam compoſita impedientem tabem, rancorem, fœtorem, putorem, & per eam nobiliorem vina induunt formam; divina enim quædam vis fermentationi ineſt, utpote quæ pariat divinam quandam facultatem in remedio, evomatque quidquid noxæ, quæ nondum apparet, tam in mixtis, quàm in commixtis aliis entitatibus; ad quod adhuc fermentatio fuit neceſſaria in omnibus coinquinatis ſublunaribus.

Tum, ut tenet Hatmanus, terra hyberno tempore fermentari videtur, ut judico, quia frigus conſtrictas tenet exhalationes, per quas quaſi tumeſcens terra apparet, donec excitatur telluris calor, & ipſa attollitur. Sic aqua, & aër intumeſcere apparent, & ſuas pati efferveſcentias, per quas exagitantur, & extranea contenta expellunt, & tam aquarum, quàm aëris, & ventorum motus tumultuoſi fiunt. Sic & ſemina turgeſcunt, & fermentantur in terra, & ſimiliter in animalibus ebullire coguntur, & ſeparare ſuperfluum, ut in illis partibus commixtis ſuas generationes coaptent. Tum Deus verè illam veram fermentationem communicat ſublunaribus, quam Virgilius cecinit *lib. 2. Georgic.*

A *Vere tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt.*
Tum pater omnipotens, fœcundis imbribus Æther
Conjugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit, magno commixtus corpore, fœtus.

Oſtendit, inquit Bellichius, quantum ex ſublimi fermento recepto vegetabilia intumeſcunt, quantum exagitantur; nam inde vapores ſurgunt, halitus effumant, nubes glomerantur, pluviæ crebræ fiunt, B ruunt imbres, crepitant grandines, venti ſuſurrant, & tonitrua, ac fulmina coruſcant, tempeſtates ferociunt, Oceanum quaſi fermento agitatur æſtu reciproco. En extenſam fermentationis naturam per omne univerſum adimplentia elementa.

Tum ſimilem fermentationem patet reperiri intra microcoſmum; in humoribus enim atram bilem experimur fermentare terram: & docet Galenus *lib. 1. prorrhet.* atram bilem ſuo fervore terram fermentare, quod omnes experimur, & vi- C trum rumpere, carnes, & oſſa exulcerare, & corrodere. Hippocrates orgaſmum vocat *2. aphor. 22. & 4. aphor.* humorum turgentiam, ſive fervorem: idem admittit *in epidem*, & *lib. de veteri medicina*, oſtendit æſtuantem ventriculum fermentari: vocat & fermentatas urinas *in coacis*. Subiti humorum in varias partes confluxus, & intumeſcentiæ id demonſtrant. Sic & abſceſſus, bubones & febres ex fermentato ſanguine in ſynochis, & ex aliis fermentatis humoribus in intermittenti- D bus apparent, in ſymptomaticis evacuationibus, & in criſibus, in hypochondriorum affectibus, & variis eorum inſultibus, flatibuſque elevatis ex humorum efferveſcentia: quorum omnium cauſas licet reducere ad quaſdam efferveſcentias, ſeu fermentationes, violentaſque commotiones miſcibilium ipſorum humorum, quæ gravata intra ſuum microcoſmum depurationem tentant extraneæ materiæ, & naturalis habitus reparationem.

E

§. III.

Ad medicamenta ſuo modo extenditur fermentatio.

REſolvendum ſecundò, quod quædam medicæ præparationes dicuntur fieri per fermentationem.

Probatur: Tum apud Rationales Medicos, inter quos communiter receptum eſt, theriacam, mithridatum, præſervativum Orvietani, & alia plura compoſita per

per fermentationem proprias acquirere vi- A res. Heurnius *lib. 12. method.*, latiùs comprobat, & deducit ex Avicenna, dicens: *Abditam theriacæ vim Avicenna divinâ quadam vi afflatam inquit: ſapientiſſimis viris videtur, quod fermentatione in nobiliorem vim ſeſe erigat.* Bellichins Fernclium adducit in hanc doctrinam *in methodi cap.4. §. At verò cùm multorum in compoſitione jam diu facta eſt confuſio, atque ea, quam juniores fermentationem appellant, mutua actione omnium quadam coctio, atque confuſio evaſerit, priſtinæ ſingulorum vires non am- B pliùs integræ manent, ſed pereuntibus, & extinctis ſingulorum viribus, nova prorſus emergunt.* Horſtius *tom. 2. lib. 10.* inquit, *noſtram alexipharmacum fermentationem eſſe motum maſſæ theriacalis, analogiâ juxta commixtionem ſimplicium conſtantis, ab inſito calore, & ſpiritu per externum proportionatum excitato, donec fiat omnium alteratorum unio perfecta, & homogenea virtutibus alexipharmacis pollens.*

Tum Spagyrici ad ſuos fornaces tra- C hunt fermentationem, illamque tenent eſſe exaltationem rei in ſubſtantia apta, mediante digeſtione à calore: ſeu, ut tenet Schroderus, ſtat fermentatio in hoc, quod contraria fermentabilia confuſa nondum ſub unum dominium, mixtionemque exactam redacta, vi caloris externi reſoluta, alterataque evehantur in certam aliquam temperiem, naturamque ſpirituoſiorem.

Inter nuperrimos VVillis longam refert hiſtoriam eorum quæ fermentantur. Inſiſtit in hoc, quod mixtorum principia D non ſint elementa prima rerum, ſed ſubſtantiæ, in quas veluti in partes ultimò ſenſibiles res phyſicæ reſolvuntur, quarum commutatione & motu inteſtino corpora gignuntur, & accreſcunt, & mutua diſſolutione alterantur, & interimunt. Hujuſmodi particulæ ſunt ſpiritus, ſal, ſulphur, quorum motiones ſunt in vegetabilibus, animalibus, aut mineralibus; & hoc vel à natura, vel ab arte: à natura omnes eorum ſenſibiles mutationes, dum germinant flores, aut fructificant; E & omnes animalium motiones præcipuas vocat fermentationes. De fermentatione ab arte, quocumque modo perficiatur res ab illa, tenet fermentationem acquirere, ut in alimentis, & medicamentis, & quibuſcumque humano uſui dicatis. Lata eſt hæc fermentationis acceptio.

§. IV.

Naturalis, ac propria fermentatio quibus adaptetur.

RESolvendum ultimò, quod vera fermentatio in panificio conſpicua apparet, in muſto, cerviſia, & aliis vinis, quæ fiunt ex ſuccis fructuum. Sic receperunt omnes, & ex fermentatione panificii tranſtulerunt nomen ad cerviſiam, muſtum, & ſimiles ſuccos, & ab iis in quibus fermentatio conſpicua apparet, deduxerunt ad alias plurimas entitates, in quibus ſupervenit efferveſcentia partium, tumefactio, commotio, & jam expanditur ad ſimiles alias res. Prima tamen origo deſumpta fuit à panificio, quod fermentatur à fermento, fermentum à fervore, fervor ab efferveſcentia, per quam res fermentata commovetur.

RESOLVTIO IV.

Utrum in fermentatione partes materiales elementorum poſſint commoveri.

§. I.

Pars negativa videtur ſuaderi.

APparet, quod partes materiales elementorum non poſſint per fermentationem commoveri. Nam ſunt partes informatæ per formam ſubſtantialem mixtam, & per ipſam ita inter ſe unitæ, ut ex illis omnibus fiat unum continuum, & una omnium elementorum mixtio, quæ eſt miſcibilium alteratorum unio, ex Ariſtotele: Ergo nequeunt hæ partes commoveri.

Secundò fermentatio, ut ſuprà propoſuimus, eſt diverſa proprietas in mixtis, ac coctio. Sed ſi eſſet commotio partium elementalium, eſſet idem cum coctione, in qua eædem partes commoventur: Ergo non poſſunt in fermentatione commoveri.

Tertiò, ſi partes materiales mixti commoverentur per fermentationem, vel ut ſunt ſub propriis formis, quod ſuprà negavimus; vel ut ſunt materia mixti, & hoc implicat, quia non eſſet ratio quare aliæ, & non omnes diſſolverentur: Ergo non commoventur per fermentationem.

§. II.

Commotio partium materialium admittenda in vera fermentatione.

RESolvendum, quod omnis vera fermentatio conſiſtit in effervescentia, & commotione partium materialium elementorum. Eſt communis hæc doctrina inter Philoſophos, & Chimicos, licèt differant in aſſignandis partibus mixti, quæ commoventur.

Probatur primò ex ipſis Philoſophiæ Principibus. Tum ex Platone *in Timæo*, ubi juxta verſionem Ficini inquit: *Quandoque verò hæc eadem ex putredine anguſtas venas ingrediuntur, coguntùrque partes interiores, tam terrena, quàm quodammodo aerea, jactata invicem permiſceri, permixtaque circumlabi in altas, & altas ingredi, ingreſſuque ſuo penetratas, concavas, tenſaſque efficere, ubi concavus, & ampulloſus humor aeri circumfunditur.* Tum idem confirmat Galenus *lib. 1. prorrhit. comm. 2.* dicens: *Cùm in terram acidum acre infuſum fuerit, protinus intumeſcens ſurſum quaſdam terræ partes ſimul attollit, fitque compoſitum quoddam ex terreſtri ſubſtantia, & aërea humiditate, & ex facto vapore, ſeu ſpiritu. Simile huic contingit cùm atra bilis in terram effuſa fuerit, & in fervente muſto, & in panibus quotidie videtur, &c.* Quam miſcibilium motionem ampliùs proſequitur.

Tum in re quæ fermentatur, ut in panificio, muſto, aut cerviſia, ad ſenſum apparent elementales partes commotæ, verſùs omnes poſitionum differentias intumeſcentes & effervescentes, & ſe elevantes: ubi ignis & ejus fervor percipitur, aër ſe oſtentat levitatem inducens, terra novam molem ſuſcipiens: quod Bellichius teſtatur, qui fermentationis munus tenet eſſe attenuare, rarefacere, & ſecundùm omnes particulas minimas, & ſecundùm omnes dimenſiones deducere, ac extendere.

Tum quia cùm totum quod fermentatur, igneo calore alteretur, neceſſe eſt quod ab omnibus particulis mixtis conſtantibus materiis omnium elementorum attenuatis, aliquæ portiones earum eleventur, & commiſceantur igneæ exhalationes ex terra, aqueæ, & ſpirituoſæ ex aqua, ſimul & ex aëre leves particulæ, per quas ſimul commotas, & commixtas communicatur rei fermentatæ magna levitas, & tenuitas, ac rarefactio, qualis apparet in panificio fermentato.

Tum quia cùm putredinis calore in mixtis ſeparentur partes aqueæ, & terreæ, & in ſuperficiem commoveatur aquæ pars, poterunt ſimul ab effervescente calore ſimul & omnes materiales partes commoveri.

§. III.

Reſpondetur pro primò adductis fundamentis.

AD primum reſpondetur, quod ſicut omnia elementa ſunt alterabilia ſecundùm ſuas partes, prout ſunt in univerſo, ſimili modo prout componunt mixtum, ſuæ partes materiales, ut informatæ per formam mixtam alterantur, attenuantur, ararantur, & locali motu moventur, & reſolvuntur. Hinc provenit inevitabilis cauſa mortis naturalis, quæ adhuc ex nova repoſitione alimenti nequit evitari. Hinc & in hectica provenit omnimoda conſumptio humidarum partium, hinc & ætatum mutatio, hinc hominis maturatio, ſimul & à præternaturali calore putredo, & corruptio, commotioque internæ humiditatis ad partes externas: ſic in fermentatione provenit ab igneo calore omnium materialium partium commotio ab ejus alteratione.

Ad ſecundum reſpondetur, quod in coctione, & putredine ſunt commotiones partium materialium in oppoſitis patibilibus: in fermentatione ob omnium partium materialium effervescentiam fit commotio omnium illarum verſùs quaſcumque differentias poſitionum ab igneo calore depurante ſuperfluitates, compaginem oppreſſam ararante, & ſubtilitate perficiente, ac raritate, & levitate.

Ad tertium reſpondetur, quod partes materiales elementorum ſunt ſine propriis formis, ſed informatæ per formam mixtam, quæ illas continet virtualiter eminenter, & in illis producit proprium ſubſtantiæ modum, & qualitates proprii elementi, mediis quibus agunt ipſæ partes mutuò inter ſeipſas, & proximiores calidioribus, aptioreſque reſolutioni priùs reliquis commoventur, ſicut & partes aquæ in lebete igni applicatæ.

Resolutio V.

Utrum miſcibilia quaſi compacta poſſint in mixtis inveniri.

§. I.

Pars negativa qualiter poteſt ſuaderi.

Videtur quod nulla ſint entia naturalia, quæ poſſint pati aliquod quaſi ſpiſſamentum. Nam productio eorum eſt cum modo ſubſtantiæ ſibi ipſis debito, præcipuè in viventibus, quæ fiunt à facultate formatrice, conformante illa, qualia petunt fieri juxta uniuſcujuſque naturam, & cum tali conformatione, qualem requirit ſua forma naturalis: Ergo ſine aliquo ſpiſſamento præternaturali.

§. II.

Poſſunt aliqua mixta compacta reddi ultra debitum modum, & indigere fermentatione.

Reſolvendum, quod nimis compacta miſcibilia ſolent indigère fermentatione, qua levigentur.

Probatur. Tum ex Platone *in Timæo*, qui effectus proponit fermentationis, dicens quod ex putredine attenuata, mixta, id eſt effervеſcentia, anguſtas venas ingrediuntur, & attenuatæ partes invicem commiſcentur, & confunduntur, & fæculento humore agitato, & circumtenſo, & elevato, conficitur ebullitio. Tum ex Galeno *lib. 1. prorrhit.* dicente de aceti fermentatione in terra, quod ſi affuſum fuerit, protinus intumeſcens, furſum quaſdam terræ partes ſimul attollit, & quod quæ ſeparantur, commiſcentur, & tenues, ac leves redduntur.

Tum idem confirmant omnes fermentationes. Terra ab aceto, & ab atra bile fit rarior, ebullit, ſeparantur ejus partes, quæ erant compactæ: præcipuè hæc partium acquiſita tenuitas apparet in muſto, & cerviſia dum fermentantur, & in panificio fermentato, in quo compacta maſſa levigatur, attenuatur, rareſcit, attollitur versùs omnem circumferentiam, & partes maſſæ, quæ ſub ſpiſſamento craſſæ permanebant, fermentatione levigatæ utiles redduntur, & pro nutritione coaptatæ.

Tum fermentatio eſt actio naturæ deſtinata, ut mixta præſtantiora reddantur, & quæ quaſi ſuffocata erant ex nimia compagine partium, ex illarum majori A tenuitate, raritateque perficiantur. Tum quia apparet, quod ea quæ ex nimio frigore hyemali denſiora facta ſunt, partibus denſatis, & compreſſis, dum vere adveniente calore fervent, redduntur tenuiora, & inde in ſuos proprios fines aptiora: inde vegetabilia prorumpunt, novis acquiſitis viribus in ſuis ſuſcitandis actionibus, & ſeminibus commovendis; aquæ, & ventus, aëriſque procellæ à vinculis præcedentis compaginis ſolutæ, & B nova agilitate, ac tenuitate acquiſitis, novas vires acquirunt, & in novas prorumpunt ſuæ naturæ debitas operationes. Ergo ex fermentatione compactis partibus arraratis & commotis, nova in re fermentata inſurgit perfectio.

§. III.

Ad rationem dubitandi reſpondetur.

Pro ratione dubitandi dicimus, quod non omnia quæ conformantur, fiunt C in naturali ſtatu; alia enim fiunt morboſa, alia nondum matura, & poſtea maturatione perficiuntur; alia ex toto non conformata, quæ poſtea vi conformatrice producuntur, ut dentes, & mammæ in fœminis: & poſt conformationem ſunt plures cauſæ præternaturales, quæ valent illam conformationem immutare. Sic debitus corporis habitus reſolutione imminuitur, & frigoris compreſſione denſatur, & plura à frigore fiunt compoſita.

D

Resolutio VI.

Utrum à quovis calore fiat fermentatio.

§. I.

Quotuplex calor valeat alterare mixta.

Calor licèt unus ſit in eſſe caloris, eſt multiplex in eſſe cauſæ, & in eſſe inſtrumenti, ratione modi quo nos afficit. Ratione cauſæ alter eſt à cauſa externa E communicatus à ſole, à luce, ab igne, à balneo, vel ab alia re calefaciente. Alter eſt, præcipuè in viventibus, internus, proveniens à forma internáve cauſa, ut calor innatus, pullulans à calido innato: alter pullulat à miſcibilibus partibus calidis tempore acquiſitis, & dicitur adſcititius. Alter eſt calor influens, qui communicatur ab ſpiritibus: alter dicitur actuatus, qui completur ex inſito, & adſcititio ac influente. Ratione finis calor alter eſt na-

turalis, qui perficit naturales operationes: A alter eſt præternaturalis, qui illas lædit. Naturalis alter concoquendo perficit, qui eſt nobis naturalis, & perfectivus, ac concoquens: alter eſt naturalis fermentatione fermentabilia depurans, aut perficiens, ſi in illis ſuſcitetur; & ſi ab arte applicatus, perficit per novam formam. De calore depurante per fermentationem, quærimus qualis ſit. Calor præternaturalis, alter eſt febrilis, alter corruptivus, à quo deuniuntur oppoſita patibilia: alter eſt ſimul concoquens, & putreſcens, à quo materia B febrilis ſolet ſimul concoqui, & putrefieri penes diverſas partes. Sic & fermentans calor ſimul poteſt alias partes putreſacere, alias fermentare, juxta earum diſpoſitionem, aut ſubſtantiæ modum.

§. II.

Suadetur, quod non fiat fermentatio à calore.

Videtur, quod à nullo calore ex dictis poſſit fieri fermentatio. Primò, quia Plato *in Timæo*, proponens fermentatio- C nem, docens ejus cauſam, inquit: *Harum affectionum cauſa aciditas appellatur.* Sed aciditas eſt effectus frigiditatis, ut patet ex Ariſtotele: Ergo fermentatio fit à frigiditate, & non à calore.

Secundò, fermentatio non fit à calore naturali, quia ab hoc fit coctio. Non fit à calore præternaturali, quia ab hoc fit putredo. Ergo à nullo calore fit.

Tertiò, ut docet Plato, per fermentationem vario modo moventur partes materiales mixti terreſtres, aëreæ, igneæ, D & aqueæ, & inter ſe commiſcentur, mutuò inter ſe congrediuntur, & obvolvuntur. Sed calor nequit hos diverſos motus locales cauſare, cùm illi tantum competat congregare homogenea, & diſgregare heterogenea, ut docuit Ariſtoteles: Ergo ab illo nequit provenire fermentatio.

§. III.

Aciditas, & acrimonia, & externus calor, qualiter agant pro fermentatione.

Reſolvendum primò, quod aciditas, acrimonia, & externus calor commovent internum calorem ad fermentationem.

Probatur: Tum de acrimonia in vera panificii fermentatione per ſuperadditum fermentum, quod ſua aciditate commovet proprium calorem, à quo fermentatur panis, fit rarior, levior, tenuior, & in majorem molem attollitur; & ideo A Plato aciditatem tanquam propriam cauſam fermentationis adaptat. Tum acrimoniam commovere fermentationem, patet ex Hippocrate in urina, & in terræ fermentatione, quæ accidit ex atra bile, & ex fortiſſimo aceto, ex Galeno *lib. 1. prorrhiticor.* Tum patet de cauſa externa commovente fermentationem, ſive ſit ignis, quo utuntur Spagyrici in ſuis fornacibus; ſive Solis calor, à quo magnæ fermentationes fiunt; ſive calor proprius ſuſcitatus.

B

§. IV.

Cauſa interna vera fermentationis ponitur.

Reſolvendum, quod propria cauſa veræ fermentationis eſt calor depurans igneus, ex igneis partibus rei fermentatæ maximè ortus, & ſuſcitatus. Sic tenent Bellichius, & Coringius diffuſis digreſſionibus id contendentes.

Probatur: Fermentatio eſt quædam effervescentia miſcibilium, à natura intenta, C dum naturalis eſt, ad depuranda corpora à contentis impuritatibus: Ergo debet perfici ab illa cauſa, quæ cauſat effervescentiam, quæ præcipuè eſt igneus calor.

Probatur ſecundò: quæ fermentatione fiunt, omnia ab igne fieri conteſtantur: Ergo provenit ab ejus calore. Probatur antecedens ex Platone, & Coringio; apparet enim, quod in ea ſunt varii motus, & confluxus, variæ partium elementalium commotiones, varia attenuatio, ele- D uatio, incraſſatio, arraratio, & ebullitio: Sed hæc omnia à ſolo igneo calore valent provenire; ſolus enim ignis congregat homogenea, & diſgregat hæterogenea: illius calor bullas excitat, penetrat omnia; alia attenuat, ut in cera; alia incraſſat, ut in luto; alia graviora reddit, ut indurata; alia tenuiora, ut rariora: Ergo ſolus poteſt fermentationis varios effectus producere.

Probatur tertiò: Fermentatio eſt actio perfectiva ſublunarium per depurationem E ſuarum partium materialium, ſicut coctio eſt perfectiva viventium per unionem in oppoſitis patibilibus: Ergo petit fieri à calore naturali illorum.

Probatur quartò: Quæ fermentantur, ideo indigent perfici per fermentationem, quia calor igneus conſopitus nequit reliquas materiales partes, quæ quaſi compactæ permanent, alterare, attenuare, & rarefacere, & à conſpurcatione liberare: Ergo dum perficitur per fermentationem

ab

ab igneo calore excitatam, hæc conſequitur.

Probatur quintò in muſti fermentatione, cerviſiæ, & ſimilium, in quibus igneus calor ſuſcitatur à tartari proprii aciditate, accenditur, intenditur, & intenſus excitat fervorem, & proſequitur fermentationem: Ergo quia ille eſt propria eius cauſa.

§. V.

Solvuntur primò adducta argumenta.

AD primum reſpondetur, quod aciditas numeratur inter cauſas fermentationis, non quia ſit cauſa proxima, & per ſe; ſed externa & per accidens, quatenus compactas ſuſcitat materiales partes, eas attenuando, & aufert impedimentum, ob quod conſopitus igneus manebat calor.

Ad ſecundum reſpondetur, quod fermentatio fit à calore naturali igneo præcipuè, non præcipuè ab aëreo, à quo maximè provenit maturatio.

Ad tertium reſpondetur, quod calor per ſe habet congregare homogenea, & diſgregare heterogenea, ut docuit Ariſtoteles: ſed quia producit plures ſecundas qualitates, tenuitatem, raritatem, levitatem, mediis illis variis modis commovet partes materiales, & varios effectus producit per fermentationem.

Non loquimur de chimærica fermentatione à chimicis excogitata, nec de illorum excogitato fermento, de quo inquit Franciſcus Oſualdus Grembs *lib. de arbore integra, & ruinoſa hominis*, quod eſt ens creatum formale, quod neque eſt ſubſtantia, neque accidens, ſed neutrum, per modum lucis ignis magnalis conditum à mundi principio, ut ſemina præparet, excitet, & præcedat; unde principii veri naturam tenet. Non enim immotor in iis inſomniis, ſeu deliramentis; miror enim quod has fictiones in publicum immittant homines: ſi enim fatentur, quod ſuum figmentum nec eſt ſubſtantia, nec accidens: Ergo eſt nihil. Si nihil, quomodo principium ſemina præparans, & omnia entia naturalia producens? Si enim à nihilo nihil fit, naturaliter loquendo, cur non pudet huic conficto nihilo Dei potentiam transferre.

RESOLUTIO ULTIMA.

Utrum ſaltem mediatè omnis fermentatio excitetur ab acido.

§. I.

Proponitur dubitandi ratio, & variæ opiniones.

PLato *in Timæo*, laconicè proponens fermentationem, & varias in illa motiones, concludit quod omnes fiunt ab acido. Quid ſit acidum, delinearunt, aliqui. Fernelius *lib. 4. methodi*; tenet quod acidus ſapor guſtum penetrat, & tenuitate ferit ultra ſenſum caloris; & quod dimanat à tenui, & ſicca materia, cuius vel calor inſitus putredine exſpiravit, ut in aceto; vel frigidior intemperies tenuitati ab origine comes eſt: ideo acidum penetrando, & incidendo, in nihilo eſt aeri inferius.

Bravo Salmanticenſis *lib. de ſaporibus*, latiùs proſequitur ex Galeno acidi dignotionem: generatur enim ex acerbo, humiditate aërea ſuperveniente: quod admittit Galenus 4. *ſimpl. cap. 7.* & probat ex acerbis ſuccis, qui ſuperveniente humiditate fiunt acres. Sic aceſcunt ſucci humidi, qui nequeunt à proprio calore coërceri: evadit acidum frigidum cum tenuibus partibus, ex Galeno 4. *de ſimpl. medic. facult.* non in ſummo. Iſaac tribuit acido ſecundum gradum frigiditatis, mordicatque ſicut amarum, & acre, ex Galeno 4. *ſimpl. cap. 17.* Ob ſubtilitatem potiùs, quàm ob calorem, aut tenuitatem fit, ob eius imbecillitatem, ex Galeno 4. *ſimpl. cap. 15.* & ob ſubtilitatem, quæ fit à ſuo temperamento, & modo ſubſtantiæ. Habent acida inſcindere, extenuare, dividere, infarctu liberare, perpurgare citra calefactionem. Bravo Salmanticenſis ſuperaddit ex Meſue *lib. 1. theoremat.* quod acidum penetrat, aperit, incidit, dividit, tenuat, abſtergit, denſat, aſperat, extinguit calorem, quod brevi exercet, & appetentiam excitat: ex quibus acidi manifeſtantur vires.

Tachenius more Spagyrico agit de acido, quod fermentationis tenet eſſe cauſam, ſub magnis myſteriis proponens quod intendit, ut eum ſuo Vanhelmontio vel nihil utile dicat, vel more oraculorum cogat prolata divinare.

Nos ſuprà diximus, quod cùm fermentatio ſit quædam naturalis efferveſcentia,

hæc proximè fit à calore, ſæpe acredine A coadjuvante.

§. II.

Proponitur qualiter juvet fermentationem acidum.

REſolvendum, quod naturalis fermentatio fovetur ab acido.

Probatur ex Platone *in Timæo*, ubi poſita fermentationis doctrina, & variis motionibus ſupervenientibus in illa, ſic concludit: *Harum omnium paſſionum cauſa aciditas appellatur.* B Ex quo apparet, quod ab aciditate fiunt variæ motiones, per quas provenit fermentatio.

Probatur ſecundò in eis quæ manifeſta naturali fermentatione alterantur, in quibus manifeſtum eſt quoddam incluſum acidum, per quod diſponuntur ad fermentationem, ſive occultum, ut apparet in panificio, quod fermentatur coadjuvante acido fermenti; & in muſto, cerviſia, & reliquorum ſeminum vinis, quæ fervent ob inſitum acidum, quod poſtea ſi debilitetur calor, apparet, ut in aceto quod C fit ex illis, & in tartaro, in quo coadunantur partes acidæ, quæ occultabantur in muſto, & vino.

Probatur tertiò: Nam fermentatio eſt naturalis actio, per quam perficiuntur mixta ab efferveſcente ſuo calore, quæ priùs concluſas habebant partes materiales ultra debitum tenorem: Ergo debet ſuſcitari talis calor ad hanc actionem per facultatem commoventem partes concluſas in hunc finem. Tum ſic: Sed ad debitam conſequendam tenuitatem, pro- D priumque tenorem juvat acidum, de quo diximus cum Galeno, & Meſue, quod aperit, incidit, dividit, attenuat, detergit, denſat, aſperat, extinguitque calorem, quod brevi exercet: Ergo ab hoc commovetur efferveſcens calor ad motiones, quas ſuprà diximus reperiri in fermentatione.

Probatur quartò ex Techino, qui ſuo more explicat *cap.* 18. quomodo acidum cauſat fermentationem, §. *Humidam itaque cujaſque vegetabilis continet acidum, &* E *alcali; in aliis prædominatur alcali, acidum autem in aliis: acidam eſt notiſſimum, alcali verò hactenas paucis cognitum, quod in expreſſo avarum dulci ſucco eſt notiſſimam. Ad oculum oſtendam in ovo: primis diebus rector dormit, qui paulò poſt admovet mechanica inſtrumenta z acidum incipit rodere alcali, illud autem abſorbet acidum, fitque actio & pugna vehemens, quam à fervendo fermentationem appellamus.* Et proſequitur plura in hunc finem.

Probatur quintò: Nam apparet, quod ſaltem pro ventriculi coctione, cùm ſit materia coquenda, pro illa nimis diverſa requiritur quædam fermentatio ante coctionem, per quam imminuantur alimenta, & aptentur pro coctione: quod fit ex quodam acido occulto, quod Riverius deducit ex Vanhelmontio, agens de ventriculi debilitate, confirmans quod per acidum quoddam receptum à liene juvatu ventriculi coctio: quod firmavit priùs Hippocrates docens, quod ructus acidus prodeſt in ventriculi debilitate, quaſi ſignum, quod jam ſuperuenir acidum, quo juvatur fermentatio requiſita ad coctionem, loco cujus uſus aceti prodeſt: quod experientiis conteſtari contendit, & quod dejectum inſtaurat appetitum.

SECTIO TERTIA.

De Putredine.

ARiſtoteles putredinem extendit ad corruptionem, & cariem, & ſic contrariari generationi tenet; eſt enim per quam mixta amittunt eſſe, quod per generationem receperunt. Propriè putredo eſt corruptio præcipuæ perfectionis, quam viventia receperunt per coctionem, ſeu maturationem, per unionem aquei elementi cum terreo in oppoſitis patibilibus; & hæc contrariatur eorum unioni provenienti à calore, tnm proprio, tum naturali, quæ vocatur coctio. De his ſimul agere contendimus ſub hac ſectione.

Resolutio I.

Utrum putredo rectè definiatur ab Ariſtotele, & à Galeno.

§. I.

Ponuntur definitiones ab illis tradita, & pars negativa ſuadetur.

ARiſtoteles *lib.* 4. *meteor. cap.* 1. tenet, quod putredo eſt, *Interitus proprii & naturalis caloris in quovis humido ab alieno calore; hic autem rei continentis eſt.* Galenus *lib.* 11. *Methodi, cap.* 8. tenet, quod eſt, *Mutatio totius putreſcentis corporis ſubſtantiæ ad corruptelam à calido externo.* Carteſius

teſius *in Miſcellaneis, decade* 7. plures alias putredinis deſcriptiones ad has reducit, conjungit ſimul, & varias eorum opiniones, qui illis adhærent, refert; quas tamen reducit ad has propoſitas definitiones, de quibus inquirimus, an bonæ ſint, & an ſimul inter ſe coincidant pro explicanda natura putredinis.

Pro parte negativa Veiga, Matamoros, & alii varias ſuſcitarunt objectiones. Tum primò contra Ariſtotelem, quia non docet aliqua ratio, aut experimentum, quod per putredinem fiat interitus proprii caloris, aut corruptio. Tum ſecundò, quia putredo eſt corruptio totius ſubſtantiæ: ergo non ſolius proprii caloris. Tum tertiò, ſub nive & frigore plura putreſcunt. Ergo non ſolùm à calore, ſed à frigore fit putredo. Tum quartò, putredo eſt paſſio mixtorum: Ergo petit pullulare ab intrinſeco, & non à cauſa externa. Tum quintò hæc definitio convenit uſtioni; ergo non eſt propria definitio putredinis.

Secundò contra Galeni definitionem ſtat. Tum primò, quod definitio Galeni convenit corruptioni, ut chili tranſmutationi in ſanguinem, in qua non datur putredo; eſt tamen mutatio totius corporis in corruptelam. Tum ſecundò putredo non poteſt fieri à calore externo, quia calor proprius non corrumpitur ab alio calore, ſed à ſola frigiditate.

§. II.

Definitio Ariſtotelis rectè deſcribit putredinem.

RESolvendum primò, quod Ariſtoteles per ſuam definitionem rectè deſcribit, & explicat per ſuas cauſas quid ſit putredo.

Probatur primò authoritate Ariſtotelis proferentis illam *lib.* 4. *meteor. cap.* 2. & D. Thomæ admittentis illam *in comment. ad illum librum*, & ferè omnium Philoſophorum, & Medicorum, qui ſub eodem ſunt aſſenſu.

Probatur ſecundò, quia Ariſtoteles contendens putredinem explicare per ſuas cauſas, illas proponit, à quibus neceſſariò provenit, & per quarum cognitionem ejus manifeſtatur natura. Particulæ enim, *interitus proprii, ac naturalis caloris in quovis humido*, exprimunt cauſam immediatam, & inevitabilem putredinis. Cùm enim hæc conſiſtat in deunione aquei humoris à terreo, & hæc ſit inevitabilis, ſi non conſervatur à proprio, & naturali calore, per hujus interitum patet manifeſta, ac immediata, & inevitabilis cauſa putredinis. Per particulas, *ab alieno calore*, explicat mediatam cauſam putredinis, à qua provenit neceſſariò interitus proprii caloris: & ex his cauſis manifeſtatur utraque putredinis cauſa, & per illas vera ejus cognitio.

§. III.

Galeni putredinis admittitur deſcriptio.

RESolvendum ſecundò, quod rectè deſcribit Galenus putredinem per hoc, quod ſit, *Mutatio totius putreſcentis corporis ſubſtantiæ ad corruptelam à calido externo.*

Probatur ex Galeni authoritate, & omnium Medicorum admittentium illam cum eodem *lib.* 11. *methodi, cap.* 8. in qua ſimili modo ac Ariſtoteles explicare contendit Galenus putredinis naturam per ſuas cauſas. Proxima enim explicatur per *mutationem totius putreſcentis corporis ſubſtantiæ ad corruptelam.* Cùm enim putredinis natura ſtet in deunione aquei humoris à terreo, ut diximus, per quam corrumpitur mixtum, rectè explicat proximam deunionis cauſam per particulam, *Mutatio totius putreſcentis corporis in corruptelam*: hæc enim conſiſtit in illa partium materialium deunione. Particula *A calido externo*, explicat cauſam externam talis corruptelæ, & deunionis, & coincidit hæc putredinis deſcriptio per ſuas cauſas, cum ea quam priùs tradiderat Ariſtoteles.

§. IV.

Traditur modus, quo hæ duæ deſcriptiones adaptantur putredini.

RESolvendum tertiò, quod licèt traditæ putredinis deſcriptiones ab Ariſtotele, & Galeno coincidant, & tradantur per cauſas, diverſo tamen modo adaptantur putredini.

Pro cujus intelligentia tenendum cum Pio Æneа Captillo *lib.* 1. *de febribus putridis in genere*, quod ex doctrina Ariſtotelis duplex putredo admittenda. Alia eſt ſecundùm totum, alia ſecundùm partem. Putredo ſecundùm totum, inquit Zabarella, eſt qua mixtum totum in elementa diſſolvitur, ita ut jam pulvis ex terra appareat; evocato enim à calore aëris ambientis humido ad externa, ibi conſumitur, & permanet terreum aridum. Putredo ſecundùm partem, eſt quædam imperfecta putredo, in qua non omnino diſ-

ſolvitur

ſolvitur mixtum in ſua elementa, nec omninò A ſeparatur humidum à ſicco, ſed tantùm ſecundùm aliquam partem: quod in mixtis nimis aqueis contingit, in quibus tenuiores aqueæ partes ſeparantur, non omnes; & ideo non fit omnimoda diſſolutio in ſua elementa. Sic putreſcunt humores, & patet, quod utraque hujuſmodi putredo ſit vera putredo, differens ſecundùm magis, & minus, quidquid reclament aliqui cum Argenterio.

Secundò tenendum, quod diverſo modo conſiderant putredinem Philoſophi, & Me- B dici, ut animadvertit Caprillus. Philoſophi conſiderant putredinem in univerſum, quatenus competit omnibus mixtis ut mixta ſunt, & quatenus omni enti naturali advenit: in qua conſideratione dicebat Ariſtoteles, quod putredo opponitur generationi. Medici conſiderant putredinem, quatenus fit in corporibus animalium ante illorum interitum; & hæc eſt, de qua præcipuè docuit Ariſtoteles *lib. 4. meteor.* quod opponitur coctioni.

Ex iis patet reſolutio, & quod licèt ſuas C tradant definitiones Ariſtoteles, & Galenus pro explicanda natura putredinis, diverſo tamen modo quilibet intendit ſuam adaptare, Nam Ariſtoteles contendit præcipuè definire putredinem, ex qua ſubſequitur naturalis diſſolutio omnium mixtorum, ut mixta ſunt. Galenus verò intendit explicare putredinem ſecundùm partem tantùm repertam in animantibus, præcipuè in humoribus. Sed cum putredo ſecundùm totum, & putredo ſecundùm partem ſint ejuſdem ſpeciei, Ariſtoteles in- D tendens definire putredinem ſecundùm totum, definit ſimul putredinem ſecundùm partem; & Galenus intendens definire putredinem ſecundùm partem, ſimul definit putredinem ſecundùm totum, cùm utraque ſit vera putredo.

§. V.

Tradimus eſſentialem definitionem putredinis.

RESolvendum quartò, quod eſſentialis ratio putredinis ſtat in hoc, quod ſit de- E unio aquei humoris à terreo in oppoſitis patibilibus, ob interitum proprii caloris provenientem à calore extraneo.

Particula *deunio*, habet rationem generis, ſub qua conveniunt plures partium deuniones, quæ poſſunt fieri intra mixta, præcipuè viventia, ut dum ſeparatur, & deunitur utile ab inutili, vel inutile ab utili, ut in evacuationibus criticis, & ſymptomaticis contingit, & in continua reſolutione partium, in ſudoribus, & in colliquationibus.

Particula *aquei humoris à terreo*, eſt ratio differentiæ eſſentialis, per quam conſtituitur putredo in ſua eſſentia, & excluduntur reliquarum rerum deuniones, quæ fiunt in corpore; & nullæ aliæ habent rationem putredinis, niſi in qua fit deunio humidi à terreo; inquit enim Ariſtoteles *lib. 4. meteorotum: Quamobrem quæ putreſcunt, primùm humeſcunt, demùm ſiccitatem contrahunt.* Ex quibus conſtat, eſſe eſſentialem putredini, *deunionem humoris humidi à terreo*, per quam primò partes exteriores humidæ apparent, donec reſoluta humiditate, terreæ partes appareant ſiccæ.

Particula *in oppoſitis patibilibus*, demonſtrat quæ ſint præcipuæ partes mixtæ aqueæ, & terreæ, quæ deuniuntur per putredinem, ſcilicet illæ quæ ex oppoſitis patibilibus unitæ fuerunt per mixtionem, & coctionem mixtorùm, præcipuè viventium. Coctioni opponi putredinem ideo tenet Ariſtoteles, quia ſicut coctio conſiſtit in unione humidi cum ſicco in oppoſitis patibilibus à calore proprio, & naturali; ſic putredo conſiſtit in deunione, quæ fit in oppoſitis patibilibus à calore extraneo: & ideo horum deunionem ſuperaddimus in putredinis definitione, ad commodam illius eſſentiæ intelligentiam.

Particula, *ob interitum proprii caloris provenientem*, explicat cum Ariſtotele immediatam putredinis cauſam; fit enim inevitabiliter putredo per interitum naturalis caloris, à quo conſervatur unio in oppoſitis patibilibus, quo intereunte, neceſſariò definit unio defectu cauſæ conſervantis.

Particula *provenientem à calore extraneo*, explicat cauſam, à qua fit interitus proprii caloris, & ſe habet ut cauſa externa, & remota deunionis miſcibilium.

§. VI.

Argumentis in contrarium primò oppoſitis ſatisfit.

AD primum reſpondetur, quod docent Ariſtoteles, & experientia, ſuadetque ratio, quod quæ putreſcunt, in principio fiunt humidiora in partibus externis, humiditate ad ipſas attracta; & poſtea ſicciora, dum humiditas reſolvitur, & ſola remanet terrea pars. Tum pro ſecundo, quod explicat Ariſtoteles corruptionem totius ſubſtantiæ per interitum naturalis caloris, tanquam per defectum cauſæ

cauſæ conſervantis naturalem unionem. Tum pro tertio, quod impeditæ fuligines in eis quæ ſunt intra nivem, aut aquam frigidam, accenduntur, & interimunt proprium calorem. Tum pro quarto, quod putredo dicitur paſſio mixtorum, non quia eſt illius proprietas petens oriri in eorum perfectionem; ſed quia eſt illis inevitabilis, ſicut mors naturalis; & ideo nequit ab anima pullulare. Tum pro quinto, quod differt uſtio à putredine, quia putredo provenit ob interitum caloris proprii, à quo deberet conſervari unio in oppoſitis patibilibus: uſtio verò ſupervenit à cauſa externa violenta diſſolvente omnem miſcibilium unionem, non ſolùm in oppoſitis patibilibus, ſed in omni miſcibilium unione.

Ad ſecundum reſpondetur: Tum pro primo, quod Galenus definit putredioem per tranſitum ad corruptelam à calore extrinſeco. Mutatio verò alimenti eſt mutatio à calore naturali rei coquentis, per quem perficitur in ſua ſubſtantia, licèt præcedat per accidens tranſmutatio; eſt enim terminus putredinis deunio partium rei putreſcentis, & corruptela: terminus verò alimenti, quod coquitur, eſt per coctionem unio partium, & mutatio in ſubſtantiam perfectioris entis. Tum pro ſecundo, quod calor in eſſe caloris per ſe petit corrumpi à frigore, quod eſt ejus contrarium, in eſſe verò naturalis ab alio calore interit, à quo fit improportionatus, & præternaturalis pro conſervatione viventis, & unione miſcibilium, ſimul & ut ſit inſtrumentum naturalium actionum.

Resolutio II.

Utrum eſſentia putredinis ſtet in deunione miſcibilium.

§. I.

Pars negativa proponitur, & fulcitur.

IN definitione putredinis, quam tradidimus loco generis, diximus quod eſt *deunio materialium partium.* Dubitamus an hæc deunio ſit de eſſentia putredinis, tanquam ratio generica illius: Carreirus primus protulit agens de putredine *lib. de febribus*, quod non ſtat ratio putredinis in eo, quod ſit *deunio miſcibilium aliquorum*; ſed in eo, quod ſit quædam ſecunda qualitas innominata, & ab ipſo confiſcta, cui adhæret ejus ſubſcriptor Matamoros *lib. 4. de febribus, tract. 1. diſp. 13.* in ejus authoritate ſiſus, & in aliquibus ab illo deductis fundamentis.

Primò, quia ad admittendam talem partium deunionem requiritur, quod in mixto remaneant partes materiales omnium elementorum: ſed gloriatur Matamoros, quod iam manet ab illo demonſtratum, fuiſſe impoſſibile, eſſe talem partium earum remanentiam: ergo & talem deunionem.

Secundò, ſi eſſet admittenda deunio humidi à terreo in putredine, maximè ex Ariſtotele *lib. 4. meteor.* quia per putredinem apparet quod res quæ putreſcit, primò apparet humidior in partibus externis, poſtea verò ſiccior: ex quo apparet, quod fuerit pars humida deunita, & ſeparata à parte terrea, & ſicciori: ſed hoc non eſt poſſibile, quia nulla eſt cauſa à qua fieri poſſit talis deunio: Ergo hæc non admittenda.

Tertiò, admiſſis partibus materialibus in mixto, pro putredine non requiritur earum deunio, nec ut conditio approximationis agentis ad paſſum, nec ut per illam producatur aliqua ſecunda qualitas, quæ ſit propria eſſentia putredinis, quia hæc ſine ſeparatione, aut deunione miſcibilium fit: ergo ſine tali deunione ſalvatur putredinis natura.

Quartò, ſi deunio miſcibilium eſſet neceſſaria in putredine, ideo quia ad putredinis alterationem eſſet prærequiſitus motus localis harum partium, ut acquiratur in internis partibus major ſiccitas per putredinem: ſed nequit hoc fieri, cùm illa ſiccitas potiùs impediret putredinem quàm requireretur pro illa: Ergo fruſtra admittitur deunio.

Quintò Galenus *lib. 5. de cauſ. ſympt. cap. 1. lib. 5. ſymplic. cap. 6.* & *lib. 1. de nat. facult. cap. 2.* docet, putredinem eſſe alterationem: Sed terminus alterationis eſt qualitas: Ergo non eſt partium deunio.

Sextò ex Valleſio videtur obſtare deunioni miſcibilium, eo quòd hæc non ſit de eſſentia putredinis, ipſe Ariſtoteles, qui *lib. 4. meteoror.* definiens putredinem, dicit quod eſt interitus naturalis caloris: Ergo ex eius doctrina eſſentialis ratio putredinis non ſtat in partium deunione, ſed in naturalis caloris interitu.

Septimò: Si ratio putredinis ſtaret in deunione partium materialium, putredo non haberet pro cauſa externum calorem, ut docuit Ariſtoteles, ſed etiam proprium, & internum, cùm ab hoc poſſint partes materiales mixti reſolvi, &

deuniri: Ergo eſſentia putredinis non ſtat A in deunione partium materialium mixti.

§. II.

Secunda qualitas conficta à Iunioribus, non eſt ratio eſſentialis putredinis.

RESolvendum primò, quod ſecunda qualitas, in qua Iuniores contendunt ponere eſſentialem putredinis rationem, merè figmentum eſt.

Probatur primò: Tum quia non colligitur ex Ariſtotelis, & Galeni definitio- B nibus, quod detur in putredine talis ſecunda qualitas: Ergo merè voluntaria fingitur. Tum quia qualitates ſecundæ apud Ariſtotelem, & alios Philoſophos fuerunt cognitæ, & per ſuas actiones diſtinctæ, & annumeratæ; & nullus meminit huius ſecundæ qualitatis confictæ à Carreiro & Matamoros, quam ideo innominatam vocant. Tum quia probat Matamoros, quod cùm putredo ex Ariſtotele fiat à calore, hæc debet eſſe alteratio, & habere pro termino qualitatem: C Sed hæc ratio etiam probat, quod ſi eſt alteratio facta à calore terminus illius actionis, ſit calor prima qualitas, & non qualitas ſecunda. Tum ſi eſſentia putredinis petit poni in ſecunda quadam qualitate, vel hæc ſit à ſolo calore, vel ab aliis primis qualitatibus: ſi ab aliis, eſt contra Ariſtotelem, qui à ſolo calore docet fieri putredinem: ſi ſit à ſolo calore, vel eſt levitas, vel raritas, vel tenuitas, vel alia ſecunda proveniens à calore; & hæ omnes ſunt cognitæ & nominatæ: vel eſt D ficta, & nulla. Tum ſi purredo eſt ſecunda qualitas proueniens à calore, quodlibet mixtum calidum illam produceret in ſe, ſicut producit reliquas ſecundas qualitates, quæ proveniunt à calore, & conſequenter omnia mixta calida putreſcerent ſemper. Tum ignis per ſuum calorem producit intenſiſſimas omnes ſecundas qualitates, quæ petunt fieri à calore, & con- E ſequenter produceret iſtam innominatam, & ſimul per illam ignis putreſceret, quod eſt contra doctrinam Ariſtotelis *lib.* 4. *meteor.* qui docet omnia poſſe putreſcere præter ignem: & ſuadet ratio, quia non eſt externus illi calor, à quo poſſit alterari.

§. III.

Ratio generica eſſentialis putredinis adaptatur deunioni in oppoſitis patibilibus.

RESolvendum ſecundò, quod putredinis ratio generica & eſſentialis ſtat in hoc, quod ſit deunio. Sic tenent Nuñez *lib. de coctione & putredine,* & Veiga *lib.* 1. *de differ. febr.*

Probatur primò: Putredo, quæ ex Ariſtotele eſt mixtorum proprietas, ex communi placito Philoſophorum, aut debet eſſe eſſentialiter conſtituta in hoc, quod ſit interitus naturalis caloris, ut videtur deſcribi ab Ariſtotele; aut in hoc, quod ſit qualitas ſecunda; ut fingunt Carreirus, & Matamoros; aut conſiſtit in deunione miſcibilium, ſeu materialium partium in oppoſitis patibilibus, ut nos aſſerimus: Sed non ſtat eſſentia putredinis in interitu naturalis caloris, quia putredo eſt entitas poſitiua, & mixti proprietas: at caloris interitus eſt privatio entitatis poſitivæ, conſervantis unionem. Nec ſtat in innominata ſecunda qualitate, ut nuper probavimus: Ergo reſtat, ut conſiſtat in deunione partium materialium in oppoſitis patibilibus.

Probatur ſecundò ex Ariſtotele 4. *meteor.* Coctio, & putredo ſunt contrariæ mixtorum proprietates: Sed coctio, ut probavimus, conſiſtit in unione in oppoſitis patibilibus: Ergo putredo ſtat in illorum deunione.

Probatur tertiò: Si putredinis ratio non ſtaret in partium deunione, maximè quia, ut dicunt Carreirus, & Matamoros, ab ipſis demonſtratum fuit, non dari in mixtis tales partes materiales elementorum: Sed eorum fundamentis convictis, nos demonſtravimus *tom.* 1. *Reſolut. Medic.* omnium elementorum materiales partes neceſſariò admittendas eſſe in omni mixto perfecto: Ergo & hanc deunionem ſimiliter eſſe poſſibilem.

Probatur quartò: Putredo fit per hoc, quod partes humidæ in principio putredinis ſeparatæ à terreis deferantur in ſuperficiem rei, quæ putreſcit: inquit enim Ariſtoteles *lib.* 4. *meteor. cap.* 1. *Quamobrem quæ putreſcunt, primùm humeſcunt, demùm ſiccitatem contrahunt: ab iis enim formata ſunt.* Et Galenus *de attenuante victus ratione, cap.* 3. docet, carnes duras fieri teneriores, humiditate ad partes externas attracta: & Ariſtoteles iterum confirmat 4. *meteor.* dicens: *Ob eam enim rem putrida omnia ſicciora fiunt, & tandem terra &,*

& cinis ; proprio enim calore exſoleſcente naturalis humor unà cum eo per vaporem emittitur, nec poſtea res qua humorem allicit, adeſt ; allicit enim trahens proprius calor. Ergo datur deunio humidi à ſicco in omni putredine.

Probatur quintò : Si quid ſuaderet, non dari deunionem miſcibilium per putredinem in oppoſitis patibilibus, maximè quia, ut intendunt contrariè opinantes, non eſt cauſa quâ humidum deuniatur à terreo, & moveatur ad externas partes : ſed ſunt plures huiuſmodi cauſæ, ut patebit Reſolutione ſubſequenti : Ergo talis deunio debet admitti.

§. IV.

Solvuntur fundamenta contrariorum.

AD primum reſpondetur, quod patet ex nuper dictis à nobis, eſſe demonſtratam improbabilitatem opinionis, quam pro ſuo fundamento adducit Matamoros.

Ad ſecundum reſpondetur, quod in ſubſequente Reſolutione, ut nuper diximus, manifeſtabimus cauſas, ob quas fit deunio per putredinem in oppoſitis patibilibus.

Ad tertium reſpondetur, quod *deunio* non requiritur in putredine, ut ſuperveniat innominata ſecunda qualitas ; quia hanc eſſe confictam, & impoſſibilem probavimus ; ſed quia deunio in oppoſitis patibilibus in putredine eſt illius eſſentialis ratio generica, ut probavimus.

Ad quartum reſpondetur, quod deunio humidi à ſicco per putredinem non requiritur ut acquiratur ſiccitas ; ſed hæc neceſſaria eſt, ſeparato aqueo humore per deunionem à terreo ; requiritur tamen, & eſt præciſa, quia in illa conſiſtit eſſentialis ratio putredinis & corruptionis mixti putreſcentis.

Ad quintum reſpondetur, quod Ariſtoteles, & Galenus non tradunt eſſentialem definitionem putredinis ; ſed illam deſcribunt per ſuas cauſas, & per alterationem, quæ fit ab externo calore, quæ pro termino habet calorem extraneum, à quo poſtea ſubſequitur ipſa putredo, ſeu miſcibilium deunio.

Ad ſextum reſpondetur, quod Ariſtoteles non definit putredinem per ſuas partes eſſentiales, ſed illam deſcribit, & explicat per ſuam immediatam cauſam, à qua neceſſariò provenit.

Ad ſeptimum reſpondetur, quod à calore interno, & naturali fit unio in

A oppoſitis patibilibus per coctionem. At verò à calore præternaturali fit deunio per putredinem, quia ſicut iſti calores ſunt contrarii, ſic contrarios effectus valent producere : qui eſt naturalis, poteſt producere unionem in oppoſitis patibilibus per coctionem ; qui eſt præternaturalis, deunionem earum per putredinem.

RESOLVTIO III.

B

Utrum in putredine detur cauſa à qua fiat deunio aquei humoris à terreo.

§. I.

Pars negativa proponitur, & fulcitur.

DIximus in diffinitione putredinis, eam eſſe deunionem, & ſuperaddidimus loco differentiæ hanc particulam, quod hæc ſit ; *aquei humoris à terreo in oppoſitis patibilibus.* Nunc inquirimus, an harum C partium deunio ſit eſſentialis ratio differentialis conſtitutiva putredinis? Sunt plures, qui deviant ab hac doctrina inter Juniores, quantumvis non negent ab Ariſtotele hanc doctrinam fuiſſe probatam : præcipuè illam negant, ne per illam convincantur ad admittendum, dari in omni mixto partes materiales omnium elementorum : & præcipuum fundamentum, in quo inſiſtunt, eſt quod in antecedente Reſolutione propoſuimus ex eorum pla-D citis.

Sic adhuc ſi admittantur partes elementorum in mixto, non poteſt admitti doctrina Ariſtotelis, & omnium commentatorum illius, quod ſcilicet in putredine detur deunio *aquei humoris à terreo in oppoſitis patibilibus*, ſive requiratur ut conditio pro putredine, ſive tanquam ratio eſſentialis & propria illius differentia, quia talis ſeparatio & deunio eſſet impoſſibilis, niſi aſſignetur cauſa, à qua fiat : ſed nulla poteſt aſſignari : Ergo nec admittenda deunio talium partium miſcibilium.

§. II.

E

Pars affirmativa eligitur, & probatur.

REſolvendum, quod per particulas propoſitæ definitionis traditur vera, & eſſentialis ratio putredinis. Sic deducitur expreſsè ex Ariſtotele, & ejus commentatoribus ; & præcipuè Argenterius, & Veiga ita tenent.

Probatur primò ex Ariſtotele 4. *meteo-*

ror. qui docet, omnium mixtorum cariem eſſe finem, ortam ex ſeparatione aquei à terreo; inquit enim: *Caries enim finis eſt omnium quæ naturâ conſtant, niſi quidpiam vi corrumpatur. Quamobrem quæ putreſcunt, primùm humeſcunt, demùm ſiccitatem contrahunt; ab iis enim formata ſunt.* Sed conformatio, & unio terrei cum ſicco in oppoſitis patibilibus, eſt per quam maxime formantur mixta, & perficiuntur per coctionem, ex eodem Ariſtotele docente, quod coctio eſt *perfectio in oppoſitis patibilibus.* Ergo putredo eſt proprietas, in qua deſinunt per hanc ſeparationem humidi à ſicco, & terreo exiſtentibus in oppoſitis patibilibus, & per eorum deunionem.

Probatur ſecundò: Ex dictis putredo opponitur coctioni, ex Ariſtotele *lib. 4. meteor.* Sed coctio eſt aquei cum terreo unio in oppoſitis patibilibus, ut ſuprà tradidimus; Ergo eſſentialiter competit putredini ejus contrariæ, quod ſit earundem partium deunio, quia contrariorum eadem eſt ratio.

Probatur tertiò: Si non ſtaret eſſentialis ratio putredinis in humidi à terreo deunione in oppoſitis patibilibus, maximè quia non datur cauſa per quam deuniantur: Sed ſunt plures cauſæ, à quibus poteſt provenire talis deunio: Ergo illa poſſibilis & neceſſaria, ac eſſentialis eſt putredini.

Probatur minor: Tum ex Ariſtotele, qui definiens putredinem, tradit pro cauſa putredinis & deunionis humidi à terreo interitum proprii caloris, à quo mixtum diſſolvitur; nam ſicut per naturalem calorem perficitur, & uniuntur oppoſita patibilia, ita per præternaturalem calorem remanentem ex interitu naturalis caloris oppoſita patibilia deuniuntur, & humidum reſolvitur, & tranſit in cariem: quod docet Avicenna *fen. 2. lib. 1. doct. 2. cap. 3.* dicens: *Et calor quidem innatus eſt ille, qui humores naturales tuetur, ne eis caliditates extraneæ dominentur; calor namque innatus cùm eſt fortis, poteſt natura ipſo mediante,* Ergo interitus caloris innati cauſa valet eſſe ad harum partium deunionem.

Tum ſecundò probatur eadem minor; nam à calore extraneo rei putreſcentis, poſſe deuniri aqueum humorem à terreo demonſtrat, & poſſe moveri ad partes exteriores, quòd à naturali calore fiat continuum effluvium partium calidarum per totam vitam ex partibus tenuioribus miſcibilium: & in ſudore naturali à naturali calore partes humidæ, & aqueæ attenuan-

A tur, ſeparantur à reliquis, & moventur per totum corpus ad ejus ambitum, & extra ipſum corpus: Ergo potiori iure in putredine, extincto calore naturali, à quo conſervabatur unio in oppoſitis patibilibus, poterit ab extraneo calore aquea ſubſtantia attenuari, ſeparari à terrea, & moveri ad partes exteriores corporis putreſcentis.

Probatur quartò ex Auicenna, quod ſtet eſſentialis ratio putredinis in ſeparatione humidi à ſicco; inquit enim *fen. 3. lib. 1.*
B *cap. unico: Et hæc quidem à primo modo eſt alia, licèt ſua ipſius materia ad ſiccitatem adducat, propterea quod corporis humiditatem prius corrumpit, & diverſificat formam, ſeu modum convenientia ſuæ ad corpora noſtra; deinde in ultimo, vel in fine res à putrefactione fit reſolutio, quoniam putrefactio in primis corrumpit humiditatem, poſtea ipſam reſolvit, & rem ſiccam dimittit cineritiam.* Ex quibus patet eſſe extrinſecum putredini deunire in oppoſitis patibilibus humidum à terreo.

Probatur quintò; nam ſimilis currit
C ratio in ſeparatione, deunione, & motu locali verſus omnes differentias in aqueo humore commixto cum terreo, & in luto mixto cum aqua, in externis, ac in oppoſitis patibilibus, in mixtis, deficiente naturali calore, à quo conſervabatur unio, ut deuniantur ab externo calore: ſed in aqua luto commixta, à Solis, externóve alio calore fit harum partium deunio, humidi attenuatio, arraratio, & verſus omnes differentias, per quas lutum calefit, aquei humoris attractio, & per levitatem ſur-
D ſum elevatio: Ergo in oppoſitis patibilibus ab extraneo calore ſimilis poteſt eſſe deunio, & localis motus versùs omnes partes: Ergo erit intrinſeca hæc deunio omni putrefactioni.

§. III.

Solvitur ratio dubitandi hæſitantium.

AD rationem dubitandi patet ex dictis, quod prima ratio, ob quam fit putredo, eſt quia deficit ob interitum natura-
E lis calor, & ideo deficit cauſa conſervativa unionis in oppoſitis patibilibus; qua deficiente, ſicut aqueus humor in luto manet aptus ut à quolibet calore arraratus deuniatur à terra, fiat tenuis, & levis, & à ſua levitate moveatur, & à ſua raritate verſus omnes differentias, & elevetur à Solis calore; ſimili modo intra mixtum aqueum à terreo deunitur per externum calorem, & fit deunio in oppoſitis patibilibus

bilibus, in qua ſtat eſſentialis ratio putredinis, non in deunione reliquorum miſcibilium, quia putredo eſt paſſio mixtorum contraria coctioni, & coctio non ſtat in unione omnium miſcibilium, quia provenit à mixtione, & non à coctione; ab hac enim ſolùm fit unio in oppoſitis patibilibus, ſic in illis ſolis per putredinem deunio; ideo continuum effluvium, & reſolutio in hecticis, & per uſtionem, non ſunt vera putredo, licèt ſint omnium miſcibilium deunio: & eadem ratio currit in ſudore, licèt in illo ſeparetur magna copia aquei humoris, & deuniatur; quia non eſt deunio per ſe ordinata ad oppoſita patibilia deunienda.

Resolutio IV.

Utrum interitus proprii caloris ſit immediata cauſa putredinis, & deunionis miſcibilium.

§. I.

Pars negativa aliquibus apparet ſuaderi.

PRopoſuimus in definitione, eſſe putredinem deunionem in oppoſitis patibilibus, *ob interitum proprii caloris.* Dubitatur an nativi caloris interitus valeat cauſare putredinem? Et pars negativa videtur ſuaderi primò, quia putredo, & deunio quæ fit in oppoſitis patibilibus, eſt effectus realis: ergo debet provenire ab entitate reali, & poſitiva: ſed interitus proprii caloris eſt illius privatio, & entitatis defectus: ergo non poteſt aſſignari pro cauſa realis deunionis, quæ fit in putredine.

Secundò: Si interitus proprii caloris eſſet cauſa putredinis, interitus caloris facti à frigore, quod propriè calorem extinguit, eſſet cauſa illius. Sed ex Ariſtotele, potiùs admittendus pro cauſa interitus à calore extraneo: Ergo hæc cauſa non eſt admittenda.

Tertiò: A calore extraneo nequit interitus caloris proprii ſupervenire. Nam ab uno calore alter calor potiùs conſervatur, & intenditur, ac perficitur: Ergo nequit à calore externo proprius interimi, & fieri cauſa putredinis.

Quartò: Si caloris interitus eſſet cauſa putredinis, ab omni ejus interitu fieret putredo: Sed caloris interitus fit defectu pabuli, & in reſolutione partium noſtri corporis, ut in emaciatis, & hecticis; & ab hoc interitu caloris proprii non fit putredo: Ergo talis defectus non eſt ejus cauſa.

A Quintò putredo in humoribus præcipuè provenit, ex Galeno *lib.* 12. *methodi, capit.* 4. *& cap.* 8. ex prohibita tranſpiratione, & hæc ex obſtructione, & hæc ex lentore, & multitudine: Ergo per has cauſas potiùs debuit definiri putredo, quàm per interitum caloris proprii.

§. II.

B *Interitus caloris naturalis eſt proxima cauſa deunionis in putredine aquei à terreo.*

REſolvendum, quod ab interitu caloris naturalis provenit præcipuè quod oppoſita patibilia deuniantur, & fiat putredo. Sic protulit Ariſtoteles, qui putredinem definit per talem interitum, tanquam per immediatam cauſam putredinis.

Probatur ratione ſuprà propoſita, deſumpta ex Avicenna *fen.* 2. *lib.* 1. *doct.* 2. *capit.* 3. §. *Et calor quidem innatus eſt ille, qui humores naturales tuetur, ne eis calidi-* C *tates extraneæ dominentur.* Ergo eo ipſo, quod calor innatus interiit, dominantur calidirates extraneæ, à quibus fit deunio in oppoſitis patibilibus, in qua ſtat ratio putredinis. Ergo hic interitus eſt proxima, & inevitabilis cauſa putredinis.

Probatur ſecundò: Interitus innati caloris à calore extraneo proveniens, provenit non ex eo, quod talis calor fiat remiſſior in eſſe caloris, qualiter remittitur à frigore; ſed ex eo, quod intereat in eſſe naturalis, & proportionati pro conſerva- D tione mixti, & ut eſt inſtrumentum proportionatum pro illius operationibus. Sed per interitum hujus proportionis fit calor extraneus, & corruptivus: Ergo ob interitum nativæ calidiratis neceſſariò debet ſubſequi putredo, & corruptio unionis aquei cum humido.

Probatur tertiò: Munus innati & proprii caloris eſt perficere mixtum in coctione per unionem in oppoſitis patibilibus, & ſimul illam jam perfectam acquiſitam unionem conſervare, ut agentes de co- E ctione probavimus: Ergo eo ipſo, quod caloris innati fiat interitus à calore extraneo, definit talis unionis conſervatio, & ſubſequitur deunio, in qua ſtat ratio putredinis.

§. III.

Solvuntur argumenta primò adducta.

AD primum reſpondetur, quod ſicut omnia quæ generantur, fiunt per corruptionem alterius, non quia ab illa fiant, ſe quia illa præſupponitur: ſic ex interitu nativi caloris fit putredo, non quia ab illo fiat tanquam à cauſa poſitiva, ſed quia illa ſupponitur, ut detur cauſa poſitiva putredinis, quæ eſt calor qui ex interitu nativi caloris fit præternaturalis, & poſitiva cauſa deunionis.

Ad ſecundum reſpondetur, quod Ariſtoteles ponit interitum caloris nativi pro cauſa putredinis, ad denotandum quod calor non ſit cauſa putredinis per hoc quod corrumpatur à ſuo contrario in eſſe caloris; ſic enim ab ejus extinctione non fieret putredo: ſed per hoc, quod intereat in illo ratio naturalis, & remaneat ratio, & entitas caloris præternaturalis, à quo fiat partium deunio in oppoſitis patibilibus.

Ad tertium reſpondetur, quod à calore extraneo non interit calor innatus, ut calor eſt, ſed ut eſt calor naturalis, proportionatus, & conſervativus mixti; & tranſit in improportionatum & præternaturalem per novuum realem modum acquiſitum.

Ad quartum reſpondetur, quod Ariſtoteles non definit putredinem per quemlibet interitum nativi caloris, ſed per illum, qui fit à calore extraneo: cui nos adhæremus.

Ad quintum reſpondetur, quod ponimus cum Ariſtotele proximam cauſam putredinis, non remotas, quas docuit Galenus.

Resolutio V.

Utrum interitus nativi caloris pro putredine ſemper petat fieri à calore extra rem putreſcentem orto.

§. I.

Ratio dubitandi, & varia opinantium ſententia.

PArticula ultima definitionis eſt, *ab externo, ſeu extraneo calore*, quam deſumimus ex deſcriptione Ariſtotelis, circa quam communiter diſputant Authores, an à ſolo externo calore poſſit fieri nativi caloris interitus requiſitus pro putredine? Et calor dupliciter poteſt dici externus:
A uno modo ita ut fiat à cauſa, quæ eſt extra rem, in qua accidit putredo, qualis eſt calor qui eſt in aëre ambiente: alio modo, quod ſit intra corpus, in quo fit putredo, ſed extra rem putreſcentem, ut calor qui in fuliginibus intra corpus communicatur humori putreſcenti. Præterea calor externus alter eſt igneus, & uſtivus, à quo deurente provenit uſtio: alter eſt cum humiditate, & putrefactivus, à quo fit interitus caloris innati, & putredo.

In hac difficultate Argenterius *lib. artis*
B *medicinalis*, & Veiga *lib. 1. de differ. febr. cap. 6.* tenent quod putredo non ſolùm petit fieri à calore externo, ſed etiam ab interno calore. Sed non eodem modo philoſophantur; nam Argenterius tenet, quod interitus naturalis fit per putredinem, & ideo hæc putredo fit ab innato calore, qui eſt cauſa talis putredinis, & interitus. Præterea ſuperaddit, quod poteſt fieri putredo à calore interno ſine cauſa externa calefaciente: Veiga verò non ſic confundit ſenectutem cum putre-
C dine, ſed ponit putredinem in interitu caloris nativi, ratione cujus diſſolvitur mixtio, ſive fiat defectu alimenti, ſive ab excedente frigore, ſive à nimio calore, licèt non concurrat calor externus ad putredinem.

Pro quibus ſtat primò, quia ex Ariſtotele interitus naturalis eſt quædam putredo: Sed hic petit fieri à calore innato, tanquam à cauſa inevitabili: Ergo datur aliqua putredo, quæ non fit à calore externo. Tum ſecundò, quia quæ putreſ-
D cunt ſub nive, ſub aqua frigida, intra frigidam terram, ſub frigido aëre ambiente, veram patiuntur putredinem: Sed non à calore extrinſeco: Ergo ſine illo fit putredo. Tum tertiò, quia in regionibus intemperatis & frigidis fit putredo: Sed in iis non eſt aër externus calidus, à quo fiat putredo: Ergo fit ſine calore externo. Tum quartò, quia in mixto quod putreſcit, priùs datur putredo, quàm proveniat excedens calor: Ergo non potuit ab illo excedente calore fieri putredo.
E Tum quintò, quia quæ incluſa manent intra aliqua loca, ſine eo quod alterentur ab aëre calido, putreſiunt: Ergo à proprio calore. Tum ſextò, quia calidiſſimi humores noſtri corporis, qui nequeunt alterari ab aëre occurſante temperato, putreſiunt, non tamen à calore proprio illorum remiſſiore: Ergo ſine alteratione à cauſa externa.

§. II.

§. II.

Ab ambientis aëris calore urente non fit putredo.

RESolvendum primò, quod ab extrinſeco utente aëris calore non fit putredo.

Probatur: Tum ex Ariſtotele 4. *meteor.* dicente, quod mixtum deficit dupliciter, vel per putredinem, vel per uſtionem; ſed ratione uſtivi caloris fit uſtio: ergo putredo debet à diverſa alia cauſa provenire. Tum calor combuſtivus eſt calidus, ſiccus, & igneus; calor putrefactivus, eſt calor humidus: ergo calor uſtivus non attingit actionem caloris putreſcentis. Tum licèt uterque calor, uſtivus, & putrefactivus, deſtruant mixti unionem, diverſas deuniunt ſubſtantias. Nam calor uſtivus deunit unionem mixtionis factæ per generationem, quæ eſt miſcibilium alteratorum unio, per vehementem reſolutionem omnium miſcibilium: calor putrefactivus deunit unionem in oppoſitis patibilibus per interitum nativi caloris: Ergo uſtivus calor non aſſequitur putredinem. Tum patet; nam fit per conſumptionem, & citam reſolutionem humidi uſtio; putredo verò primò per ſolam ſeparationem humidi à partibus terreis in externas partes: Ergo à calore urente nequit fieri putrefactio.

§. III.

Ab aëris ambientis putredinali, externoque calore majori ex parte provenit putredo.

RESolvendum ſecundò, quod ab aëris ambientis calore putredinali ut in plurimum fit putredo. Sic docuit Ariſtoteles tribuens huic cauſæ putredinis generationem; & admittitur ab omnibus.

Probatur ex Ariſtotele in definitione putredinis, docente, quod eſt interitus à calore externo. D. Thomas ait *in Pſalmum* 13. quod eſt putredo, *expulſio caloris naturalis expulſi ab externo.* Galenus 11. *Method. cap.* 8. tenet, quod putredo eſt *mutatio totius putreſcentis corporis ad corruptelam ab extranea caliditate.* Avicenna *fen.* 2. *lib.* 1. *doct.* 2. *cap.* 1. inquit: *Putrefactio enim ſæpe accidit cùm in corpore manet, poſtquam ab ea cauſa extranea, calefaciens ſeparatur caliditas extranea, quæ in materia humida accenditur.* Hanc doctrinam admittunt omnes Philoſophi, & Medici, & dubium non datur de illa, ſed an etiam ſine cauſa externa poſſit fieri putredo.

A

§. IV.

A calore innato interno nequit fieri putredo.

RESolvendum tertiò, quod ab interno calore innato nequit fieri putredo. Sic ſanciendum contra Argentetium.

Probatur. Tum ex Galeno 2. *acut. comm.* 44. §. *Ita igitur veluti in corpore animato putreſcunt, nihil ad permutationem conferente innato calore, & à coctionis ratione degenerant.* Tum quia calor inna-
B tus concoquit, & unit oppoſita patibilia, & eorum conſervat unionem, niſi perveniat ad naturalem interitum, ut docuit Ariſtoteles 4. *meteor.* Ergo nequit ab illo fieri putredo. Tum quia calor innatus perficit coctionem uniendo partes aqueas cum terreis. Ergo eſt impoſſibile, quod ſimul in eodem tempore illas putredine deuniat, & eædemmet partes moveantur ſimul à centro ad circunferentiam, & à circunferentia ad centrum per motus locales contrarios. Tum ſi quid probaret,
C dari putredinem ortam à calore nativo, maximè quia ab illo provenit mors, quæ etiam ab Ariſtotele vocatur putredo. Sed hoc fundamentum eſt falſum, quia Ariſtoteles ibi ſumit putredinem pro corruptiune, & ſeparatione animæ à corpore, non pro vera putredine, quæ ex ipſo Ariſtotele conſiſtit in ſeparatione aquei humoris à terreo, & motione in partes externas.

§. V.

D

Denegatur, quod ab interno partium calore, adhuc præternaturali, fiat putredo.

RESolvendum quartò, quod à calore interno præternaturali partium viventium nequit fieri putredo.

Calor internus noſtri corporis, alius eſt naturalis, alter præternaturalis: naturalis alter innatus, alter aſcititius, de quo diximus quod non poteſt eſſe cauſa putredinis. Præternaturalis calor alter ex putredine, aut uſtione communicatus à partibus in-
E ternis ad partes ſolidas viventes: alter ortus & pullulans in partibus viventibus, ob perverſionem temperamenti ſubſtantifici versùs partes igneas, & aëreas, qualiter contingit in febre hectica: & de hoc calore præternaturali interno, & intrinſeco partibus ſolidis, dicimus quod non poteſt eſſe cauſa putredinis.

Probatur, quia per hoc differt in doctrina Galeni communiter recepta ab omnibus Authoribus claſſicis, febris hectica ab

humo

humorali & diaria, quia illæ fiunt ratione A
putredinis, aut uſtionis in ſpiritibus, aut
humuribus; hectica verò ex ſola perver-
ſiune temperamenti ſubſtantifici versùs
partes calidas: Ergo eo ipſo, quod calor
ſit internus, & præternaturalis, ortus ex
perverſione ſubſtantifici temperamenti,
nequit ab eo calore provenire putredo.

Probatur ſecundò: Calor hecticus ſi-
mul eſt cum ſiccitate, & ſit uſtivus, & à
quo reſulvuntur omnes partes materiales
totius mixti: Ergo ab illo non fit putredo,
à qua ſolùm fit deunio humidi à ſicco ver- B
sùs partes exteriores.

§. VI.

Humores putreſcunt in corpore ſemper à cauſa externa.

RESolvendum, quod humores putreſ-
cunt intra curpus ſemper à cauſa ex-
terna illis.

Ad hoc notandum, quod licèt ineptè
aliqui negarunt, poſſe humores putreſce-
re intra venas, tamen ſtandum eſt doctri- C
næ Avicennæ, qui *fen. 2. lib. 1. doct. 3.*
cap. 3. docet & poſſe putreſcere, & mo-
dum quo accidit illis putredo, §. *Et calor*
quidem innatus eſt ille, qui humores natu-
rales tuetur, ne eis caliditates extraneæ do-
minentur; calor namque innatus, dum eſt
fortis, poteſt natura, ipſo mediante in humo-
ribus miniſtrare ſecundum modum maturandi,
& digerendi, & cuſtodire eos ſecundùm ſa-
nitatem: & moventur humores ſecundùm mo-
dum miniſtrationis ipſius, & prohibentur mo-
veri ſecundùm modum miniſtrationis caloris D
extranei: quare non putreſiunt, ſed cùm ca-
lor iſte eſt debilis, fatigatur natura, & à
regimine humidum abſtinet, propter inſtru-
menti debilitatem, quod inter ipſam, & hu-
mores eſt medium, & ſtat, & calor extra-
neus invenit ipſum non occupatum in re-
gimine: comprehenduntur ergo ab eo, & fa-
cit eos obedientes, & motu extraneo ipſos
movet, & accidit putredo.

Cùm igitur hæc ſuperveniat in humo-
ribus, & Ariſtoteles doceat illam fieri à
calore externo, pro ejus doctrina aſſeri- E
mus, quod licèt ab internis cauſis cale-
fiant, ipſa putredo in illis ab externo calore
communicato humoribus provenit. Ratio
hujus eſt, quia ut docet Galenus *lib. 1.*
de differ. febr. cap. 3. ob obſtructiones, aut
adſtrictiones cutis, occluduntur pori, &
impediuntur fuligines, à quibus accenſis
calefacti humores putreſiunt, quæ reſpectu
humorum, quos calefaciunt, ſunt cauſæ
externæ.

§. VII.

Fit ſatis pro argumentis in principio propoſitis.

AD argumenta reſpondetur: Tum pro
primo, quod interitus naturalis, ut
diximus, eſt quædam putredo, ſeu cor-
ruptio, quæ opponitur generationi; non
vera putredo, quæ opponitur coctioni,
quæ à ſolo præternaturali extrinſeco ca-
lore fit. Tum pro ſecundo, quod quæ
B putreſcunt ſub rebus frigidis, calefiunt à
calore externo fuliginum, quæ elevantur
ex terra, quæ detinentur à frigore con-
denſante, & retentæ calefaciunt res ap-
tas putrefieri, ſicut & eædem in puteis,
aut fontibus hyeme retentæ à frigore
aquas valent calefacere. Tum pro tertio,
quod in frigidis regionibus poſſunt variæ
cauſæ accidere, à quibus res quæ putreſ-
cunt, potuerint calefieri, quales ſunt
variæ exhalationes igneæ in aëre, quales
etiam contingunt commixtæ in nive, à
C quibus probat Bartholinus, poſſe nivem
calefacere. Tum pro quarto, quod duplex
calor attenditur in putredine; alter com-
municatus à cauſa externa, à quo fit pu-
tredo; alter ſubſequutus ab ipſa putredi-
ne, de quo non agimus. Tum pro quin-
to, quod concluſa in locis clauſis ſine aëris
ventilatione putreſiunt à commixtis exha-
lationibus, quæ non ventilatæ ab aëre ac-
cenduntur per calorem proprium, ſicut
ſpiritus non ventilati in corpore à ſeipſis
accenduntur per calorem à propria for-
D ma ſupervenientem. Tum pro ſexto, quod
ſicut fuligines, aut ſpiritus vitales, qui
ſunt calidores reliquis corporis partibus,
poſſunt alterari à cauſis calidis inferioris,
ſeu remiſſioris caloris, quia illorum calor
remittitur ab aëre attracto: ſic & calidi hu-
mores aliqualiter attemperati ab aëre at-
tracto ante putredinem, ab externa minùs
calida cauſa alterantur; quia licèt in po-
tentia ſint illâ calidiores, actu tamen re-
miſſiorem calorem habent. Sic contingit
calidam aquam, licèt in potentia ſit fri-
E gida in ſummo, poſſe infrigidari ab am-
biente remiſsè frigido.

RESOLV

RESOLVTIO VI.

Utrum dum putreſcunt humores in morbo ſalubri, ſimul coquantur.

§. I.

Primi opinantes partem negativam amplectuntur.

CUm coctio, & putredo ſint duæ affectiones mixtorum ita inter ſe contrariæ, ut per coctionem mixta perficiantur in ſuo eſſe ad proprias operationes, & per putredinem corrumpantur, & properent in interitum, non poſſe ſimul compati videtur rationi conſonum; cùm ex alia parte dum humores putreſcunt in noſtro corpore, ſimul appareant in ſedimento in morbo ſalubri ſigna coctionis, quæ perficitur in cauſa morbifica, & ſimul ſit febris in ſua majori intenſione, quæ oritur ex intenſione putredinis. Ex quibus convincitur, quod ſimul dantur coctio & putredo circa cauſam morbificam. Hinc inter Medicos cœpit controverſia, aliis negantibus, quod ſimul, & in eodem tempore in febribus putridis humoralibus ſalubribus poſſint ſimul reperiri coctio, & putredo; aliis id conſtanter affirmantibus.

Inter negantes Turiſanus ſe expedit ab hac difficultate diſcedens ab illa; tenet enim, quod coctio, & putredo in febribus putridis non fiunt ſimul in eodem tempore, ſed in diverſis temporibus; nam in tempore neutralitatis, & in principio morbi tenet fieri putredinem, in reliquis verò temporibus morbi ſolam coctionem. Huic modo philoſophandi adhærere videtur Ambroſius Henriquez tractatu de coctione, & putredine, qui affirmat, quod coctio & putredo in febribus fiunt in diverſis temporibus; differt tamen à Turiſano in illis aſſignandis: nam dicit, quod fit in principio, in augmento, & uſque ad ultimam partem ſtatus putredo, ab ultima verò parte ſtatus incipere coctionem.

Sed ii Authores non reſpondent difficultati; ſi enim eſt manifeſtum experientiâ, quod per totum morbi, ſeu febris putridæ decurſum permanet febris putrida, & hæc oritur ex putredine humoris: ergo manifeſte convincit, quod per omnia morbi tempora fit putredo, & ex hoc præſuppoſito ſupervenit difficultas, an talis putredo ſit ſimul cum coctione in mor-

A bo ſalubri; in quo per eadem tempora apparent coctionis ſigna in urinis.

Secunda opinio admittit, ſimul dari coctionem, & putredinem in febre ſalubri per totum morbi decurſum, dum ſervat materiæ evacuationem ad unam criticam expulſionem; ſed in modo admittendi prædictas alterationes differunt juxta quatuor philoſophandi modos, quos propoſuit poſſibiles Gentilis *in Extravagantibus*, *q*. 33: *concluſione* 2.

Primus philoſophandi modus eſt, co-
B ctionem, & putredinem eſſe affectiones inter ſe differentes, & contrarias, ſicut album, & nigrum; & quod poſſunt ſimul reperiri in eodem ſubiecto, ſicut reliqua contraria in gradibus remiſſis compatibilibus, ut apparet in frigore, & calore.

Sed Gentilis in hoc placito ſibi eſt contrarius; tenet enim, quod coctio, & putredo conſiſtunt in unione, & deunione aquei cum terreo; & conſequenter ſtat contra illum, quod coctio & putre-
C do ſunt duo motus contrarii locales partium elementalium, quæ ſunt oppoſita patibilia: Ergo implicat in aliquo gradu poſſe ſimul compati. Patet antecedens; nam coctio eſt unio miſcibilium, putredo verò earundem partium deunio, ut patet ex dictis: Ergo ſunt duo motus locales contrarii earundemmet partium, quæ per unum moventur à partibus externis ad internas, per alium ab internis ad externas, tanquam in contrarias ubicationes: quod omninò implicat.

D Probatur ſecundò: Idem mobile ſimul & in eodem tempore per contrarios motus locales approximari ſimul, & ſeparari reſpectu eius termini implicat: Sed ſi ſimul circa eas partes fieret coctio per unionem, & putredo per deunionem, hoc eſſet admittendum: Ergo admiſſo quod coctio ſtet in unione, & putredo in ſeparatione miſcibilium, talis philoſophandi modus omnino repugnat.

Secundus modus Philoſophandi Gentilis eſt, quod coctio, & putredo non
E ſunt contraria; & ideo poſſunt ſimul eſſe in eadem materia, ſicut calor & quantitas. Huic adhæret Carrerius *quæſt.* 12. *ſuper ſen.*4. Et addit quod licèt eſſent contraria, poſſent tamen ſimul eſſe in gradibus remiſſis; & quod coctio, & putredo ſunt duæ ſecundæ qualitates inter ſe compatibiles ſimul circa idem ſubiectum.

Sed diſplicet hic philoſophandi modus: Tum quia coctio involvit acquiſitionem perfectionis, ut ex Ariſtotele admittit ipſe

Carreirus ; putredo verò includit imperfectionem, & corruptionem : quod manifeſtè etiam apparet in fructibus, dum maturantur, & corrumpuntur : Ergo adhuc ſi admittat Carreirus coctionem, & putredinem eſſe ſecundas qualitates, & non eſſe contrarias, implicat ſimul, & in eodem tempore partes mixti ſimul perfici, & corrumpi. Tum Galeuus docet, quod coctio facit ceſſare putredinem, *lib. artis medicinal. cap.* 86. & *lib. acuter. comm.* 17. tenet, quod ſicut vinum cum pauco ſapore acido, ſi nondum in acetum eſt B tranſmutatum, à putredine in antiquam naturam poteſt redire : ſic & ſanguis à parva putredine reducitur in ſuam propriam naturam ; & ſimili modo coctio impeditur per putredinem, & mutatur in rei putridæ corruptelam, ut docuimus ex Galeno : Ergo quia coctio, etiamſi ſit ſecunda qualitas, eſt contraria putredini, aut incompatibilis cum illa. Tum cauſæ coctionis, & putredinis ſunt oppoſitæ, cùm alia ſit naturalis calor perficiens rem quæ coquitur, alia ſit interitus caloris nativi, ratione cujus intermittitur, & corrumpitur coctio, quæ præceſſit in materia, quæ putreſcit : Ergo non ſunt compatibiles in eadem materia entitates, ſeu qualitates, aut cauſæ, quas Carreirus aſſignat pro coctione, & putredine. Tum in ſtatu febris putridæ ſalubris eſt putredo in maiori ſua intenſione, ut oſtendit intenſio febris, quæ oritur ex illa ; & ſimul eſt intenſior coctio, ut apparet in ſedimento : Ergo etiamſi coctio & putredo ſint ſecundæ qualitates, nequeunt ſimul reperiri in eadem parte cauſæ materialis, aliàs dum eſſet magis corrupta per qualitatem putredinis, eſſet magis perfecta per qualitatem coctionis.

Tertius modus philoſophandi Gentilis eſt, quod in eadem materia morbi ſalubris poſſunt ſimul reperiri coctio, & putredo, ſicut in optimo ſedimento ; quia coctio & putredo non fiunt per duas actiones diverſas, ſed ambæ ſunt unus terminus, qui eſt ſimul coctio, & putredo, proveniens ab una, eademque cauſa, calore ſcilicet, qui eſt ſimul naturalis, & præternaturalis, à quo fit una entitas continens coctionem, & putredinem per participationem extremorum, quæ producuntur per unam ſimplicem actionem. Huic modo philoſophandi adhæret Valleſius, quem ſequuntur Vega *lib.* 1. *de different. febrium, cap.* 19. Joannes Bravo Petrafitanus *lib.* 1. *progneſt. textu vlt.*

Sed diſplicet hic philoſophandi modus, A Tum quia hi opinantes admittunt, quod ut docet Ariſtoteles, in coctione detur unio in oppoſitis patibilibus, & deunio in putredine ; & admittunt quod coctio ſit perfectio mixtorum, & quod coctio fit à calore naturali innato rei quæ coquitur, & putredo à calore præternaturali : quæ omnia docentur ab Ariſtotele : Ergo hæc contraria nequeunt in unum coincidere. Tum actiones ſpecificantur per ſuos terminos : ſed in coctione, quæ eſt perfectio rei quæ coquitur, datur unus terminus ſpecificativus ; & in putredine, quæ quæ eſt actio deſtructiva rei quæ putreſcit, coctioni contraria, datur terminus ſpecificativus illius : Ergo dantur duæ actiones ſpecie diſtinctæ. Patet conſequentia, quia non ab alio principio apparet calefactionem, & frigefactionem ; generationem, & corruptionem eſſe actiones ſpecie diverſas, niſi quia termini producti per illas ſunt ſpecie diverſi. Tum ſi eadem eſſent actio coctio, & putredo, fructus dum maturantur, corrumperentur ; & dum corrumpuntur, maturarentur, quia ab eadem actione idem produciur terminus : C Sed una eſt ſemper actio, quâ fit coctio, & putredo : Ergo in unaquaque re, quæ putreſcit, aut coquitur, unus eſt ſimul terminus coctionis, & putredinis.

Quartus modus philoſophandi Gentilis eſt, quia coctio & putredo poſſunt ſimul, & in eodem tempore reperiri in eadem materia ſecundùm diverſas partes mixtas materiales formales, ita ut aliæ coquantur, aliæ putrefiant juxta diverſum modum ſubD ſtantiæ illarum ; quem modum philoſophandi ſuſtinet Veiga *lib. de different. febrium.*

§. II.

Per omnia tempora febris putridæ fit putredo.

Reſolvendum, quod putredo percurrit per omnia quatuor tempora febris putridæ humoralis : ſed in ſalubri ab ipſo principio incipit coctio ipſam emendare per plurimas partes materiales.

E Probatur contra Turiſanum. Nam febris putrida humoralis provenit ab humoris putredine, ſine qua ſtatim extinguitur : Sed febris durat per quatuor tempora univerſalia morbi : Ergo putredo, à qua dependet, durat, & percurrit eademmet tempora à principio vſque ad declinationem.

Probatur ſecunda pars ex Galeno 3. *progneſt. comm. vlt.* ubi ut cognoſcatur, an prædominet coctio, aut putredo, quæ fiunt

fiunt circa eundem humorem, dicit: *Utra earum magis exſuperet, cognoſces ex caloris intenſione, aut ex conſiſtentia, ſive coctione.* Tum ut diximus ex libro artis medicinalis, *coctio facit ceſſare putredinem.* Ergo quia corrigit illam in partibus, quæ putreſiunt. Tum quia morbus fit ſecurus ob coctiunem: Ergo quia impedit, ne putredo tendat in ultimum, quod nequit fieri, niſi remittendo illam in partibus putridis. Tum quia in prima parte principii febris humoralis non ſunt ſigna coctionis, in ultima parte aliqua apparent, in B ſtatu perfectiora, & in declinatione febris ſalubris: Ergo quia à coctione partes primò putridæ corriguntur. Tum per coctionem fit ſedimentum, quod eſt ſubſtantia cocta in nocitivo, quia propter inceptam putredinem in illa non potuit coqui in iuvativo: Ergo quia coctio valuit aliqua ex parte corrigere putredinem materiæ ex qua fit. Tum quia putredo provenit ex interitu caloris naturalis, qui nequit corrigi, niſi à calore naturali vivificetur, per coctionemque corrigatur C putredo, quæ incepit ab illo. Tum ſi à frigiditate attemperetur calor putreſcens humoris, poteſt alterari pars à noſtro calore naturali, qui eſt inſtrumentum concoctricis: Ergo poterit detineri, & corrigi incepta putredo.

Dices: Coctio eſt unio in oppoſitis patibilibus; putredo eſt illarum partium deunio: Ergo non poſſunt eſſe circa eandem materiam.

Reſpondetur, quod ſimul, & in eodem tempore non poſſunt fieri, bene tamen in D ſucceſſivis temporibus; alimentum enim, quod nunc coquitur, & cuius partes uniuntur, poteſt ſucceſſivè tempore putrefieri, & deuniri ſecundùm eaſdem partes; & è contra quod deunitur, ſuperveniente calore naturali in parte, poteſt fieri unio ſuarum partium quæ deuniebantur.

§. III.

Proponitur pars materialis coctionis, & putredinis in febribus putridis.

Reſolvendum ſecundò, quod in febre putrida ſalubri, in qua ſunt ſimul manifeſta ſigna coctionis, & putredinis, coctio & putredo fiunt circa diverſas partes materiales formales ejuſdem humoris.

Sunt in mixtis partes elementorum materiales, & ex his quælibet vocatur pars mixti materialis; omnes ſimul in quavis parte mixta dicuntur pars formalis mixti, quia mixtum formaliter ex omnibus reſultat; & coctionem; & putredinem dicimus fieri circa partes formales continentes omnia elementa, non circa quamlibet materialem, circa quam non eſt unio, aut deunio miſcibilium.

Probatur coctionem & putredinem ſimul reperiri uno ex quatuor modis propoſitis ſimul in humore, à quo fit febris; ſed non in eadem numero parte poſſe ſimul decreſcere per morbum, aliàs ſimul hæc pars moveretur localiter per contrarios motus, quod implicat, ut probavimus: ergo hoc ſolùm debet admitti poſſibile circa diverſas formales partes humoris, quarum una ſit apta coctioni, alia pro putredine.

Probatur ſecundò: Humor aut ſecundùm omnes ſuas partes eſt ineptus putredini, & ut alteretur à calore putredinali, & ſic ſolùm obedit coctioni; vel ſecundùm omnes, aut maiorem numerum partium eſt aptus putredini, & ſic fit morbus lethalis; aut per plures partes reſiſtit putredini, & obedit coctioni, & ſic fit ſalubris febris, in qua ſimul fit coctio, & putredo circa diverſas partes materiales formales eiuſdem humoris: Ergo iuxta has diverſas partes materiales poſſunt ſimul compati circa eundem humorem coctio, & putredo.

Probatur tertiò, quod pars quælibet, quæ coquitur, aut putreſcit, debeat eſſe pars mixta formalis. Nam coctio, & putredo dicunt unionem, aut deunionem in oppoſitis patibilibus unius partis ab alia: Ergo nequeunt fieri in una materiali parte unius elementi, ſed in parte formali mixta, quæ continet omnium miſcibilium omnes partes materiales.

Dices, quod ab eodem calore externo nequeunt duo effectus contrarij provenire, quales ſunt coctio, & putredo: ergo adhuc reſpectu diverſarum partium non admittendæ ſimul in eodem humore coctio, & putredo.

Reſpondetur, quod à calore externo fit interitus proprii caloris, ſed inæqualiter reſpectu diverſarum partium, in quibus ſunt diverſæ diſpoſitiones; nam aliæ poſ- E ſunt ob ſuum modum ſubſtantiæ eſſe aptæ ut ab illius caloris interitu non impediatur coctio in illis; aliæ verò poſſunt eſſe cum maiori ſubſtantiæ perverſione, & ineptæ ut à tali interitu caloris poſſint regulari, & ideo ab eo putreſcunt; ex Ariſtotele enim actus activorum fiunt juxta paſſi diſpoſitionem.

Dices ſecundò: Si coctio, & putredo fiant circa diverſas partes materiæ, ex

ſedimento urinæ oſtendente coctionem, nulla poſſet ſecuritas inferri: Sed Hippocrates ex illo docet morbi ſecuritatem promitti: Ergo non fiunt coctio & putredo circa diverſas partes eiuſdem materiæ. Probatur maior; nam licèt aliæ partes perfectè coquerentur, poſſet eſſe periculum in putredine reliquarum partium.

Reſpondetur, quod non deſcendit perfectum ſedimentum, niſi ſint in maiori numero partes quæ coquuntur, quàm illæ quæ putreſcunt, & dum partes coctæ ſunt in maiori numero, nequit ob pauciores partes putridas ſupervenire periculum; eſt enim optimum ſedimentum, quod eſt album, leve & æquale, & permanens per totum morbi decurſum, cum quo non compatitur malignitas putredinis febrilis.

Dices tertiò: Si coctio fit circa unam partem materiæ, & putredo in alia, coctio non poterit facere ceſſare putredinem, ut docet Galenus: Ergo fiunt in eademmet parte.

Reſpondetur, quod coctio facit ceſſare putredinem, non quæ eſt in aliis partibus, ſed quæ remiſſo calore extraneo partium putreſcentium poteſt emendari in illis à proprio viventis calore, modo quo diximus in principio hujus reſolutionis; vel quod imminuto calore in parte putreſcente, à facultate coquente poteſt humor, qui putreſcebat, iterum concoqui & emendari.

Resolutio VII.

Utrum in febre putrida ſalubri compatiatur, quod ſit mitior in ſtatu cum intenſiori putredine.

§. I.

Pars negativa quibus appareat ſuaderi.

Videtur, quod pars negativa tenenda. Primò, quia Galenus *lib. de criſibus, cap.* 3. pro cognoſcendo morbi ſtatu docet attendendam eſſe longitudinem, & magnitudinem acceſſionum, ſimul & malignitatem: Ergo in ſtatu cum intenſa malignitate non compatitur, quod morbus ſit benignior.

Secundò in intenſione febris ſtat ejus periculum: Sed in ſtatu putredinis eſt intenſio febris: Ergo & majus periculum.

Tertiò, tunc morbus eſt ſecurior, & benignior, dum facultas naturalis eſt potentior ad morbum vincendum: Sed in ſtatu facultates naturales ratione morbi antecedentis ſunt debiliores: Ergo eſt A majus periculum, & minor morbi benignitas.

§. II.

Pars affirmativa præfertur, & fulcitur.

Reſolvendum, quod in febre putrida ſalubri in ſtatu febris eſt ſimul intenſior putredo, morbuſque benignior. Sic tenent Bravo Salmanticenſis *in comm. ultim. prognoſt.* Valleſius *lib.* 10. *controve ſ. capit.* 10. Vega *lib.* 10. *de differ. febrium, cap.* 17. & alii.

Probatur primò ex Galeno *lib. de totius morbi temporibus, cap.* 5. ubi poſt tres relatas B communes acceptiones morbi magni, ſuperaddit quod poteſt dici magnus, aut parvus ratione virium naturæ, quatenus illa exſuperatur à cauſa morbi, vel illam exſuperat; vel ratione malignitatis, quatenus hæc ſuperat vires, de qua loquitur *lib.* 3. *de criſibus, cap.* 4. docens, *quod ſunt aliqua febres parvæ, & malignæ*, quæ fiunt periculoſæ: Sed in ſtatu morbi ſalubris natura manet ſuperior ſupra cauſam morbificam, quia major pars cauſæ morbificæ coquitur, quàm putreſcit; in quo ſtat, quod fiat morbus ſalubris: Ergo licèt febris ſit cum intenſiori putredine humoris, C in ordine ad periculum manet benignior.

Probatur ſecundò ex Galeno *lib.* 2. *aphor.* 30. ubi cùm Hippocrates doceat in ſtatu omnia eſſe fortiora, refert accidentia quæ fortiora fiunt, ſicut & ipſa febris; & ſuperaddit, quod ſi morbus eſt ſalubris in illo ſtatu, neceſſe eſt diſpoſitiones eſſe meliores, & benigniores: Ergo cum majori putredine in ſtatu compatitur major putredo, & quod morbus ſit benignior.

Probatur tertiò: Dum virtus eſt po- D tentior ad vincendum morbum, eſt benignior morbi ſtatus: Sed in febre putrida ſalubri virtus eſt potentior: Ergo ſtatus morbi benignior. Probatur minor: Tum quia perfectiores apparent coctiones. Tum quia in ſalubri morbo plures partes materiæ morbificæ coquuntur. Tum quia Galenus *in comm. ſentent.* 29. *lib.* 2. *aphor.* aſſerit, eo tempore fortiores eſſe facultates vitalem, & naturalem, licèt animalis appareat debilior. E

§. III.

Solvuntur argumenta primò poſita.

Ad primum reſpondetur, quod non agit Galenus de febre ſalubri, ſed de maligna, & lethali; vel quod licèt appareat

appareat malignitas intenſior , quàm in aliis temporibus , ſi natura ſit ſuperior ad concoquendam cauſam morbificam, adhuc morbus eſt benignior, ac ſecurior.

Ad ſecundum reſpondetur , quod periculum non ſtat in ſola intenſione febris, ſed in eo quod non poſſit natura devincere , & ſuperare cauſam morbificam ; ſi enim illam exſuperat , morbus eſt benignus , & ſalubris.

Ad tertium reſpondetur , quod virtus quæ in morbo ſalubri fuit potens impedire putredinem in majori numero partium materiæ morbificæ, eſt potens perficere coctionem partium , quæ putreſcunt , & reddendi morbum ſalubrem , & benignum.

RESOLVTIO VIII.

Utrum ſit in corpore determinatus locus pro foco putredinis humorum.

§. I.

Proponitur quid ſit focus putredinis.

SIcut locus in quo in domo accenditur ignis , focus ſolet vocari , ſic in corpore focus putredinis vocatur ille locus , in quo per putredinem humores accenduntur , ut comprobat Carreirus *in ſen. 1. lib. 4. tract. 2. cap. 1.* quod comprobat Galenus *lib. de marcore, cap. 7. & lib. 2. de diff. febr. cap. ultimo, §. Eo autem tempore calor multitudine ita augetur , ut non ſolùm prabeat locum , qui eſt quaſi focus putredinis, ſed etiam continuitate per univerſum ſpargatur corpus.* Et *lib. 11. Methodi , capit. 4. §. Una quæpiam particula , quæ vel phlegmonem in ſe habet , vel etiam citra plegmonem , veluti in foco quodam principium febris in ſe continet.* Et *cap. 20. Propriè particulam , quam obſtructio , aut putredo , aut phlegmone obſidet , febris ipſius veluti focus eſt.* Ex qnibus apparet, quod locus in quo fit in corpore putredo , vocatur focus putredinis, ſive ſit in parte determinata , ut in humore concluſo in aliqua parte , ut in phlegmone ; ſive in vaſis majoribus, ſive ſit determinati hnmoris , ut ſanguinis , aut alterius ſubſtantiæ , ſive intra viſcera : talis eſt focus putredinis , & præcipuè inquirimus , qualis hic ſit in febribus putridis.

A §. II.

Variæ opinantium ſortes proponuntur.

ALiquorum fuit opinio , quam refert Tralianus *lib. 12. cap. 2.* quod non datur in corpore focus putredinis, quia humores non putreſiunt , ſed ardeſcunt , & uruntur , aliàs intra venas fieret fœtor, & vermes ; quæ tamen fiunt à putredine, & in ſolo ventre fit putredo : ſed nec fœtor, nec vermes fiunt in omni putredine; & febres ſine ventris purgatione ſolent B terminari hæmorrhagia , diarrhæis, ſudore, & aliis evacuationibus aliarum partium à ventre.

Secunda opinio Ceſalpini *2. art. Medic.* tenet , quod omnes febres intermittentes habent priùs putrefacere humores, à quibus fiunt intra venas : à quibus , ſi expellantur , fiunt intermittentes.

Sed obſtat, quod non poſſent fieri acceſſiones ſine præcedente alia febre humorali ante illas , & earum acceſſiones proveniunt ab infebricitatione ad inſultum febris. C

Tertia opinio, quam refert Salvianus, tenet focum putredinis febrium peſtilentium eſſe intra venas , in reliquis extra illas.

Quarta opinio fuit Joberti *Paradox. 4. decad. 2.* qui unum cor judicat eſſe focum putredinis in omni febre putrida , quia putreſcens materia petit eſſe conjuncta illi parti, in qua fit febris : Hæc autem eſt cor: Ergo in illo tantùm fit putredo.

Sed diſplicet , quia febres intermittentes D fiunt cum rigore , quia humor putreſcens fertur in partes externas ſentientes; quod fit cum vomitu , quia fertur in ventriculum putreſcens humor ; & cum diarrhæa, ſi feratur in inteſtina. Tum poteſt calor ab alio foco communicari cordi, ſicut à foco in domo communicatur calor in partes alias diſtantes. Tum à phlegmone in parte diſtante à corde fit febris accidentalis illius.

Quinta opinio Fernelii *lib. 4. de febrib. cap. 9. & 10.* tenet , quod in continuis putridis febribus focus eſt in vaſis maioribus ; E in intermittentibus ſemper intra viſcera , in jecore, liene , aut ventriculo; nunquam in poroſitatibus partium tertiæ regionis , quia craſſa materia inepta eſt ferri per illas , & id oſtendunt accidentia varia in prima regione , quæ apparent in principiis acceſſionum , ob quæ intendit Galenus , curandum eſſe de ventriculo in quotidiana , de liene in quartana , de jecore in tertiana.

§. III.

In qua parte redundat humor, ſolet fieri focus putredinis.

RESolvendum, quod quocumque modo ſuperfluus redundet humor coctioni ineptus in aliqua corporis parte, ſive paulatinè aggregatus, ſive confeſtim ruat, facit putredinis focum, febremque concitat putridam.

Probatur ex Galeno *lib.2. de differ. febr. cap. ultim. §. Quin etiam ubi qualibet pars nequeat concoquere in ſe genita excrementa, aut ad aliam propulſare talia, ſibi ipſa initium ſit febricitandi, quale ea qua tranſmittere alteri nequeat.* Tum ſuperaddit: *Quicumque morbi per circuitus obtinent, acceſſiones partium ſuccedunt affectibus, vel mittentium, vel ſuſcipientium, vel trahentium excrementa.* Tum non repugnat præter tranſmiſſos humores, alios congeri in parte, qui ſi nutritioni inepti, neceſſe eſt putreſieri. Ergo nec quod in qualibet fiat focus putredinis ex illis.

§. IV.

Communis putredinis focus febrium humoralium proponitur.

REſolvendum, quod in febribus humoralibus, quæ ſunt continuæ, focus putredinis eſt intra vaſa majora, ſi ſunt intermittentes, in partibus carnoſis tertiæ regionis, aut in primæ regionis officinis.

Probatur primò de febribus putridis continuis; ideo enim provenit non intermittere, quia continuò permanet putreſcens humor intra vaſa majora in intermittentibus, quia ab illis aptus putredini humor extra vaſa mittitur in alium focum.

Probatur ſecundò, quod ſæpe fiat intermittentium focus in tertia regione, quia in illis percipitur ſenſatio humorum, qui feruntur ad illam. Et Galenus *lib. 1. de criſibus, cap. 3. & 6.* & *lib.2. de diff. febr. cap. 1.* docet in intermittentibus febribus moveri humorem in partes ſentientes in focum putredinis, ut demonſtrat rigor acris humoris in tranſitu.

Probatur tertiò de prima regione, quod fiat focus putredinis in febribus intermittentibus; ſine rigore enim contingunt vomitus, ventriculi dolores, anxietates, nauſeæ, diarrheæ ab humoribus febrem foventibus.

Probatur quartò: Sæpè in febribus intermittentibus fiunt rigores, ſæpè deficiunt,

A & fiunt varia accidentia annumerata in prima regione, & ejus diverſis partibus: Ergo quia in illis ſæpè diverſis modis fit focus putredinis.

§. V.

In pernicioſis febribus intermittentibus qualis ſit focus putredinis.

REſolvendum, quod in febribus intermittentibus pernicioſis fit focus putredinis ſæpè in ventriculo, corde, aut ce-

B rebro, ut demonſtravimus *tom. 3. tract. de febrib. intermittens. lethalibus.*

Probatur ex doctiſſimo Mercato, & eis quæ adduximus loco citato nuper pro iis febribus cognoſcendis, & curandis.

§. VI.

Traditur focus putredinis; qualis ſit in febribus lentis.

REſolvendum, quod ſæpe contingit, quod in viſceribus fiat focus putredi-

C nis pro febribus lentis, dum humor intra illa paulatim aggregatur, aut imperfecta criſi tranſmittitur.

Probatur primò ex Fernelio *lib.6. Methodi*, qui primus pro lentis febribus aperuit viam, *cap. 7.* dicens: *Ego tamen hoc affirmo, & profiteor, cholera, melancholia, diarrhaa, dyſenteria, cachexia, atrophia, languoris, lentarum, errantiumque febrium, denique morborum cauſas, me in iis plerumque ſedibus animadvertiſſe, quarum depulſione deploratis ſalus reddebatur.* Et ſuperad-

D dit: *Vera quoque inflammatio in meſenterium incidit, cùm exeſis, aut ruptis illius venis, ſanguis exeidis, & in aliqua ſede præter naturam collectus, tandemque ſuppuratus abſceſſum facit. Ea inflammatio ſine manifeſto dolore eſt, ſolumque gravitatis ſenſum habet, niſi fortiùs prematur febris admodum levis, & lenta, ſine gravibus accidentibus, nec ſiti, nec nimiùm agrum proſternit.* Ergo in meſenterio & viſceribus poteſt eſſe in lentis febribus focus putredinis.

E Probatur ſecundò ex Sertier. *lib. 2. febr. cap. 10.* ubi referens terminationes aliquas febrium putridarum, quæ fiunt in venis, dum nequit humor ſenſibili evacuatione extra corpus terminari, provenit quod mittatur humor in partes ventris, aut in alia viſcera, & ibi varias procreet febres, varioſque putredinis focos. Inquit enim: *Quotieſcumque ergo humor febrem pariens non excluditur, ſed in viſcus princeps, aut ignobilem quamcumque partem decumbit, intra venas harens obſtructiones latentes, & contuma*

A *contumaces parit, putredinemque ibi concipiens, febrem hanc progignit, & ſæpiſſimè firmari ſolet talis materia in abdomine, hepate, liene, meſenterio, pancreate, in glandulis, &c.* Ergo fiunt in ventre varii foci putredinis.

Probatur tertiò, quod focus putredinis poſſit fieri in variis partibus, non ſolùm ob contentos humores, ſed ob illarum putredinem. Inter has proſequitur Serrier aliquas ſub febre lenta, quæ ſolet ſupervenire ex renum inflammatione, aut B putredine, quæ cognoſcitur ex ſtranguria, & dyſuria. Præſtant indicium præcipuè rigor, & ephidroſis viſceris ſuppurati, ſi viciſſim repetant, ex Hippocrate *lib. 1. coac. 10. §. Qui frequenter exſudant, & ſubinde rigent, peſſimè habent, & ad extremum ſuppurationem habere comperiuntur, alvoſque perturbatas.* Tum corrupta pulmonis ſubſtantiâ febrem parit ab ejus putredine, & fit focus putredinis, quæ cognoſcitur ex aliis ſignis partium vitalium, cum rigore, & ephidroſi: fit & ex ulcere in pulmone phthiſis, quæ ſuis ſignis C manifeſtatur. Tum de ſignis ulceris pancreatis, meſenterii, & partium ventris, ex quibus apparet in illis focus putredinis, plura Juniores Practici, qui agunt de variis abſceſſibus, tumoribus, & inflammationibus viſcerum.

RESOLUTIO IX.

Utrum à frigiditate poſſit provenire putredo.

D

§. I.

Proponitur frigiditas pro putredinis cauſa.

VEjaranus *lib. 4. meteor. quæſt. 3. art. 22.* frigiditatem ponit inter cauſas putredinis. Primò ex Ariſtotele id contendit comprobare, dicente in eodem libro: *Ambæ atque cauſæ erunt, & putrefactio communis frigiditatis paſſio, & caliditatis aliena.*

Secundò: putredo fit per extinctionem proprii caloris, ut protulit Ariſtoteles: Sed calor à frigore tantùm extinguitur, tanquam à ſuo contrario: Ergo frigus concurrit ad putrefaciendum. E

Tertiò caliditas, & frigiditas in mixto ſunt eadem qualitas: ergo utraque fit cauſa putredinis.

§. II.

Pars negativa proponitur, & ſuadetur.

REſolvendum, quod frigiditas non eſt propriè cauſa putredinis, ſed ut in plurimum per accidens, cohibens caloris effluvium.

Probatur. Tum primò ex Ariſtotele, qui *lib. 4. meteor.* non à frigiditate docet fieri, ſed à calore externo rei, quæ putreſcit. Tum quia putredo fit ab interitu caloris proprii, non ab extinctione caloris à frigore; calor enim extinguitur à frigore in eſſe caloris, à calore in eſſe naturalis, & ſic præternaturalis factus fit putredinis cauſa. Tum putredo eſt per quam fit deunio in oppoſitis partibilibus; frigus potiùs illa unit, & denſat: ergo non eſt per ſe putredinis cauſa.

§. III.

Solvuntur dubitandi rationes primò poſita.

AD primum reſpondetur, quod Ariſtoteles non intendit quod fiat putredo à frigiditate, ſed quod à putredine proveniat primò caliditas, poſtea frigiditas.

Ad ſecundum reſpondetur, quod non docet Ariſtoteles, quod putredo fiat à corruptione caloris, quæ fit à frigiditate; ſed ab interitu caloris in eſſe naturalis, & proportionati, quæ fit ab externo calore, per quem fit ineptus pro naturalibus actionibus conſervandis, & abit res in corruptionem.

Ad tertium reſpondetur, quod Vejaranus confunditur, ſine ratione ſupponens quod frigiditas & caliditas ſunt una qualitas; nam adimplent unam latitudinem, tanquam duo contraria, quæ mutuò ſe expellunt: & licèt ſint in gradibus remiſſis ſimul, non ſunt tanquam una entitas, ſed ut duo compatibilia in gradibus remiſſis.

RESOLUTIO X.

Utrum per putredinem calor intendatur à forma rei putreſcentis.

§. I.

Pars negativa proponitur à Junioribus.

SUnt qui judicent, ſuffocari partes calidas mixti à frigidis, & per calorem externum rei putreſcentis auferri ſuffocationem, & partes calidas ſuum producere calorem

calorem excedentem. Matamoros hanc impugnat opinionem, quia nequit aliqua ſubſtantia ſuffocari, niſi ab alia diſtincta. Sed licèt neget ſuffocationem, non poteſt negare quod ab alia ſubſtantia frigida poſſit remitti calor, & illâ ablatâ intendi; ſicut frigiditas remittitur in aqua à calore, quo ablato, intenditur ab eius forma.

Matamoros pro calore per coctionem intendendo fingit quandam ſecundam qualitatem, & ſimili modo aliam pro producendo calore in putredine.

Sed confictæ hæ innominatæ qualitates à nullo alio inuentæ, nec niſi ab illo pro ſubterfugio excogitatæ, fruſtra proponuntur. Tum quia calor in coctione, & putredine, quæ ſunt contrariæ, nequit ſimul ab eadem ſecunda qualitate prouenire, vel ſi à diuerſa, eſſent diuerſæ ſecundæ qualitates contrariæ, & altera frigiditatem, altera calorem produceret. Tum quia illius Magiſter Carreirus has ſecundas fictas qualitates impugnatas reliquit, & reprobatas. Tum quia qualitates ſecundæ fiunt à primis, & non primæ à ſecundis. Tum quia elementorum formæ in elementis producunt ſuas primas qualitates ſine ſecundis, & ſic mixta producunt illas, quia producunt ut elementa continent, & in virtute elementalium formarum. Tum ſi primæ qualitates producunt ſecundas, & ſecundæ primas, datur vitioſus circulus in illarum productionibus.

§. II.

Proponitur cauſa intenſioris caloris rei putreſcentis.

Reſolvendum, quod intenditur in re putreſcente calor ab ejus mixta forma.

Probatur: Forma ſubſtantialis mixta, quæ continet virtualiter ignem, eſt apta ad intenſiorem calorem producendum, ſi permittatur à contraria frigiditate: Sed in re quæ putreſcit, aufertur impedimentum frigiditatis à calore externo, qui eſt cauſa putredinis: Ergo à forma mixta rei pupputreſcentis intenditur per putredinem calor. Probatur minor. Tum quia à calore externo, à quo fit interitus caloris nativi, reſolvuntur partes frigidæ, quæ impediebant calorem pullulare à forma. Tum quia per deunionem in oppoſitis patibilibus fit ſeparatio etiam frigidarum partium à calidis, & ab iis ablato impedimento fit intenſior calor. Tum quia fuliginoſa calida excrementa per putredinem elevata juvant, ut à calidis partibus mixti reſultet intenſior calor.

A

Resolvtio XI.

Utrum humiditas ſit efficiens putredinis cauſa.

§. I.

Proponitur pars affirmativa, & fulcitur.

Carreirus *in ſea. 1. 1. lib. 4. diſputat. de putredine*, adducit Valleſium *lib. 4.* B *meteor.* aſſereutem humiditatem eſſe cauſam efficientem putredinis. Quod intendit ſuadere. Tum primò, quia res putreſcunt faciliùs in aëre calido, & humido. Tum ſecundò, quia fit putredo dum humidum exſuperat, & vincit calorem. Tum tertiò, quia Ariſtoteles ponit calorem, & humiditatem relinquit tanquam notam: Ergo quia efficiens pudinis cauſa iudicanda.

Carreirus loco citato tenet humiditatem externam non eſſe cauſam putredi- C nis efficientem, quia nullo modo id poteſt contingere; nec ſi ponamus putredinem in deunione partium, quia nequit illas deunire; nec ſi ponamus illam in interitu caloris, quia nequit illum interimere; nec ſi ponamus in ſecunda qualitate, quia nequit illam producere: Ergo nullo modo.

§. II.

Humiditas coadiuuat ad putredinem cauſandam.

D

Reſoluendum primò, quod ratione humiditatis valet extraneus calor intenſiorem cauſare putredinem.

Probatur, id enim confirmat experientia; nam in locis humidis, in tempore humido, in humidis ſubiectis faciliter prouenit putredo; ipſamque cohiberi per ſiccitatem apparet in metallis, lapidibus, tegulis, & lateribus, ſimul & in rebus exſiccatis fumo, aut ſale: ſic etiam Gale- E nus docuit pluribus in locis 3. *de morb. vulg. ſect.* 3. & ex Hippocrate probat in humidis conſtitutionibus ſubſequi putredinem, & ventis ſiccis cohiberi: & 11. *Method. cap.* 8. inquit: *Primùm quidem ipſos ſuccos propter humiditatem & putredinem faciliè corrumpit extraneus calor.* Et *lib.* 3. *de comp. medic. cap.* 2. ait: *Etenim calor citra humiditatem putrefacere nihil habet.*

§. III.

§. III.

Humiditas nequit eſſe cauſa efficiens putredinis.

RESolvendum ſecundò, quod humiditas non eſt cauſa efficiens putredinis, ſed coadjuvans pro deunione in oppoſitis patibilibus. Primam partem tuetur Carreirus, & ex illo manet comprobata.

Probatur ſecunda pars: Nam ut diximus, conſervatio in oppoſitis patibilibus fit per calorem potentem humidum cum ſicco retinere, & unire: Sed eo ipſo, quod ſuperaddatur major humiditas, ejus copia impedit unionem debitam: Ergo cùm nequeat contineri cum terreo unita, juvat ad putredinem. Tum apparet in cruditate fructuum, quæ toto tempore, quo ſuperfluit, impedit veram unionem requiſitam pro naturali coctione, donec in maturatione illâ reſolutâ unio perfecta conſervatur in oppoſitis patibilibus. Tum actus activorum ſunt juxta paſſi diſpoſitionem: Sed ſuperflua humiditas impedit ſui debitam cum terreo commixtiônem: Ergo ab illa provenit deunio. Tum ſi terræ cum aqua intendatur unio, & commixtio, ſi multùm aquæ ſuperaddatur, impeditur debita unio: Ergo ſimili modo inter oppoſita patibilia. Tum ſicut ſiccitas juvat ad unionem, & impedit putredinem vniendo humidum cum ſicco; ſic & humiditas ad putredinem, impediendo ſimilem unionem: Ergo humiditas juvat ad putredinem, licèt non ſit cauſa efficiens putredinis.

Probatur ſecundò: Calor naturalis ante perfectam coctionem, ſeu maturationem impeditur quominus perfectè uniat oppoſita patibilia, ſine eo quod aliquam efficientiam habeat humiditas ad impediendam coctionem: Ergo ſimili modo poterit juvare ad putredinem diſpoſitivè ſine efficientia ad illam.

RESOLUTIO XII.

Utrum medicamentum purgans in principio febris putridæ ad putredinem impediendam debeat propinari.

§. I.

Pars affirmativa ſuaderi videtur.

QUod in omni febre putrida ad cohibendam putredinem debeat exhiberi medicamentum purgans, ſuadetur. *D.Gaſp.Bravo Tract. Miſcell.*

A Primò, quia à principio morbi intendimus ad cohibendam putredinem evacuare humores peccantes per ſanguinis miſſionem: Sed humor putreſcens potiùs petit evacuari per purgationem factam per purgans medicamentum ſelectivum humoris qui putreſcit, à quo faciliùs ſelectivè attractus evacuabitur: Ergo in morbi principio convenit purgatio in omni febre putrida ad cohibendam putredinem.

Secundò Galenus docuit ad vitandam
B putredinem in principio exhibendum eſſe medicamentum purgans. Tum 1.*aphor.*29: ubi Hippocrates docuit: *Inchoantibus morbis, ſi quid tibi videtur movendum, move.* Superaddit Galenus: *Sive per ſanguinis miſſionem, ſive per purgationem.* Tum 4. *aphoriſm.* 10. inquit, in principio purgandum, ne decumbat humor in partem principem putredinem irritans. Tum *lib.*4. *de ratione victus, cap.*76. in deſcendente pleuritide conſulit cum Hippocrate in principio purgare: & 4. *acut. text.* 64. ad-
C hæret Hippocrati dicenti: *Si ab initio purgare volueris, id ante diem ſeptimum facito.* Tum 4. *de tuend. valetudine, cap.*3. inquit: *Humor maligna qualitate affectus, quanto magis in corpore manet, tanto magis deterior redditur.* Ex quo apparet, quod juxta illum debet purgari talis humor ſtatim in principio.

Tertiò aptior eſt humor qui incipit putreſieri ad purgationem in principio morbi, quàm in aliis temporibus, quia in illo
D eſt tenuior, & aptior ut moveatur; in reliquis fit craſſior per coctionem. Ergo pro cohibenda putredine potiùs in morbi principio petit putreſcens humor purgari, quàm in reliquis temporibus.

§. II.

Humor putreſcens commixtus ſanguini non purgandus in principio.

RESolvendum primò, quod ſi humor putreſcens cauſans febrem humoralem, ſit ſanguini commixtus, non petit expurgari ad cohibendam putredinem.

E Probatur primò ex doctrina Hippocratis, & Galeni; inquit enim Hippocrates 1. *aphor.* 22. *Concocta medicari, ac movere, non cruda, nec in principio.* Galenus in *comment.* ait: *Eos verò qui poſſunt in aliquâ corporis parte firmari, nec alio auxilio moveri oportet, nec medicari ante coctionem.* Et paulò infrà: *Videtur ſiquidem ipſa poſt coctionem humores diſcernere, & ſuperfluitates expellere.* Ubi ex Hippocrate, & Galenò con

conſtat in principio non eſſe purgandos humores putreſcentes, dum ſunt commixti ſanguini, niſi ſeparentur, ut apparet in turgentia, aut dum jam ſunt ſeparati à commixtione ſanguinis per coctionem, aut ob alias cauſas. Tum Hippocrates 1. *aphor.* 24. inquit: *In acutis morbis rarò in principio medicinis purgantibus utendum, & hoc cum præmeditatione faciendum*: id eſt, meditando an humores ſint ſeparati à ſanguinis commixtione. Tum *lib.* 4. *de rat. victus, ſentent.* 43. & 44. inquit: *Quando adeſt urina cruditas, quam indicant urina tenues, & ſine colore, abſtinendum eſt à medicamentis purgantibus*: inſinuans, quod adhuc humor putreſcens eſt ſanguini commixtus. Tùm *lib. de medic. purgantib.* præcipit: *Non exhibendum medicamentum purgans in illis, priùs quàm febris vehementia remittatur, aut ſaltem pertranſeat decimaquarta diei.* Tum Galenus *in comm. & lib.* 4. *de præſagat. ex pulſibus, cap. ult. & lib.* 3. *de dieb. decret. cap.* 8. huic inhæret doctrinæ.

A

B

Probatur ratione ex dictis à nobis *part.* 1. *Reſolut. Medic. diſput. de ſanguinis miſſione*: & *tom.* 3. *diſp. de febrib. intermittentib. lethal.* ubi docuimus, humores dari in corpore, vel ſanguini commixtos, & tunc eſſe partes maſſæ ſanguinariæ, quæ ſanguis etiam dicitur, ſicut & ipſe ſanguis quartus humor; vel reperitur quivis alter humor à ſanguinis commixtione ſeparatus, ſive intra venas, ſive extra illas; & tunc dicitur ſupernatans, & cacochymus. Primo modo ejus vitium indicat ſanguinis miſſionem, quia pars eſt ſanguinis: ſecundo modo ſeparatus à ſanguine jam fit cacochymus, & indicat purgationem.

C

D

Ex dictis probatur reſolutio. Nam ille humor petit expurgari, & indicat ſui expurgationem, qui eſt cacochymus, ſupernatans, & ſeparatus à commixtione ſanguinis: Sed regulariter humor qui incipit putrefieri, eſt ſanguini commixtus, & tanquam pars maſſæ ſanguinariæ indicat evacuari per phlebotomiam, donec peractâ coctione ſeparatur à commixtione ſanguinis, & fit cacochymus; & ideo Hippocrates concocta medicari docet: Ergo in principio ante coctionem non competit illi purgatio dum incipit febris putrida.

E

§. III.

Si in principio putreſcens humor cacochymus urget, petit ſtatim purgari.

Reſolvendum ſecundò, quod ſi in principio febris putridæ humor cacochymus manet, & turget, aut urget, ſtatim in principio venit purgandus.

De turgentia egimus *tom.* 1. *Reſol. Medicar.* Hippocrates docet, in illa eadem die purgandum eſſe. Galenus 1. *aphor.* 22. humorem luxuriantem & ægrum properantem ad interitum vocat turgentem: & *lib.* 6. *epidem. comm.* 2. *text.* 19. inquit: *Nam in morbis ad exitum paratiſſimis, & ad evacuationem properantibus, hac voce, Turgere, uti videtur.* Sic tenet *lib.* 1. *de criſibus, cap.* 9. & 4. *aphor.* 10. ponit enim turgentiam in hoc, quod materia urget, & premit: & licèt diſcedat ab hac doctrina Santorellus, convincit illum Verry *prodromo* 15. ex Marinello *lib.* 4. *aphor.* 10. qui hanc firmat doctrinam, dicens: *Verbum Turgeo, translatum eſt à Græco Orgio: meliùs, & fortè rectiùs diceretur, mutatâ literâ O in V, & I in E, ut evenire ſolet linguis iis, quæ ab aliis originem ducunt; nam reſultaret Urgeo, & non Turgeo: urgeo enim ſignificat idem ac opus eſt, ſive periculum continet mortis.* Conſtat ex dictis, quod turgentia eſt idem quod urgentia; & quod illud dicitur urgere, quod minatur periculum vitæ; & id dicitur premere, quod cogit, & premit Medicum ad aliquod præſtandum auxilium: quod turgentiam, ſeu urgentiam vocavit Hippocrates, in qua, quæcumque ſit proveniens ab humore, ſtatim purgandum eſſe ſancivit.

Premit, aut urget ad properandum auxilium morbus, ſymptoma, aut cauſa morbi. Marinellus docet, quod morbus urget, ſi acutus; ſymptoma, ſi gerit vicem gravioris morbi; humor, ſeu cauſa morbi, ſi pravis, & malignis qualitatibus præditus ſit, ſi in partem principem ruat. Quocumque modo ex dictis dicatur turgere, ſeu urgere, dicimus quod premit Medicum, ut properet, & ſtatim in principio morbi purget, & ut cohibeat putredinem, & imminens periculum cohibeat ante expectatam coctionem, quæ in hac urgentia eſt impoſſibilis; ideo Verry cum Manardo *lib.* 13. *epiſtol.* 1. docet incoctam materiam eſſe purgandam, quando materia quantitate, vel loco perniciem, vel mortem priùs eſt allatura, niſi purgetur ſtatim: & cum Gentile *fen.* 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. *dubio* 56. quinque ponit modos, per

quos

quos poteſt urgere materia ad ſui exercendam purgationem ſtatim in principio: inquit enim: *Mei prædeceſſores poſuerunt quinque modos furioſitatis materiæ. Primus ratione mobilitatis materiæ, ſeu venenoſitatis. Secundus ratione quantitatis, ſcilicet in materia multa. Tertius ratione præcipitatis membri, ut in phreneſi. Quartus ratione accidentis, ſcilicet doloris colici, &c. Quintus ratione nobilitatis partis impeditæ actionis, ut in ſquinantia, &c.*

Conſtat ex dictis, quod turgentia eſt idem quod urgentia: urget quod minatur periculum vitæ, & præmit Medicum ad properandum auxilium, juxta conſilium Celſi dicentis: *Propera dum æger vivit, quia ſemel pereunti nulla remedia proſunt.* Et quod duplex eſt operandi occaſio, alia in qua urget modo dicto operandi neceſſitas; alia in qua non ita urget, ut contingit in febribus putridis pendentibus ab humoribus ſanguini commixtis, in quibus juxta cauſæ indicationem, quæ eſt humor, qui eſt ſanguini commixtus, indicat ſtatim ſui evacuationem per ſanguinis miſſionem: & hæc exercetur in principio ad vitandam putredinis intenſionem, & ad corrigendam extenſionem per plures partes materiæ. Si verò morbus majus minatur periculum, properamus magis in ſanguine mittendo. Simili modo dum pendent febres putridæ ab humoribus ſeparatis à commixtione ſanguinis, qui ſeparati ſunt cacochymi, & indicant purgationem, ſimili modo properamus ad purgandum, metu periculi, ob nuper adducta, & infrà proponenda fundamenta.

Probatur Reſolutio ex Hippocrate, qui illam ſancivit *lib.* 1. *aphor.* 22. qui docens quando purgandum, dicit quod dum materia cocta, ideſt cacochyma, & ſeparata à ſanguinis commixtione; niſi turgeat, ſeu minetur periculum ſeparata à ſanguinis commixtione, quia tunc ſtatim purganda, quia urget. Quod confirmat *lib.* 4. *aphor.* 10. ubi eadem die ſtatim in urgentia docet purgandum eſſe, & nos demonſtravimus *tom.* 3.

Probatur ſecundò ratione ex Cornelio Celſo: *In præcipite periculo multa rectè fiunt, quæ ſine illo eſſent abſurda.* Sed in in caſibus à Gentile adductis, præceps eſt periculum, niſi exerceatur in principio purgatio: Ergo non expectata coctione, quæ non eſt neceſſaria, cùm iam humores ſint cacochymi, ſtatim exercenda eſt purgatio.

Probatur tertiò. Toties in principijs morborum indicata eſt purgatio in febribus putridis, quoties datur morbus magnus pendens ex humoribus cacochymis: ſed hoc contingit ex plurimis cauſis: Ergo iuxta illas convenit purgatio in principijs morborum, & ad cohibendam putredinem, & ad periculum vitæ vitandum. Probatur minor ex dictis à nobis *tom.* 3. *de febrib. intermittentibus*, ubi ſancimus varios modos, quibus fiunt humores ſeparati à ſanguinis commixtione, & ſimul cacochymi. Primò dum aliquis humor generatur in tanta quantitate, ut non potuerit totus ſanguini commiſceri, & in maſſa ſanguinaria ab illo coërceri, ut contingit in hydrope, & cachexia, & in aliquibus febribus, in quibus ultra partem commixtam pars humoris peccantis ſuperabundat; ideo in hydrope non expectata coctione purgamus. Secundò fit humor cacochymus, qui primò fuit ſanguini commixtus, dum poſtea putreſcit, & facit febrem, & natura illum concoquit in nocivo: & quia inutilis nutritioni, ſeparatur à ſanguinis mixtione, & ſic ſeparatus, & cacochymus indicat purgationem, de quo Hippocrates loquitur 1. *aphor.* 22. dicens: *Concocta medicari, ac movere, non cruda, nec in principiis morborum, niſi materia turgeat*: ideſt, ſeparata urgeat. Tertiò humores intra venas etiamſi fuerint commixti ſanguini, poſſunt ſeparari, & fieri cacochymi, & ſeparari ab ejus commixtione per nimiam uſtionem, ob quam tranſeunt in bilem ſuperabundantem; & ideo nequeunt à ſanguine coërceri, nec in eius conſortio cohiberi intra maſſam ſanguinariam, quos ideo ſtatim purgare præcipit Hippocrates 1. *aphor.* 22. & 4. *aphor.* 10. Quartò ob pravam, & venenoſam qualitatem, ſeu pravum ſubſtantiæ modum fiunt inepti humores, ut commiſceantur cum ſanguine, & ideo intra vaſa ſupernatant, & fiunt cacochymi, ut accidit in febribus peſtilentibus, in bile praſina, & atra, & aliis, ac in icteroſis humoribus, quorum ſtatim eſt indicata purgatio, ſicut in aliis humoribus ſic à commixtione ſanguinis ſeparatis: Ergo non ſolùm in humoribus poſt cocticnem, ſed in aliis cacochymis convenit purgatio in principio.

Probatur quartò: Non ſolùm materia turgens, aut urgens, intra venas ſupernatans, ſeparata à commixtiore ſanguinis indicat ſtatim purgari, ſed potiori iure quæ defluens à venis confluit in præcordia: Ergo ex hoc defluxu præcipuè deſumenda indicatio purgandi in principio, dum urget neceſſitas ob vitæ periculum.

Probatur antecedens, præcipuè ex Fernelio *lib. 3. meth. cap. 11.* dicente: *Eſt & alia ratione ante coctionem purgandi neceſſitas, ſi præter continentem acuti morbi materiam, quæ aut in venis, aut in viſceribus, aut in ambitu eſt corporis, & cujus expectatur coctio, alia quædam vitioſa in ventriculo, in inteſtinis, aut circa præcordia obhæret, dolore, æſtu, nauſea, amarore, aliiſque ſignis manifeſta: hæc enim omni tempore, etiam nondum ulla morbi apparente coctione, utiliter poteſt adhibita præparatione medicamento trahi.*

B

Probatur quintò, quod præter coctionem, & commotionem materiæ à loco in locum ſint aliæ cacochymiæ exigentes ad purgandum in principio, ex Gentile *ſen. 4. 1. cap. 1.* dicente: *Materia furioſa dupliciter dicitur. Primò quando mobilis de membro in membrum: ſecundò quando eſt multi nocumenti, actionem naturæ vehementer diſturbans: & hoc dupliciter. Primo modo, quia eſt multùm malæ qualitatis contrariæ vitæ, quia habet quaſi de natura venenoſa, propter ſuam multam malitiam, vel quia eſt ſubitus motus eius ad membra nobilia, vel principalia, & facit cauſare accidentia mala.*

C

Probatur tandem ex Hippocratis experientia, qui *lib. 7. epidem. text. 56.* Pythonis filium in Pela febre acuta correptum, laborantem ſimul cataphora cum magno ſopore, & vocis interceptione, liberavit à febre & eius accidentibus, in principio appoſito fellis ſuppoſitorio, & exhibito in principio purgante pharmaco.

§. IV.

Purgationi in principio non ſemper obſtat interna inflammatio.

RESolvendum tertiò, quod quamvis, ut in plurimum, interna inflammatio obſtet purgationi in principio, quandoque tamen poteſt ob urgentiam exerceri cum illa. Sic tenent Verry, & Zacutus.

A

Probatur authoritate Galeni, & ratione ab ipſo propoſita *lib. 12. methodi, cap. 1. §. Et læſio quæ à medicamentis imminet, potiùs eligenda, quàm mors; quia ſi magna non eſt, eam ſarcire ſpatio longiori licebit; & ſi magna, ita ut prolixo ſpatio ſanari nequeat, hanc ipſam eligendam potiùs remur, quàm ut homo pereat.* Ex quo ſatis demonſtrat hanc doctrinam.

Si verò tanta ſit viſcerum inflammatio, ut in illis appareat eryſipelas, aut phlegmon, à quibus detentus humor purgandus commotus poſſit evidenter mortem inferre, potiùs ad phlebotomiam recurrendum, cum Galeno *lib. 2. acut. text. 11.* ubi impedita purgatione, quæ fuerat indicata in hac urgentia, ſaltem permittit recurrere ad ſanguinis miſſionem.

§. V.

Solvantur rationes in principio propoſitæ.

AD primam reſpondetur, quod in principio febris putridæ, dum humor putreſcens eſt ſanguini commixtus, cùm ſit pars ſanguinis, ſeu maſſæ ſanguinariæ, non eſt cacochymus, ut probavimus *tom. 1. diſput. de ſanguinis miſſione*; & ideo non indicat purgationem, ſed ſanguinis miſſionem ob ſanguinis vitium proveniens ex illo.

Ad ſecundum reſpondetur, quod Galenus docet purgare in principio febris putridæ, dum humor putreſcens eſt cacochymus, & datur urgentia; non verò dum eſt ſanguini commixtus.

D

Ad tertium reſpondetur, quod humor ſanguini commixtus non indicat purgationem, nec eſt aptus ad illam; non enim habemus naturam adminiculantem: ſi autem fiat ſeparatus, & cacochymus, tunc ſua tenuitate poterit iuvare ſui motum.

DISPUTATIO TERTIA.

De Variis Miſcellaneis Reſolutionibus.

PLACUIT olim per varias Dogmaticorum doctrinas divagari, & communiores Rationalium perluſtrare opiniones. Progredi nunc placet ad abſtruſiores indagines eorum pervenire, aliquaſque ſubjungere varias miſcellaneas opinantium controverſias.

Resolvtio I.

Utrum ſexus tranſmutatio permittatur naturæ.

§. I.

Pars affirmativa fovetur ab aliquibus.

BArbarus fuit quidam, cui placuit, individua ejuſdem ſpeciei, ſcilicet virum & fœminam, ſub ſpecie humana inter ſe ſpecie differre. Sed ſolùm accidentaliter marem & fœminam differre penes partes diverſas generationi dicatas, unanimi aſſenſu fatentur non barbari, ut patet apud Albertum Magnum *lib.* 15. *de animal. cap.* 2. Valleſium *lib.* 1. *controverſ. cap.* 6. Conciliatorem *differ.* 22. Franciſcum Areyes *quæſt.* 57. Horſtium *tom.* 3. *exercitat.* 7. *quæſt* 1. Laurentium *in Anatomia*, *lib.* 8. *quæſt.* 1. & reliquos Claſſicos. Nam ſi mas & fœmina different ſpecie, fœtus illorum ſub tertia alia ſpecie deberent produci, ſicut contingit in mulo, qui fit ab aſina, & equo; & nulla poſſet ſpecies conſervari in ſuis propriis individuis. Sed cùm hæc ſint ejuſdem ſpeciei, & mas ac fœmina ſolùm differant accidentaliter per membra generationi dicata, de iis inquirimus, an ſemel à natura conformata poſſint ab eadem tranſmutari, ita ut viri partes pro generatione dicatæ, fiant partes mulieri debitæ pro generatione; aut quæ erant dicatæ in muliere ad generandum, fiant partes viri aptæ ad generandum pro viro.

Prima opinio fuit affirmantium, hanc tranſmutationem viri in fœminam, aut fœminæ in virum, eſſe naturæ poſſibilem.

Placuit hæc opinio in antiquorum figmentis, placuitque in Philoſophorum aſſertionibus. Plato à Deo Marino fatetur Cenidem fœminam in virum Cenæum fuiſſe transſmutatam, & iterum à viro in fœminam: quod cecinit etiam Ovidius 12. *Metamorph.* & Pontanus in ſtellis, & Auſonius. Similiter tranſmutationes ſimiles fingere de Thebano vate poëtas tenet Areyes, & de Iphide Ovidius 6. *Metamorph.* & de Scitone 4. *Metamorphoſ.* & Empedocles de ſeipſo idem fatetur.

Sed licèt fabuloſum ſit à viro in fœminam fieri poſſe talem tranſmutationem, non ita dubium, quod poſſint aliqui viri effœminari, & quaſi in fœmineam naturam mutari. Mercurialis *lib.* 3. *lect. variar.* id comprobat ex Hippocrate *lib. de loc. aere,* A *& aquis*, & ex Herodoto in Chio, qui id affirmant contigiſſe apud Scythas, licet differant in tradenda cauſa. Herodotus enim id tenet contigiſſe Scythis, quia cùm potiti fuiſſent univerſa Aſia, devenerunt in vetuſtiſſimum templum Uraniæ Veneris, quod devaſtarunt, & ob hoc facinus ipſa Dea ſpoliatoribus immiſit, morbum fœmineum, & illorum ſucceſſoribus, per quem evirati fiebant, quaſi mutati in ſexum fœmineum, nec amplius erant potentes, ſed inter fœminas commorabantur, B illarum officia exercentes. Hippocrates verò loco citato inquit: *Amplius autem plurimi Scythæ eunuchi fiunt, & muliebria officia obeunt, inſtarque fæminarum omnia faciunt, & loquuntur, vocanturque effæminati, & regionis incolæ cauſam in Deum referunt, &c.* Ipſe autem aliam quærit rationem, ſeu cauſam, dicens effœminatos fieri ob diuturnam equitationem, ob quam incidunt in diuturnos, & coxendicis dolores, ob quos coguntur incidere venas retro aures, & ideo fiunt C impotentes & effœminati, & eunuchi, & quaſi in fœmineum ſexum mutati.

At verò de mutatione fœminarum in viros magis valida eſt opinio, quam Torreblanca *lib.* 2. *de Magia*, *cap.* 17. *& lib.* 3. *de jure ſpirituali*, ita certam judicat, ut aſſerat illam negantes inſanire, quam variis Authoribus contendit confirmare.

Probat Torreblanca, poſſe fœminam converti in virum ex variis Authoribus, & tenent ex Hiſtoricis Livius *lib.* 4. *de bello Punico*, Plinius *lib.* 7. *cap.* 8. Sabellicus *lib* 9. *c.* 8. Fulgoſus *lib.* 1. *cap.* 6. Gellius *lib.* 9. *cap.* 4. D Spondanus *lib.* 10. *de rebus cœli*, Galeotus *de promiſcua doctrina.* Tum comprobant Poëtæ. Ovidius 15. *Metamorph. lib.* 12. *& lib.* 6. Virgilius *lib.* 12. Liberatus *lib.* 2. *de alter. Nicandri*, tenet Hyperneſam pro muliere venditam, fuiſſe à Diis mutatam in virum: ſic & Siproëtam Creteuſem, & Leucippem. Ex Medicis pro hac opinione citatur Hippocrates *lib.* 7. *epidem.* qui de Phetuſa Pythei conjuge, & de Manuſia conjuge Gorgippi, tenet mutaſſe E habitum fœmineum in virilem, & hirſutum. Citantur etiam plures alii Medici admittentes hanc tranſmutationem, quos refert Schenkius in ſuis obſervationibus. Amatus, Julius Alexandrinus, Paræus, Georgius Bettinus, Montuus, & alii huic adhærent opinioni: ſimiliter & Textor in ſua officina, *tom.* 1. *tit. de miraculis*, plura refert exempla. Montuus de puella dicta Maria, tenet ſuo tempore mutatam fuiſſe in virum Romæ: alia ex Volaterrano

Probatur antecedens, præcipuè ex Fernelio *lib. 3. meth. cap. 12.* dicente: *Eſt & alia ratione ante coctionem purgandi neceſſitas, ſi præter continentem acuti morbi materiam, quæ aut in venis, aut in viſceribus, aut in ambitu eſt corporis, & cujus expectatur coctio, alia quædam vitioſa in ventriculo, in inteſtinis, aut circa præcordia obhæret, dolore, æſtu, nauſea, amarore, aliiſque ſignis manifeſta: hæc enim omni tempore, etiam nondum ulla morbi apparente coctione, utiliter poteſt adhibita præparatione medicamento trahi.*

Probatur quintò, quod præter coctionem, & commotionem materiæ à loco in locum ſint aliæ cacochymiæ cogentes ad purgandum in principio, ex Gentile *fen. 4. 1. cap. 1.* dicente: *Materia furioſa dupliciter dicitur. Primò quando mobilis de membro in membrum: ſecundò quando eſt multi nocumenti, actionem naturæ vehementer diſturbans: & hoc dupliciter. Primo modo, quia eſt multùm malæ qualitatis contrariæ vitæ, quia habet quaſi de natura venenoſa, propter ſuam multam malitiam, vel quia eſt ſubitus motus eius ad membra nobilia, vel principalia, & facit cauſare accidentia mala.*

Probatur tandem ex Hippocratis experientia, qui *lib. 7. epidem. text. 56.* Pythonis filium in Pela febre acuta correptum, laborantem ſimul cataphora cum magno ſopore, & vocis interceptione, liberavit à febre & eius accidentibus, in principio appoſito fellis ſuppoſitorio, & exhibito in principio purgante pharmaco.

§. IV.

Purgationi in principio non ſemper obſtat interna inflammatio.

Reſolvendum tertiò, quod quamvis, ut in plurimum, interna inflammatio obſtet purgationi in principio, quandoque tamen poteſt ob urgentiam exerceri cum illa. Sic tenent Verry, & Zacutus.

Probatur authoritate Galeni, & ratione ab ipſo propoſita *lib. 12. methodi, cap. 1. §. Et læſio quæ à medicamentis imminet, potiùs eligenda, quàm mors; quia ſi magna non eſt, eam ſarcire ſpatio longiori licebit; & ſi magna, ita ut prolixo ſpatio ſanari nequeat, hanc ipſam eligendam potiùs remur, quàm ut homo pereat.* Ex quo ſatis demonſtrat hanc doctrinam.

Si verò tanta ſit viſcerum inflammatio, ut in illis appareat eryſipelas, aut phlegmon, à quibus detentus humor purgandus commotus poſſit evidenter mortem inferre, potiùs ad phlebotomiam recurrendum, cum Galeno *lib. 2. acut. text. 11.* ubi impedita purgatione, quæ fuerat indicata in hac urgentia, ſaltem permittit recurrere ad ſanguinis miſſionem.

§. V.

Solvantur rationes in principio propoſitæ.

Ad primam reſpondetur, quod in principio febris putridæ, dum humor putreſcens eſt ſanguini commixtus, cùm ſit pars ſanguinis, ſeu maſſæ ſanguinariæ, non eſt cacochymus, ut probavimus *tom. 1. diſput. de ſanguinis miſſione*; & ideo non iudicat purgationem, ſed ſanguinis miſſionem ob ſanguinis vitium proveniens ex illo.

Ad ſecundum reſpondetur, quod Galenus docet purgare in principio febris putridæ, dum humor putreſcens eſt cacochymus, & datur urgentia; non verò dum eſt ſanguini commixtus.

Ad tertium reſpondetur, quod humor ſanguini commixtus non indicat purgationem, nec eſt aptus ad illam; non enim habemus naturam adminiculantem: ſi autem fiat ſeparatus, & cacochymus, tunc ſua tenuitate poterit iuvare ſui motum.

DISPUTATIO TERTIA.

De Variis Miſcellaneis Reſolutionibus.

PLACUIT olim per varias Dogmaticorum doctrinas divagari, & communiores Rationalium perluſtrare opiniones. Progredi nunc placet ad abſtruſiores indagines eorum pervenire, aliquaſque ſubjungere varias miſcellaneas opinantium controverſias.

Resolutio I.

Utrum ſexus tranſmutatio permittatur naturæ.

§. I.

Pars affirmativa fovetur ab aliquibus.

BArbarus fuit quidam, cui placuit, individua ejuſdem ſpeciei, ſcilicet virum & fœminam, ſub ſpecie humana inter ſe ſpecie differre. Sed ſolùm accidentaliter marem & fœminam differre penes partes diverſas generationi dicatas, unanimi aſſenſu fatentur non barbari, ut patet apud Albertum Magnum *lib.* 15. *de animal. cap.* 2. Valleſium *lib.* 1. *controverſ. cap.* 6. Conciliatorem *differ.* 22. Franciſcum Areyes *quæſt.* 57. Horſtium *tom.* 3. *exercitat.* 7. *quæſt* 1. Laurentium *in Anatomia*, *lib.* 8. *quæſt.* 1. & reliquos Claſſicos. Nam ſi mas & fœmina differrent ſpecie, fœtùs illorum ſub tertia alia ſpecie deberent produci, ſicut contingit in mulo, qui fit ab aſina, & equo; & nulla poſſet ſpecies conſervari in ſuis propriis individuis. Sed cum hæc ſint ejuſdem ſpeciei, & mas ac fœmina ſolùm differant accidentaliter per membra generationi dicata, de iis inquirimus, an ſemel à natura conformata poſſint ab eadem tranſmutari, ita ut viri partes pro generatione dicatæ, fiant partes mulieri debitæ pro generatione; aut quæ erant dicatæ in muliere ad generandum, fiant partes viri aptæ ad generandum pro viro.

Prima opinio fuit affirmantium, hanc tranſmutationem viri in fœminam, aut fœminæ in virum, eſſe naturæ poſſibilem.

Placuit hæc opinio in antiquorum figmentis, placuitque in Philoſophorum aſſertionibus. Plato à Deo Marino fatetur Cenidem fœminam in virum Cenæum fuiſſe tranſmutatam, & iterum à viro in fœminam: quod cecinit etiam Ovidius 12. *Metamorph.* & Pontanus in ſtellis, & Auſonids. Similiter tranſmutationes ſimiles fingere de Thebano vate poëtas tenet Areyes, & de Iphide Ovidius 6. *Metamorph.* & de Scitone 4. *Metamorphoſ.* & Empedocles de ſeipſo idem fatetur.

Sed licèt fabuloſum ſit à viro in fœminam fieri poſſe talem tranſmutationem, non ita dubium, quod poſſint aliqui viri effœminari, & quaſi in fœmineam naturam mutari. Mercurialis *lib.* 3. *lect. variar.* id comprobat ex Hippocrate *lib. de loc. aere,*

A *& aquis*, & ex Herodoto in Chio, qui id affirmant contigiſſe apud Scythas, licèt differant in tradenda cauſa. Herodotus enim id tenet contigiſſe Scythis, quia cùm potiti fuiſſent univerſa Aſia, devenerunt in vetuſtiſſimum templum Uraniæ Veneris, quod devaſtarunt, & ob hoc facinus ipſa Dea ſpoliatoribus immiſit morbum fœmineum, & illorum ſucceſſoribus, per quem evirati fiebant, quaſi mutati in ſexum fœmineum, nec ampliùs erant potentes, ſed inter fœminas com-
B morabantur, illarum officia exercentes. Hippocrates verò loco citato inquit: *Ampliùs autem plurimi Scythæ eunuchi fiunt, & muliebria officia obeunt, inſtarque fœminarum omnia faciunt, & loquuntur, vocanturque effœminati, & regionis incolæ cauſam in Deum referunt, &c.* Ipſe autem aliam quærit rationem, ſeu cauſam, dicens effœminatos fieri ob diuturnam equitationem, ob quam incidunt in diuturnos, & coxendicios dolores, ob quos coguntur incidere venas retro aures, & ideo fiunt
C impotentes & effœminati, & eunuchi, & quaſi in fœmineum ſexum mutati.

At verò de mutatione fœminarum in viros magis valida eſt opinio, quam Torreblanca *lib.* 2. *de Magia*, *cap.* 17. *& lib.* 3. *de jure ſpirituali*, ita certam judicat, ut aſſerat illam negantes inſanire, quam variis Authoribus contendit confirmare.

Probat Torreblanca, poſſe fœminam converti in virum ex variis Authoribus, & tenent ex Hiſtoricis Livius *lib.* 4. *de bello Punico*, Plinius *lib.* 7. *cap.* 8. Sabellicus *lib.* 9. *c.* 8. Fulgoſus *lib.* 1. *cap.* 6. Gellius *lib.* 9. *cap.* 4.
D Spondanus *lib.* 10. *de rebus cœli*, Galeotus *de promiſcua doctrina.* Tum comprobant Poëtæ. Ovidius 15. *Metamorph. lib.* 12. *& lib.* 6. Virgilius *lib.* 11. Liberatus *lib.* 2. *de alter. Nicandri*, tenet Hypernеſam pro muliere venditam, fuiſſe à Diis mutatam in virum: ſic & Siproëtam Cretenſem, & Leucippem. Ex Medicis pro hac opinione citatur Hippocrates *lib.* 7. *epidem.* qui de Phetuſa Pythei conjuge, & de Manuſia conjuge Gorgippi, tenet mutaſſe habitum fœmineum in virilem, & hir-
E ſutum. Citantur etiam plures alii Medici admittentes hanc tranſmutationem, quos refert Schenkius in ſuis obſervationibus. Amatus, Julius Alexandrinus, Paræus, Georgius Bertinus, Montuus, & alii huic adhærent opinioni: ſimiliter & Textor in ſua officina, *tom.* 2. *tit. de miraculis*, plura refert exempla. Montuus de puella dicta Maria, tenet ſuo tempore mutatam fuiſſe in virum Romæ: alia ex Volaterrano

ſimilis refertur hiſtoria : Author Antimologii vidit virum, qui fuerat mulier jam deſponſata. Segarra referr Brigidam de Peñaranda fuiſſe virum factam. Nierembergius ſimilem referr hiſtoriam ; ſimileſque referunt Marcellus Donarus, Delrius, & alii, qui ſimiles fatentur vidiſſe tranſmutariones Matriti, Cordubæ, Compluti, & iu aliis Hiſpaniæ locis : ex quibus Torreblanca convincitur ad aſſerendum conrrariè opinantes inſanire, quaſi pugnent contra experienrias ſenſu comprobaras.

Secundò apparet, fuiſſe ratione idem comprobatum ex doctrina Ariſtorelis docentis, quod fœmina procrearur per accidens, quia narura intendens generare virum, non attingens ejus perfectionem, producir fœminam : & Galenus *lib. 4. de uſu part. cap. 6. & 7.* complectitur eandem doctrinam, docens quod natura impotens partes genitales excludere, ut fiat vir, relinquens illas ad intus facir fœminam.

Tertiò ex Averroë *7. collig. cap. 2.* plura monſtruoſa à narura facta, à natura, aut ab arte reſarciuntur : Ergo fœmina quæ eſt quaſi monſtrum naturæ, poterit reſarciri à narura convertente fœminam in virum. Antecedens pater ex Avicenna *in comm. lib. de generat. animal.* comprobante cum Ariſtorele, plura animalia generari cum meatibus obturatis narium, aurium, & aliarum corporis cavitatum, quæ reſarciuntur ab arte : plura à natura fiunt diminuta, quæ reſarciuntur ab illa, ut dentes in omnibus, mammæ in fœminis: & de fœminis docuit Hippocrates, tempore acquiſiiſſe habirum virilem, & hirſutiem : Ergo & viri naturam valent acquirere fœminæ.

§. II.

Denegatur natura, poſſe jam factum virum mutare in fœminam.

REſolvendum primò, quod nec virtute naturali, nec ultra naturam poteſt vir mutari in fœminam. Eſt communis doctrina, & admittit Torreblanca.

Probarur primò : Tum quia quos Hippocrates & He[illegible]us fatebantur mutari in fœminas inter Scythas, non contendunt ſubſtantialiter fuiſſe muratos per tranſmutationem partium dicatarum generationi; ſed eviratos & effœminatos fuiſſe factos, & in mores fœminarum tranſmiſſos.

Probatur ſecundò, quia nequit fieri vir ex fœmina, niſi tranſmiſſis partibus genitalibus, quæ ſunt in partibus exrernis, in partes internas; qui conatus eſt irritus, ut conſtat ex viri conformatione, & ſuarum partium.

Probarur tertiò, quod nec viribus ultra naturam poſſit à dæmone vir tranſmutari in fœminam. Tum quia, ut tenet D. Matthæus *cap. 5.* ipſe *nequit nec immutare capillum, aut de albo facere nigrum.* Tum quia ſi dæmon poſſet ſexum mutare, omnes mutaret ſexus, & impediret propagationes rerum. Tum quia perficere generationes eſt opus ſolius naturæ. Tum quia nequit dæmon naturale hoc opus perficere, niſi à natura fiat applicando activa paſſivis, quod naturæ etiam repugnat, cùm nequeat intromittere ſcrotum, & penem intra viſcera.

§. III.

Denegatur naturæ, quod poſt productam fœminam illam tranſmutet in virum.

REſolvendum, quod nequit naturæ virtute in virum tranſmutari fœmina verè talis à nativitate edita. Sic tenent Areyes *quæſt. 57.* & citati ab ipſo, Horſtius *lib. 1. de natur. human. exercit. 7. q. 1.* Pinæus *lib. 1. de notis virginit. cap. 9.* Mercatus *lib. 2. de morbis mulier. cap. 10. & 11.* Acaſtro *lib. 1. de natur. mulierum, cap. 3.* & acriter tuetur Carreirus *fen. 1. lib. 1. doct. 7. diſput. 37. cap. 7.*

Probarur primò : Si quid contrarium ſuadere apparet, maximè placitum Ariſtotelis, & Galeni, qui judicant fœminam eſſe animal imperfectum, per accidens genitum, & quaſi monſtruoſum, & non per ſe intentum à natura : Sed hoc præſuppoſitum eſt falſum. Ergo ex illo non probatur contraria opinio. Probatur minor : Natura per ſe intendit hominis generationem, ſpeciei conſervationem, & media, ſeu inſtrumenta ſimpliciter in in hunc finem neceſſaria : Sed uterque ſexus eſt omninò, & ſimpliciter neceſſarius, vir ut generet in alio; fœmina ut in ſe generet pro conſervanda ſpecie humana : Ergo uterque ſexus eſt per ſe intentus à natura.

Probatur ſecundò : Scrotum, & uterus non ſolùm differunt in ſitu, ſed etiam in conformatione partium, numero, magnitudine, & inſitis viribus : Ergo non ſunt una entitas, ut ſupponit Galenus. Probatur antecedens ex ſapientiſſimo Andrea Laurentio *lib. 8. anatom. quæſt. 1.* dicente: *Quæ verò de genitalium ſimilitudine, & ſitu tantùm immutato profert Galenus, abſurda omninò ſunt, & parum anatomica, ut*

fusè,

faſè , lateque in uteri hiſtoria diſſeruimus. Nulla enim cervici uteri cum virili pene, nulla uteri cum ſcroto intercedit ſimilitudo : nec teſtium eadem eſt ſtructura , figura , magnitudo , neque ſpermaticorum vaſorum ſimilis diſtributio , inſertioque : Non ergo eo ratione marem à fœmina diſtingui exiſtimandum, quòd fœminâ mas ſit perfectior , ſed quòd fœminarum genitalia ſimilia quidem nullo modo ſint , ſed ſitu & aliis modis differant. Tum Horſtius comprobat , nullam, aut fictitiam eſſe ſimilitudinem partium dicatarum generationi in utroque ſexu. Primò , nam numerus membranarum idem non eſt, quia mulieribus deſunt varicoſi adſtites, & glanduloſi præſides ; quæ tamen in viro pro ſexu maſculino ſunt partes neceſſariæ. Deinde quænam quæſo cervicis uteri, quæ canalem oblongum conſtituit , cum pene virili convenientia eſt , ſive intus latentem cervicem , ſive exteriùs procedentem eam conſideres ? Quænam ipſius uteri cum ſcroto communitas , quænam proprietates convenientes ? Membranoſum utrumque corpus dices : at cur non uterum quoque cùm veſſica vel ventriculo comparas , cùm in iis quoque ratione ſubſtantiæ quædam ſit convenientia. Teſtes in utroque ſexu concedimus , eâ tamen differentiâ , ut ſolo calore non ſufficienter agente , muliebres virilium naturam inducere nequeant. Tum idem comprobat Carreirus *fen.1.1. doct.6. diſput.37.* Nam penis hominis pudendum, adeo ſolidum eſt , ut vix lapillus ſine maximo dolore poſſit excerni : uteri verò cervix inſignem habet cavitatem , cùm per ipſam fœtus utcumque grandior excernatur. Uterus eſt multò amplior ſcroto , & in quo plores fœtus contineri poſſunt , quorum nullum poſſet continere ſcrotum. Nec in muſculo habet aliquam partem proportionalem , ut patet ex ejus uſu ; & quod appellatur in hominibus pudendum, eſt multò carnoſius , & majus. Ex quibus patet , non ſolùm uterum ab ſcroto ſitu differre , ſed penès partium componentium diverſitatem. Tum idem comprobat Franciſcus Areyes *quæſt. 57.* Quia alia eſt viri fabrica, alia mulieris ; alii viri teſtes , alii teſtes mulieris ; aliud viri ſcrotum , & alius mulieris uterus ; aliud priapus , & virga viri ; aliud mulieris vagina inanis , & vacua ſemper , non ita penis. Deinde quia matrix eſt ligata , & ut talis egredi non poteſt niſi ad vulvæ os : nec eſt dicendum , quod uterus egrederetur, adhuc cum maiore calore : cùm à natura tot vinculis ſit alligatus, ut fœtum valeat

A continere , & retinere , adhuc grandiorem , & ejus inſultus ſuſtinere.

Probatur tertiò ex eo , quod teſtes in viris occultentur intra inguina , & nunquam , aut non niſi poſt aliquot annos erumpant : non tamen ideo tales viri dicuntur mutati in fœminas, ut latiùs patet ex ſuprà à nobis diſputatis de teſticulorum occultatione in viris : ſed contingit plures naſci cum occultatione membri virilis, quod poſtea manifeſtatur : Ergo ex ejus occultatione , & manifeſtatione non
B aſſerendum , quòd ſint mutati à ſexu fœmineo in virilem. Probatur minor à Pineo *lib. de notis virginitatis , problemate* 2. ubi per duas obſervationes demonſtrat, quod ſæpe viri naſcuntur membris virilibus occultatis intra rimulam , quæ fœmineum ſexum repræſentat ; & quod paulò poſt vigoratâ naturâ penem extrahit , & marem iudicatum fuiſſe fœminam , manifeſtat : ex qua fallacia potuerunt plures hallucinari , credentes fœminas in viros fuiſſe transmutatas.

C

§. IV.

Solvuntur fundamenta credentium eſſe poſſibilem mutationem unius ſexus in alterum.

AD innumeras confabulationes , tam veterum poëtarum , quàm quæ ab Hiſtoricis, & Medicis creditæ , & enarratæ ſunt , præcipuè reſpondemus ex comprobationibus Claſſicorum Medicorum, quas adduximus, ex quibus manifeſtè pa-
D tet impoſſibilitas mutationum partium dicatarum generationi , varia illarum conformatio , impoſſibilis adaptatio ab uno ſexu in alium , & immutatio ab internis partibus, in quibus ſunt à natura alligatæ, in partes externas.

Sed quæ fuerit cauſa , ob quam tot viri, immò & docti Scriptores , & Medici inciderint in illum errorem , conatur Areyes inquirere : proponit communiorem , quòd pars mulieris , quæ dicitur nympha , cauda , aut clytoris , ita ſolet
E augeri , ut iudicetur eſſe membrum virile, & ob hanc excreſcentiam monſtruoſam fœminæ , in quibus hoc contigit, pro viris ſunt iudicatæ : ideo Avicenna hanc excreſcentiam virgam vocavit. Plempius *lib.2. de fundamentis Medicinæ* , refert fuiſſe fœminam Antuerpiæ dictam Helenam, quæ cum illa multas exerceret fœminas. Secunda fallendi cauſa ſunt hermaphroditæ, ſeu androgynes, qui cùm utroque gaudeant ſexu , uſi ſunt illo pro viris , & pro fœminis

fœminis ; & ideo à viris in fœminas, aut econtrà judicabantur mutari.

Adhærendum mihi videtur Franciſco Areyes, qui adhærens Saxoniæ *cap. de mola*, Cardano 8. *de rerum varietate, cap.*43. Laurentio *lib.*7. *anatomiæ*, *quæſt.* 8. Sennerto *lib.* 3. *praxis*, *part.* 9. *ſect.*1. *cap.* 3. Marcello Donato *lib.*6. *cap.* 2. Angelo Victori *obſervat.* 71. Licheto *lib.* 2. *de monſtr. cap.* 54. Riolano filio *lib.* 2. *Enchirid. anat. cap.* 31. Montuo *lib.* 1. *theriac. cap.* 6. Pineo *tract. de ſignis virginit.* Delrio *lib.* 2. *quæſt.* 22. Alberto Magno *lib.* 18. *animal. tract.* 2. *cap.* 3. colligit ex illis impoſſibilitatem tranſmutationis ab uno in alium ſexum; redditque rationem, ob quam tot alii à nobis recenſiti viri inciderint in contrarium errorem, quia ut probavimus cum Pineo, & ipſe ex adductis obſervationibus tenet, in aliquibus contingit genitalia intus cum teſticulis recondi in aliqua membranula obvoluta, ita ut ad extra appareat quaſi aliquod foramen, ſeu corrugatio. per quam ſic formati apparent fœminæ, & poſtea vigoratâ naturâ, rupto obſtaculo, non ex tranſmutatione ſexus, ſed ex manifeſtatione partium virilium foras erumpentium cognoſcitur vir, qui priùs fœmina judicabatur. Sic nos ſuprà propoſuimus plures obſervationes virorum, in quibus teſticuli ſolent intra inguina occultari, qui à natura per tempora propulſi in ſcrotum manifeſtantur.

Conſtat ex dictis, quod tot citati Authores à Torreblanca non convincunt, ut contrariè opinantes judicentur inſanire.

Poëtarum figmenta nihil probant; quodlibet enim audiendi fuit illis ſemper poteſtas. Si quæ verò fœminæ videbantur in viros mutatæ, aut ſunt quibus nymphæ ultra modum ſunt adauctæ, vel in androgynis, quibus viris fuit utrerque ſexus, vel in quibus viris fuit intra aliquam tunicam occultatio teſticulorum, & ob rimulam apparentem fuit fœminæ repræſentatio, ut obſervat Pineus, & priùs obſervaverat Albertus Magnus.

Ad ſecundum reſpondetur, quod natura per ſe intendit ſpeciei conſervationem in ſuis individuis, & per ſe intendit media ad id conducentia: & cùm tam fœmina, quàm vir ſint in hunc finem neceſſaria, per ſe intendit eius productionem & conformationem, in quem finem & ſemen producit coaptatum, & in illo virtutem fœminæ productivam.

Ad tertium reſpondetur, quod non negamus quod fiant monſtra in natura, dum illa aberrat à fine intento: Sed fœminæ conformatio eſt finis à natura intentus pro ſpeciei conſeruatione. Quod autem generet dentes, & mammas tractu temporis, quia non valuit primò illas producere, nihil ſuadet in contrarium; quia in prima conformatione id conſequitur, quod per ſe intendit, quale eſt fœminæ conformatio, dum in ſemine prævalet virtus ſeminis fœminei, ut comprobant Andreas Laurentius, & alii anatomici.

Resolutio II.

Utrum vagitus uterinus naturaliter ſit poſſibilis.

§. I.

Pars negativa proponitur, & fulcitur.

Solinus inquit, quod vagitus uterinus eſt naſcentium prima vox: Sitonus, quod eſt vox infantis, donec ob organorum ineptitudinem rationis expers eſt. Ego verò dico, quod eſt vox infantis intra uterum matris. Dubitatur an poſſit intra uterum infans formare vocem? Tenent aliqui, quod naturaliter nequit vocem, ſeu vagitum formare; ſed ſi quando id contingat, hoc eſſe portentoſum, & ominoſum Reipublicæ, aut aliis.

Probatur primò ex Ariſtotele *lib.* 7. *de hiſtor. animal. cap.* 10. ubi dicit, non emitti vocem à fœtu antequam egrediatur ab utero: Ergo vagitus non eſt actio naturalis fœtui intra uterum exiſtenti, ſed quoddam portentum.

Secundò: Poſt vagitum uterinum ſubſequuntur variæ calamitates, & ærumnæ: Ergo quia eſt portentum, & infelicitatis prognoſis. Probatur antecedens ex variis Authoribus, qui illum ponunt inter portenta & monſtroſos effectus, quorum aliquos refert Sitonus *in Miſcellaneis, tract.* 46. Libavius *part.* 2. *differt.* 10. *probl.* 3. inquit mali quid portendere vagitum, ſive fœtui, ſive parentibus. Ventrichius *lib.* 1. *de monſtris*, refert natum poſt vagitum totâ vitâ miſerrimum vixiſſe. Fincellius narrat de alio, qui vagitum edidit in Miſnia, & de altero Rotveliæ, qui quaſi prædixerunt bellum Proteſtantium cum Cæſare. Cardanus *de varietate rerum*, alterius meminit, qui vagitum ediderat, qui poſtea fuit parricida anno 1596. De alio fertur poſt vagitum nato matrem occidiſſe in partu.

D. Joannes Paterſonius *obſervat.* 62. *in ephemeridibus Germanicis*, *in ſcholio*, aſſentitur Balthaſari Timæo, tenenti quod vagitus

gitus fiat ſæpe à cauſa ſuperiori, fœtui, parentibus, aut Reipublicæ calamitates minante: & tradit exemplum de vagitu audito anno 1624. Colbergæ, quia fœtus poſtquam fuit in lucem editus, unà cum matre ab ancilla veneno peremptus fuit, maritus peſte extinctus, domus fuit incendio abſumpta, reliqui fratres miſeri facti, & acerbo extincti fato, ſimul & urbi Colbergæ funeſtus fuit hic vagitus. Refert idem Paterſonius Hayn *loco citato*, alterius hiſtoriam, qui vagiens cœpit naſci in Ungaria, & dum caput extra uterum haberet, in uterum fuit abreptus, in quo poſtea permanſit per duas ſeptimanas: quod Plinius jam obſervaverat *lib.7. cap.3.* dicens: *Puer reverſus eſt in uterum matris eo anno, quo Saguntus ab Annibale deleta eſt.* Ergo vagitus uterinus non eſt naturalis, ſed ominoſus, ac portentum prænuntians & miſerabiles eventus.

Tertiò Libavius agens de vagitu uterino, quaſi problematicè diſputans pro hac opinione, plures adducit rationes. Tum primò, quod docetur ab Ariſtotele, ut nuper diximus. Tum ſecundò, quod ſi fœtus ore aperto traheret aërem pro voce formanda, aut ſpiritus emitteret, ut poſſet vagire, ſuffocaretur, quia aquas cum aëre attraheret, intra quas expoſitus manet. Tertiò non eſt via, per quam recipiat copiam aëris requiſitam, ut collidatur intra aſperam arteriam pro formanda voce. Tum quartò, ſi eſſet naturalis cauſa productiva vocis, quæ dicitur vagitus, ab illa frequenter, & in omni fœtu daretur vagitus. Tum quintò, pulmo fœtus in utero eſt præditus rubro colore; dum naſcitur gaudet colore albo: fit ruber color defectu aëris; fit albedo ab aëre: Ergo cùm fœtui deficiat aër, deficit materialis cauſa vocis, ſine qua nequit fieri in utero.

§. II.

Proponuntur cauſæ ſecundæ vagitus uterini.

ASTrologi, & cum illis Aponenſis, tenent vagitum uterinum ab aſtris provenire, quia quicumque in ſuo ortu habent Mercurium Orientalem, habent celeriorem loquutionem, & ideo illis contingit intra uterum vocem emittere. Platonici admittentes animam mundi, à qua omnes actiones gubernantur, à qua fit formatio hominis, propagatio, & defenſio, actiones conſuetæ foventur, ſimul & inſuetæ, & latentes, ut tenent Stoïci, deſtinant ſeu determinant mundi animam pro hac actione intempeſtiva, & aliis ſi-

D. Gaſp. Bravo Tract. Miſcell.

A milibus, ut quod homines pro illa ſint fatui, melancholici, ſomniabundi, & morituri; ſic enim ob impotentiam organorum corporis, quaſi corpori non alligati, quaſi in ſuo corpore ſpecies rerum ab anima mundi percipiunt, & intra uterum pro moleſtis ſpeciebus coguntur plorare.

Medici recurrunt ad cauſas naturales, ex quibus vox formatur, ut præcipuè patet in Sennerto, & Bartholino *in hiſtor. Anatomic. cent. 1. hiſt. 1.* ſunt enim inſtru-
B menta requiſita in embryone pro voce formanda, ſimul & aër, ex quo formatur ſonus. De inſtrumentis in vicinis partui nequit dubitari, cùm in ipſo partu doceat experientia, omnes plorare, & apta inſtrumenta habere pro ipſis vocibus efformandis. Quod ſit aër tantillus, vel per venas ſubminiſtratus, vel tranſpiratiune adductus, vel ex ſpumoſo ſanguine elevatus, vel per uterum inverſo fœtu prope partum, vel à cavitate pulmonis, quæ nequit eſſe vacua, admittitur, ſimul & quod ob doloris quendam ſenſum poſſit
C incitari ad plorandum: Ergo pro voce formanda ab fœtu intra uterum contento ſunt omnes naturales cauſæ, quæ poſt partum in illo ſtatim occurrunt ad plorandum.

§. III.

Vagitus uterinus poteſt ſine miraculo fieri.

RESolvendum primò, quod uterinus vagitus poteſt provenire à cauſis naturalibus.

Probatur primò: Nam ſi vagitus ute-
D rinus eſſet portentum, & non fieret à cauſis naturalibus, ſemper ſubſequeretur ex ipſo quid ominoſum Reipublicæ, fœtui, aut parentibus: ſed Sennertus, Sitonus, Bartholinus, & alii locis citatis nuper plurimas afferunt obſervationes eorum, qui nati ſunt poſt vagitum uterinum, & nullum ſupervenit incommodum, nec illis, nec Reipublicæ, nec parentibus: Ergo vagitus uterinus poteſt fieri à naturalibus cauſis ſine aliquo portento.

Probatur ſecundò: Sunt naturales cau-
E ſæ intra uterum, ut fœtus formet vocem: Ergo ſine miraculo valet elicere vagitum. Probatur antecedens: Nam vox perficitur per inſtrumenta reſpirationis, quæ in fœtu paulò ante partum ſunt eadem, ac nuper poſt partum, dum puer naturaliter plorat, & ex aëre, qui neceſſariò petit contineri in cavitate pectoris, aliàs daretur in illa vacuum; & ut diximus, vel tranſpiratione aër attrahitur ad pulmones,

præcipuè ex aëre exiſtente in tunica Amnio dicta, ſive ex ſuperfluitate contenta in illa, vel ex tunica dicta Chorion: Ergo ſine miraculo poteſt vagitus plerumque ſupervenire.

Probatur tertiò ex Bartholino *hiſtor. 1. cent. 1. tom. hiſtor. anatomic.* dicente: *Unde fruſtra ſunt ſuperſtitioſi quidam, qui ex vagitu hoc, quem naturalem diximus, Republica malè ominantur. Non vagitus, ſed peſſimi mortalium mores, & Divorum contemptus Reſpublicas evertunt: vagientes, & ſibi, & matri, & Reipublicæ ſubinde felicia portendunt. Sibi, quia robur indicant, & perfectas ad partum accelerandum partes. Matrem bona ſpei eſſe plenam jubet vagitus, vivere fœtum, & eſſe ſatis validum. Reipublicæ, & Principi fauſta eſt acclamatio. Sic apud Livium reportatum ab hoſtibus triumphum prædixit io, ab infante prolatum.*

§. IV.

Fatendum, poſſe vagitum eſſe portentum.

Reſolvendum ſecundò, quod licèt vagitus poſſit naturaliter fieri à fœtu, poteſt tamen quandoque à Deo pro portento permitti.

Probatur: Deus per plures alias prodigioſas, & inuſitatas voces pluries portenta prædixit: Ergo poterit aliquando vagitu pro portento uti. Probatur antecedens ex Tito Livio *lib. 24. hiſtor. Romana*, dum infans in utero apud Marrucinos *Io triumphe*, loquutus eſt, quo tempore Annibal ex Campania fugatus eſt. Sic portentoſum fuit, ut tenet Obſequens *lib. de prodigiis*, quod puer naſcens ex ancilla dixerit *Ave*. Livius *lib. 11.* ſimile refert portentum, & Gregorius Turonenſis refert infantis loquutionem portentoſam ad liberandum à calumnia Brieium Epiſcopum. Et Surius in vita Sancti Anſelmi refert infantem poſt vigintiquatuor horas à nativitate diſtinctè loquutum fuiſſe: & Petrus Gregorius *de Republica*, plures ſimiles adducit hiſtorias infantium, qui loquuti ſunt paulò poſt nativitatem ob aliquod portentum à Deo pronunciandum: Ergo ſimile ab illo poteſt per vagitum uterinum demonſtrari.

Probatur ſecundò ab eventu, quia poſt aliquos uterinos vagitus obſervarunt plures magna ſubſequuta incommoda pluribus: Ergo quia forſan à Deo immiſſa ſunt hæc portenta, licèt per cauſas naturales ultra naturæ ordinem. Patet antecedens ex Libavio *part. 2. differt. 10. problem. 3. & in annot. ad 4. problema*, idem confirmante ex Vvenrriehio *lib. de monſtris*, & ex Jacobo Fincelio per duas hiſtorias: quod firmat etiam Cardanus *de varietate*, & firmavimus cum Paterſonio in fœtu, qui naſcens regreſſus fuit in uterum vagiens.

§. V.

Solvuntur fundamenta contrariorum.

Ad primum reſpondent Libavius, Vvenrrichius, Columbus, & Sitonus, quod apud Philoſophos duo affirmari ſolent: alia quæ neceſſaria omninò ſunt, ut quod ſol hieme maximè diſtet à nobis: alia quæ licèt non ſunt omninò neceſſaria, ut in plurimum tamen contingunt, ut quod hieme pluant aquæ. Inter hæc quæ ferè ſemper contingunt, affirmatur ab Ariſtotele, quod fœtus non edit vocem intra uterum: quod non tollit quin, licèt rarò, aliquando tamen id accidat, ut demonſtrat experientia.

Ad ſecundum reſpondetur, quod vagitus uterinus habeat cauſas naturales, quæ licèt rarò contingant, tamen licèt rarò, poſſunt naturaliter illum efficere.

Ad tertium reſpondetur, quod pro primo jam nuper reſponſum fuit. Tum pro ſecundo, quod licèt ſit quædam aquoſitas in utero, & quaſi fœtui adhærens, quod reliquum ſuperfluit, eſt aër, & quod trahitur ad reſpirationis inſtrumenta. Tum pro tertio, quod puſillus aër requiſitus pro vagitu uterino, facilè tranſpiratur ſine tanta copia, qualis requiritur pro voce conformanda. Tum pro quarto, quod rarò contingit, quod detur fœtui ſufficiens aëris copia pro vagitu: & licèt contingat, rariùs accidit, quod ſentiat doloroſam cauſam, quæ cogat pro vagitu edendo. Tum pro quinto, quod modica aëris collecta in pulmone materia, & calida illius temperies nequeunt ejus immutare colorem, donec à majori, & frigidiori copia immutetur.

Resolutio III.

Utrum dentur arbores metallicæ, ſeu auriferæ.

§. I.

Aperitur ratio dubitandi, & proponitur pars negativa.

Elementa ſunt prima principia, ex quibus fiunt omnia mixta, & in quibus generantur. Voraciſſimus ignis nulla intra ſe procreat, omnia in ſe immutat, intra ſuos

ſuos fornaces admittit aliqua. Aër in ſe admittit volatilia: Aqua piſces, & conchilia. Terra generat animalia, arbores, & reliqua vegetabilia, & intra viſcera foſſilia. Hæc dividit Ariſtoteles *lib.4. meteor.* in foſſilia & metallica, cui adhærent Theophraſtus *lib. de lapidibus*, Galenus *lib.9. de ſimplic. medicam. facult.* & Agricola *lib. de cauſis, & ortu ſubterran.* tenet, quod ſubterranea, aut ſunt terræ variæ, aut lapides varii, aut metalla varia, aut ſucci concreti varii.

Metallum tenet Agricola *lib. 1. de natura foſſilium*, quod eſt corpus naturâ foſſile, liquidum, vel durum: quod ſi durum, poteſt vi ignis liquari, & iterum refrigeratum, poteſt in ſuam propriam formam reduci. Fallopius *tract. de metallis*, inquit, quod metallum eſt omne foſſile corpus durum, igne liquabile, & in ſua natura conſiſtens, malleo in omnem poſitionem aptum deduci. Communiter ſex ejus annumerantur ſpecies: Aurum, Argentum, Æs, Ferrum, Plumbum, Argentum Vivum, quibus Stannum ſuperaddunt alii. De cauſa materiali metallorum diſſentiunt Authores. Democritus, & inter Arabes Gilgil, tenent quod calx, & lixivium in viſceribus terræ genita, ſunt cauſa materialis, ex qua fiunt omnia metalla magis aut minùs perfecta, juxta horum majorem, aut minorem perfectionem. Albertus *lib. 3. de metallis, capit. 2.* ponit pro cauſa metallorum quoddam humidum pingue, & viſcidum, cum quodam tertio humido. Chimici pro materia metallorum duo aſſignant principia, Argentum vivum, & Sulphur, quorum primum præcipuè præſtat materiam, ſecundum ſimul & efficientiam.

Pro conſignanda cauſa efficiente metallorum recurrunt omnes ad Solis, & aſtrorum influxus, adhærentes Hermeti Triſmegiſto, Ariſtoteli, Avicennæ, Gebero, Alberto, & aliis antiquioribus, à quibus id admittendum proponitur: præcipuè ponunt diſpoſitiones, ut à Deo formæ introducantur. De loco verò, in quo producuntur metalla, cùm ſint foſſilia, petunt produci in viſceribus terræ: an ſimul poſſint aliquando germinari in arboribus, proponitur difficultas, præcipuè de auro, & argento, ratione quorum ipſæ arbores dicantur auriferæ, id eſt aurum germinantes.

Prima, & communis opinio tenet, quod nec aurum, nec reliqua metalla poſſunt augeri, nec extra terram generari, nec in arboribus germinare. Tum quia metalla ſunt ex ſubterraneis, & foſſilibus, quæ petunt generari intra viſcera terræ: Ergò nequeunt in arboribus generari. Tum ſecundò, quia ſi aurum, aut alia metalla generari poſſent in terra, aut arboribus, tanquam ſui partes producerentur, & hoc eſſet media virtute generativa, aut augmentativa; & ex hoc ſequeretur, quod viverent, ſaltem vita vegetativa, quod eſt contra communem conſenſum judicantium metalla non vivere. Tum tertiò, ſi in arboribus metalla producerentur, & tanquam illarum germina apparerent, deberent attrahi à facultate attrahente ad partem, per quam erumpunt: ſed nequit aurum, nec metalla attrahi ab attractice vegetativi gradus, quia ſolùm attrahit alimentum utile ſuæ nutritioni, aut augmento, quibus non deſerviunt metalla.

§. II.

Pars affirmativa ſancitur, & fulcitur.

Reſolvendum, quod metalla, præcipuè aurum, ſæpe per arbores compoducta apparent. Sic docuit experientia.

Probatur primò, quod aurum, & metalla augeantur, à Fortunio Licbeto *lib.4. de ſponte viventium ortu*, qui hoc confirmat ex Ariſtotele *lib. de mirabil. aud. capit.40. & ſequent.* ubi narrat, quod in Pieria Macedoniæ, ab antiquis Regibus recondi ſolita fuit auri copia in quatuor foveis, in quarum una viſum fuit renaſci aurum magnitudine ſeſquipedali, ultra illud quod fuerat repoſitum. Prætereacirca Philippicos Macedoniæ reperiri metalla, quorum fruſta in terra injecta minutim conciſa aurum producebant, & etiam in Cypro circa Tyrrhiam æs ſeminatum contuſum augebatur. Tum in America fructuum more ex terra aurum inſurgit: Ergo datur auro, & metallis augeri in terra.

Probatur ſecundò, quod reliqua metalla ultra aurum reperta ſint orta ex arboribus, & in illorum forma. Sic comprobat Magnenus in Democritum in aurifodinis Monomotapæ, in quibus arbores metallicæ fuerunt repertæ, & in Sileſia Moraviæ, & ad Moraviæ fines. Oſualdus Gremius *in arbore hominis*, tenet in Napoli monſtrari arbuſcula argentea ex arbore collecta, quod fatetur Franciſcus Imperatus in Dioſcoridem, ut tenet Jacobus Sanchs.

Probatur tertiò, quod aurum præcipuè poſſit extra viſcera terræ generari. Tum quia de dente aureo decantata eſt hiſto-

ria pueri Seleuciæ, qui habebat dentem aureum, de quo librum edidit Horſtius: & licèt ſint, qui illam negent, videtur confirmari primò per hiſtoriam Thomæ Bartholini *in hiſtoria Anatomica*, *cent.* 2. *hiſtor.* 24. qui Patavii narrat virum fuiſſe, quem omnes viderunt habûiſſe dentem ferreum: Ergo & aureus dens fuit poſſibilis. Aureum fuiſſe crus Pythagoræ credidit antiquitas, & aureos fuiſſe capillos Abſalonis tenet Stephanus Rodericus Caſtrenſis, ut aſſerit Areyes *quaſt.* 36. ubi ex Mizaldo confirmat in Germania intra Danubium vites reperiri, quæ claviculos & plerumque folia ex puro auro candentia procreent, quibus Areyes parum aſſentire videtur, ſed Juniòribus atteſtantibus.

Probatur tertiò de auro omnium metallorum præſtantiſſimo, quod erumpat in arboribus, & vitibus, ex variis Authorum obſervationibus. Tum comprobat Fortunius Lichetus ex Petro Martyre *lib.* 3. *cap.* 33. qui narrat quod in inſula Hiſpaniolæ, in provincia Catoz, aurum fruticum naſcitur more, inſtarque vitis ſurgere ex terra, & juxta arbores inſurgere: & comprobat ex Fulgoſo *lib.* 1. *capit.* 6. quod apud Firmium Pannoniæ urbem, ſæpe in vitibus videtur aurum creſcere in forma capreolorum, ex quibus aurea moneta fiebat. Tum idem confirmat Canonherius *lib.* 1. *de admirandis vini virtutibus*, *num.* 29. dicens: *Quia aliquando vitis aurum producit. Nam juxta Firmium Pannoniæ urbem, ut refert Baptiſta Fulgoſus lib.* 1. *cap. ult. interdum in vitibus capreoli ineſſe reperti ſunt veri auri, confectaque ex eo auro pecunia: quod ipſum multi fide præſtantes viri temporibus noſtris viderunt, ut illud negare videatur eſſe impudentis hominis.* Refert etiam Merola *lib.* 1. *cap.* 27. *memorabil.* Tum latiori calamo idem comprobat Jacobus Sanchs *in miſcellaneis Medicis Germanorum*, *anno* 1670. qui præter recenſita à Lichero ſuperaddit pro confirmatione auri vegetabilis plures hiſtorias: & refert in Gallia anno 1602. in Lugdunenſi territorio, prope pagum S. Martini, inventum fuiſſe palmitem aurum procreantem, quod delatum fuit Regi Henrico. Alexander ab Alexandro *lib.* 4. *Genial. dierum*, *capit.* 9. Petrus Matthæus *in hiſtoria Gallia*, *lib.* 4. *tit.* 2. Gaudentius Merola *Comoſgraphia lib.* 10. *cap.* 27. Joannes Baptiſta Porta *Phytogn. lib.* 2. *cap.* 6. referunt varias hiſtorias arborum producentium aurum. Superaddit Jacobus alias ſimiles in Germania circa Deſgram ad Albim. In Ungaria, anno 1651. D. Matthæus Held, Archiater Sigiſmundi Ragoz, prope Tocabium fatetur vidiſſe in botris acinos auri compactos Principi oblatos. Joachim Becherus in Ungaria vidit vitem natam ſupra venam auri, cujus truncus aureis veluti filis obvolutus erat. Henricus de Franchenſtehin in literis anni 1669. teſtatur poſſidere aliquos acinos auri. Vinitor in Ungaria vidit materiam flavam exſurgentem in vite, quam ligone percuſſam fatetur dediſſe quaſi aureum dentem aurifici, quem eſſe verum aurum faſſus fuit artifex. Similes, & alias hiſtorias refert Sanchs. Tum in radicibus vitium reperti fuerunt funiculi ex auro in illis nato in fluvio Tarza, circa pagum Tartza, per quatuor milliaria prope civitatem Eperies, in ſuperiori Hungaria. Georgius Sebaſtianus Jung refert ruſticum inveniſſe filum auri ponderis ℥. ß. & duarum drachmarum, inſtar fili contorti in vite, quod fuit oblatum Imperatori. Sic & ſimiles alias refert obſervationes Sanchs, ex quibus convincitur, verum aurum ex radicibus vitium fuiſſe decerptum.

§. III.

Solvuntur rationes dubitandi primò poſita.

AD rationes dubitandi reſpondetur: Tum pro prima, quod communiter eſt receptum, & expertum, quod metalla generentur in viſceribus terræ, non ſemper in profundo, ſed ſæpe circa terræ partes ſuperiores; ideo contingit, quod poſſint poſt plures pluvias arenulæ auri deſcendere à montibus, & inter arenas fluviorum colligi: ſic & circa arbores concreatum aurum in radicibus, aut in ramulis apparere poteſt. Tum pro ſecunda, Faber Lynceus admittit dari plantonimalia, media inter bruta, & plantas, quæ vocat Zoophita, inter quæ apparet ponere auriferas arbores: cujus meminit Jacobus Sanchs. Lichetus refert aliquos admittentes, quod ſicut poſſunt animalia producere cornua, & alias partes non viventes, ita poſſunt vegetabilia producere metalla non viventia. Vel dicendum, quod aliqua metalla fiunt liquida, & permanent terræ commixta, & ſimul cum illa trahuntur à plantis; & cùm non ſint ex uſu pro nutritione, ſeparantur ab expellente facultate, & ab ea expelluntur, ſicut in animali expelluntur excrementa ab alimento ſeparata, quæ ſunt inepta pro nutritione. Tum pro tertio dicimus, quod facultas attractrix attrahit

utile

utile pro nutritione viventis, & ſæpe inutile illi commixtum, donec per coctionem ſeparatum ab expellente trudatur extra corpus vivens. Sic autem terræ commixtum, cum illa attrahitur pro arboris aurificæ nutritione; poſtea ſeparatum ut nutritioni inutile, purum remanet, & ſeparatum ab arboris ſubſtantia, ut tale colligitur, non quia ab illa poſſit produci, ſed poteſt jam genitum per ejus partes trahi, ſeparari, & expelli.

Resolutio IV.

Utrum Chryſopœia ſit vera ars factiva auri.

§. I.

Proponitur pars affirmativa, & fulcitur.

Chimia à Græcis dicta, ab Arabibus Alchimia, eſt ars quæ verſatur circa metalla, ad quam reducitur chryſopœia, de qua dicit Pantheus *lib. de tranſmutatione metallorum*, quod eſt *ars auri factoria*, ſeu procurans metalla vertere in aurum. Ego judico quod eſt ars cupiditatis faciendi, ſeu acquirendi aurum. Antiquiſſimus eſt hic conatus, antiquaque controverſia inter Authores, an chryſopœia ſit vera & realis ars, licèt rarò, valens aurum facere; an verò ſit chimæricum impoſtorum inventum, quo avaros fallere valeant, ut illorum aurum faciant proprium. Pars quæ tenet, quod chryſopœia eſt vera ars realis, quæ docet aurum facere ex aliis metallis, plures habet auxiliantes Authores non parvæ authoritatis, inter quos annumerantur à Torreblanca ex Theologis Albertus Magnus *de Mineral. lib. 3. tract. 1. cap. 9. & lib. de concordia in lapide Philoſophorum*, Antonius Mirandulanus *libro 19. ſingul. certaminis, ſect. 7.* Benedictus Pereira *in Geneſim, capit. 30. & lib. 1. de Magia, cap. 12.* Martinus Delrio *lib. 1. magicar. diſquiſit. cap. 5. ſect. 2.* Libavius *in ſyntaxi 2. ſing. lib. 1.* Suarez *de religione, lib. 2.* Raphaël de la Torre *tom. 2. de vitiis oppoſitis Religioni, quæſt. 69. art. 2. diſput. 2.* Ex Juriſperitis Baldus & Platea *l. 1. Cod. de argent. lib. 10.* Abbas & Anan. *in cap. æſtuarium, de ſort.* Guido Papæ *deciſ. 388.* Hippol. *ſing. 71.* Oldradus de Ponte *conſil. 74.* Proſper Farinacius *tom. 1. quæſt. 20.* Alberic. *in dictionario, verb. Alchimia*, Joan. Andreas *in manud. ad ſpeculum, tit. de crimine falſar.* Ex Chimicis Raymundus Lullus *in com-*

A *pendio traſmutationis artis metall. & in praxi philoſoph.* Arnaldus Villanova *in ſpeculo chemicor.* Hermes Triſmegiſtus *lib. de lapide philoſoph.* Chryſippus Fabianus *de arte Alchimia*, Bern. Triveſanus *de chimico miraculo*, Joan. Aurelius Auguſtinus *in Chryſopœia*, Auguſt. Pantheus *de transformat. metallor.* Bern. Pennotus *de generat. lapidis philoſoph.* Gerardus Dorneus *de Philoſoph. Chimica*, Laurent. Ventura *de lapid. philoſoph.* Inter Juniores Pereira, licèt iis non aſſentiatur, ut tenet Torreblanca, B fatetur tamen, quod non poteſt demonſtrari, quod non poſſit aurum fieri per chryſopœiam. Sennertus magis illis aſſentitur, ſed impoſſibilitatem conſequendi aurum fieri per artem chryſopœiam fatetur. Torreblanca admittit, quod chryſopœia diſputando convincit, ut fateamur aurum facere; ſed opere id non convinci ab illa fatetur, & ut faveat impoſtoribus illius artis, quatuor modos proponit, per quos poſſit dici, quod chryſopœia valet facere aurum; per productio- C nem, & per cauſas naturales, per quas aurum gignitur in terra; per purgationes, auferendo ex metallis partes recidivas auri; per tranſmutationes, metalla tranſmutando in aurum; per ſophiſticationem, cutando metallum tingere ut appareat aurum.

Probatur primò, quod chryſopœia doceat efficere aurum verum. Nam id conteſtantur graviſſimi Authores, & experientia: Ergo id admittendum eſt. Patet antecedens. Tum ex Authoribus nu- D per citatis in omni literatura præclaris. Tum ex eis qui traduntur aurum feciſſe per hanc artem, inter quos annumerantur Arnaldus de Villanova, Raimundus Lullius, Pharmacopola Tarviſinus, Alexander Sidonius, Scotus Anshelmus, Boëthius Cæſarius, Eduardus Keleſius Anglus, & teſtantur Evaldus de Hoglelande, Vvolsfangus Dinehim, Phiotus, Zuingerius, & alii.

Secundò: Nihil obſtat, quominus per chryſopœiam fiat aurum ex aliis metal- E lis. Tum primò, quia inter metalla, cùm ſint ſimilia, eſt facilior tranſmutatio. Tum ſecundò forma ferri tranſmutatur in formam cupri: Ergo poterit in aurum mutari ſimili modo. Tum tertiò alimenta in ventriculo tranſmutantur in chilum, & humores in oſſa, & carnem: ergo & metalla in ſe invicem.

Tertiò Janus Licinus probat quinque rationibus arte chryſopœiæ fieri aurum. Tum primò, quia ſupponendo quod metal-

metallorum alia ſunt pura, ut aurum, & argentum; quædam cocta, ſed impura, ut æs, & ferrum; quædam cruda, & impura, ut plumbum: Sed impura poſſunt repurgari, & cruda concoqui: Ergo fiet transitus ab impuris & incoctis ad aurum, & argentum, depurando, & concoquendo quæ imperfectiora ſunt. Tum ſecundò, omnia metalla fiunt ex eiſdem principiis, ſcilicet ſulphure, & argento vivo: Ergo poterunt inter ſe transmutari, quia inter ſimilia ex Ariſtotele, facilis eſt tranſitus. Tum tertiò, quia natura intendit imperfecta ducere ad perfectum, & ars quæ illam imitatur, ex Ariſtotele *lib. 2. phyſic. & lib. 4. meteor.* perficiendo imperfecta metalla deducit illa ad perfectiſſimum, quod eſt aurum. Tum quartò, ea ſunt tranſmutabilia, quæ imperfectas habent perfectiones, & operationes, ut puer in adoleſcentem: Sed imperfecta metalla habent imperfectum eſſe, & operationes: Ergo valent in aurum, quod eſt perfectius, immutari. Tum quintò, quia ob materiæ aptitudinem ranæ fiunt ex pulvere, & alia animalia ex aliis rebus auro perfectiora, qualia ſunt viventia. Ergo cùm metallorum materia ſit pro auro generando apta, ex illis poterit aurum ab arte fieri.

§. II.

Verum aurum nequit fieri niſi à ſola natura.

Reſolvendum, quod verum aurum nequit fieri niſi à ſola natura in ſuis terræ fodinis, & ſi quod apparet factum per chryſopœiam, aut eſt falſum, aut ſophiſticum, & ab impoſtoribus confictum. Sic tenent, ut fatetur Torreblanca, Alphonſus Toſtatus *in Exodi cap. 7.* Ægid. Romanus *quodlibet. 3. quæſt. 8.* Palacios *in ſentent. 2. diſtinct. 7.* Chaſſanæus *in catalog. gloriæ mundi, part. 11. conſiderat. 40.* Peña *ad Eymericum in direct. Inquiſitor. part. 3. comm. 26.* Caietanus *2. 2. quæſt. 77. artic. 4.* Roſella, Armilla, Sylveſter, & alii Summiſtæ *verb. Alchimia*, Pereira *lib. 1. de Magia, cap. 12.* Binsfeld. *in l. eorum, Cod. de maleſ. & mathemat. quæſt. 5. concluſ. 5. 6. & 7.* & tenent illi, ex quibus reſtat comprobanda Reſolutio.

Probatur primò ex plurium præclarorum Authorum authoritate, & rationibus citatis à Pereiro. Tum primò ex D. Thom. *in 2. Sentent. diſt. 7. quæſt. 3. art. 1. ad 5.* dicente: *Poteſt quidem ars virtute naturalium agentium aliquas formas naturales inducere in materiam; ſunt tamen quædam formæ, quas nullo modo ars poteſt efficere, quia principia activa, & paſſiva non poteſt invenire, atque adhibere, ſed benè aliquod ſimile illis efficere, ſicut Alchimiſtæ faciunt aliquid ſimile auro quantum ad accidentia exteriora; ſed tamen non faciunt verum aurum, quòd forma ſubſtantialis auri non poteſt elici per calorem ignis, quo utuntur Alchimiſtæ, ſed per calorem Solis in loco determinato, ubi viget virtus naturalis; & ideo naturale aurum non habet operationem conſequentem ſpeciem, & ſimiliter in aliis, quæ eorum operatione fiunt.* Ex quibus ſatis conſtat, ſi quod aurum fit ab arte, illud ſolùm ſophiſticum, & ſpurium eſſe, ac apparens, non verum aurum.

Sennertus reſpondet pro chimicis, quod cùm formæ ſubſtantiales rerum non poſſint cognoſci per ſuas eſſentias, illas cognoſcimus à poſteriori per ſuas proprietates, quæ cùm appareant in auro artefacto, eſt ibi forma vera ſubſtantialis auri; ſunt enim ex Cardano auri proprietates, quod ſit citrini coloris, quod non ſit ſonorum, ſit extenſibile ſub malleo, ita ut tertia pars grani trahi poſſit in filum 134. pedum; quod ſit incorruptibile in aëre, & aqua, & quod omnes ſuſtineat probas, quas chimiſtæ tentant, quas ad novem reducit Geber.

Sed Sennertus nunquam fatetur vidiſſe aurum chimicum, in quo potuerit experiri has proprietates. Nec credendum impoſtoribus, qui dicuntur illas fuiſſe experti. Nec ſi quando ab aliquo ſunt expertæ, tale aurum fuit chimicum, ſed naturale, ab illo pro chimico demonſtratum, qualiter ſolet ab illis fingi.

Tum Ægidius *in 3. quodlibet. quæſt. 8. de auro alchimiſtico*, proponit Avicennæ ſententiam *in comment. lib. meteor.* quam ſic ponit: *Sciant artifices Alchimiæ, ſpecies metallorum mutari non poſſe, quamvis ſimilia illis fieri poſſint; & quamvis Alchimiſtæ queant tingere ipſum æs colore, quo volunt, donec ſit multùm ſimile auro, & abſtergere immunditias, ita ut videatur argentum, tamen ſecundùm ſubſtantiam manebunt æs, & plumbum.*

Tum idem Ægidius loco citato probat, aurum non poſſe fieri à Chimiſtis, quod ſit verum, ſed ſolùm apparens, & fictitium; inquit enim: *Cernimus in unoquoque genere entium, quædam illius generis eſſe perfecta, alia verò imperfecta. Perfectorum autem generationem eſſe determinatam, tam ſecundùm principium activum, & ſecundùm materiam, quàm ſecundùm locum, in quo fit. Imperfectorum autem minimè. Exempli cauſà*

à in genere animalium, quæ ſunt perfectiora, ita ſe habent naturâ, ut equus non generetur niſi ab equo, & ex ſanguine menſtruo equæ, & intra matricem. At mures poſſunt generari ex ſemine, & ſine ſemine; intra matricem, & extra matricem. Idem perſpicitur in plantis, idemque ſimiliter contingit in elementis; nam purus ignis elementalis, nec generari, nec conſervari poteſt, niſi in ſuo loco naturali, id eſt in concavo lunæ. Ergo ſimiliter etiam eveniet in metallis: quare cùm aurum ſit perfectiſſimum omnium metallorum, habebit determinatum agens, & materiam, & locum naturalem, & propriam venam, quæ latet intra ſinum, & ventrem terræ, extra quem locum aurum nullo modo confici poſſit. Neque valet illud quod poſſet afferri contra hoc, quod diximus, nimirum ſi mures, qui ſunt perfectiores auro, poſſunt generari extra matricem, multò melius aurum effici poterit extra ſuum locum naturalem: & ſi ſerpentes fuerint arte magica producti à Magis Pharaonis, ut legitur in Exodo; cur non etiam poterit effici aurum verum induſtriâ & beneficio artis. Hoc, inquam, non valet; nam eadem ratione probari poſſet, cùm mus ſit perfectior qualibet planta, & mus generari poſſit ſine ſemine, quamlibet etiam plantam poſſe abſque ſemine procreari, quod falſum eſt. Nihil ergo prohibet, quod eſt imperfectius alio ſimpliciter, eſſe perfectius illo ſecundùm quid. Quamobrem quod aurum requirat determinatum locum ſuæ generationis, non arguit ipſum ſimpliciter eſſe perfectius aliquo animali, ſed tantùm ſecundùm quid.

Tum Averroës *in lib. 1. de gener. animal.* inquit: *Similiter etiam ſi datur aliquid artificiale valde ſimile naturali, tanta poterit eſſe ſimilitudo, quod exiſtimabitur eſſe idem ſpecie: & ſi ars Alchimiæ habet eſſe, hoc eſt quod poteſt fieri in ea.* Et ſuperaddit: *Sicut ſe habent mures ex putri materia ad mures ex ſemine; inter eos enim eſt tanta ſimilitudo, ut quamvis reverà invicem differant ſpecie, tamen vulgò putantur eſſe ejuſdem ſpeciei: ita etiam aurum Alchimiſticum ſe habet ad verum aurum, & naturale.* Tum favet huic opinioni Conciliator *differ.* 209. dicens: *Metallum non poteſt fieri per artem, & in aliud tranſmutari; cùm ars ſolùm faciat tranſmutationem in accidentibus, non autem in ſubſtantia, vel fortaſſe, ſi poſſibile eſt; tamen id eſt homini ignotum. Unde commentator 3. de anima,* ait: *Dicitur de multis artificiis, quod videntur eſſe poſſibilia; ſed ſunt cauſarum ignotarum, ut v. g. Alchimia: & ſi talis ars conſtituatur, fortaſſe hoc erit per accidens, & inſpiratione*

A *divina potiùs quàm artis humanæ ſapientiâ. Non enim ars eò pervenire poteſt, ut agentia, & materiam cum tempore, modo, & aliis circumſtantiis ſciat ita proponere, ut inde novum conſtituatur metallum. Quod ſi apparenter videatur, id fit, quia ars fallaciam ejus humano ingenio nequit detegere; unde aurum antè conſtitutum vim non puto habere confortandi cor, ſicut habet aurum à natura productum.*

Probatur ſecundò Reſolutio: Si chryſopœia eſſet vera ars realis, docens verum aurum efficere, eſſet habitus facti-
B vus illius operans cum ratione, cum determinatis principiis, & cognitis inſtrumentis pro fine conſequendo: Sed neutrum horum habet, per quod poſſit dici ars factiva auri: Ergo eſt chimærica, & fictitia. Probatur minor. Tum quia omnes Chimici ſiſtunt in conatu conſequendi aurum efficere, quod nunquam conſequuntur. Tum Sennertus refert hiſtoriam Pennoti chimiæ profeſſoris, ad ipſum ab amico tranſmiſſam in epiſtola, ſic: *Pennotus ut in extremo ſenio, anno ſcilicet 98.*
C *ita in extrema etiam paupertate, & miſeria in Noſocomio Tverduni, in ditione Viennenſi circa menſis Auguſti finem diem ſuum extremum obiit: & cùm percontaretur à Guillelmo Fabricio, an aliquid arcani reſervaſſet? fertur reſpondiſſe, quod nullum, & quod ſi alicui malè haberet, & aperta vi aggredi non liceret, ſaltem authori ipſi futurum, ut chimico ſtudio ſe traderet.* Tum quia chryſopœii, ut tenent plures, cùm ſine arte aurum tentent facere, pauperrimi fiunt, & alios pauperrimos reddunt: ideo de
D illis dicitur, non efficere aurum, ſed conſumere. Tum quia ſoli homines deperditi profitentur hanc impoſturam, ipſiſque nulli credunt prudentes, ſed avari, & dubiæ mentis. Tum artes exercitio, & experientiis perficiuntur; chryſopœia in ſolis fallaciis, & impoſturis permanet.

Probatur tertiò: Nulla ars vera & realis ſubſiſtit in impoſturis, & fallaciis: Sed chryſopœia fulcitur à ſuis profeſſoribus in variis impoſturis, fallaciiſque, per quas intendit ſubducere incautos, & aurum pro vero vendere, quod ſolis tincturis tale apparet: Ergo chymæricum eſt inuen-
E tum impoſtorum. Probarur minor ex impoſturis recognitis in chryſopœiæ profeſſoribus, quas Sennertus, & alii referunt, ne poſſint ab incautis prævideri. Primò ligneos baculos, quibus agitant metalla, luna, vel ſole aquis fortibus ſolutis imbuunt, ut in papyro, in qua materia reducenda probanda includitur, literas tingant per aurum, aut argentum, & hoc

videa

videatur tanquam incipientis auri ſignum. Alii miſcent carbonibus aurum, vt appareat per artem factum. Alij catinos duplicato fundo faciunt, & includunt aurum in inferiori, ut oſtendatur quaſi ab illis factum, primo fundo confracto. Alij argentum tingunt cum orichalco, ut appareat eſſe aurum. Alij tingunt æs præcipitato, ſeu aqua forti, ut appareat luna. Alij verò aliter tincturas præparant, quæ paulò poſt deficiunt, vel aliis diuerſis modis fallere conantur, ut incautorum emungant aurum.

Probatur quartò: Si chryſopœii poſſent facere aurum uno ex quatuor modis, illud conſequi tentarent, ut communiter apud omnes eſt receptum, vel per productionem, vel per purgationes, vel per tranſmutationes, vel per colorationes: Sed nullo modo ex dictis poteſt fieri verum aurum: Ergo fruſtranea & chimærica eſt chryſopœia. Probatur minor. Tum primò, quod nequeat fieri ab arte per productionem. Nam ut docet D. Thomas loco citato, aurum non fit per calorem ignis, quo utuntur Alchimiſtæ, ſed per calorem Solis in loco determinato, ubi viget virtus naturalis. Præterea ſicut homo nequit fieri ſine quadam organizatione, quæ nequit niſi virtute ſeminis parentum in utero conformari, ſimiliter neque aurum poteſt fieri ſine quadam elementatione, ſeu commixtione perfectiſſima partium materialium omnium elementorum, quam nequit ars cognoſcere, nec ſi cognoſceretur, poſſet conformari ab aliquo artifice: Ergo nequit chryſopœia aurum verum efficere per productionem.

Tum ſecundò probatur, quod chryſopœia non poſſit facere aurum per purgationes metallorum, quatenus reliqua metalla dicuntur non peruenire ad auri perfectionem, quia in illis ſunt aliqua excrementa commixta, quæ ſi auferantur ab arte, perueniunt ad auri perfectionem. Sed chimæricum eſt hoc fundamentum; nam tota eſſentia auri conſiſtit in propria forma ſubſtantiali auri, prout informat talem elementorum commixtionem, ſiue ſint commixta aliqua excrementitia, ſive non: & cùm nequeat ars, ſiue auferat excrementitia, ſiue illa relinquat, producere talem formam, neque facere modum ſubſtantiæ elementorum requiſitum pro illa; ideo ſive lavet, ſive abſtergat metalla, nunquam producet verum aurum.

Tum tertiò probatur, quod chryſophœia non poſſit facere aurum per tranſ-

A mutationem, extrahendo ex auro vegetato quintam eſſentiam, quæ adiuncta cuivis metallo, illud conuertat in aurum verum. Nam hæc extractio talis quintæ eſſentiæ eſt fictitia, & adhuc ſi eſſet poſſibilis, non eſt cur valeat reliqua metalla conuertere in verum aurum, quia metalla non ſe generant ſicut elementa, aut viventia, quia fiunt ſolis, & aſtrorum virtute, & in ſuis fodinis; quia non eſt cur credamus, quod illa quinta eſſentia valet mutare temperamentum elementale, &
B ſubſtantificum alterius metalli, & ponere ſimul ſubſtantificum auri temperamentum, ſine quo nequit ſubſequi forma auri in illa materia; ſicut nec ſine debita organizatione poteſt in quavis materia introduci forma hominis, aut leonis.

Tum quartò probatur, quod chryſopœia nequit facere verum aurum per colorationem: quod patet; nam ſolùm ſiſtit in tingendo aliud metallum cum auri colore, ſine acquiſitione formæ ſubſtantialis auri, ſed ſolùm mutando acciden-
C talem formam coloris: Ergo nullo ex modis propoſitis à chryſopœis eſt poſſibilis veri auri productio ab illis.

§. III.

Soluuntur fundamenta contrariè opinantium.

AD primum reſpondetur, quod ex farragine eorum qui conati ſunt ſuadere per chyroſopœiam poſſe aurum fieri, ſolùm probatur, vel quod eſt infinitus numerus ſtultorum, quibus ipſi fidem fece-
D runt; vel quod ſunt plures homines deperditi, & impoſtores, qui vivunt ex hac vafritie; vel quod plurimi impoſtores per fallacias ſuprà poſitas introduxerunt hanc credulitatem; vel tandem pro credulitate eorum qui jurarunt in verba Chimicorum dicimus, quod ſi verum fuiſſet ab aliquo apparuiſſe aurum fuiſſe factum, hoc non eſſet verum, ſed à vero auro ſpecie diverſum, fictitium, & quod nullas habet dotes, nec proprietates veri auri, nec pro medicamentis poſſet eſſe ex uſu,
E quæ petunt fieri ex auro, nec pro ſecura conſcientia eorum, qui pro vero auro illo utuntur.

Ad ſecundum reſpondetur, quod ſicut repugnat per aliquam artem equum tranſmutare in hominem, vel leonem, quia à nulla poteſt poni in materia organizatio pro iis formis, ita repugnat chryſopœiæ mutare metalla in aurum, quia nequit ab illa poni in materia illorum elementatio, & temperamentum ſubſtantificum requi-

ſitum

ſitum pro auri veri forma, ſine quo nequit introduci, ſicut nec ſine illa fieri verum aurum. Nec contrarium probat. Tum prima ratio, quia inter impoſſibiliter tranſmutabilia, nulla admittitur tranſmutatio, nec facilis, nec difficilis; ideo licèt ſimilis ſit organizatio equi, & leonis, non admittitur per artem tranſmutatio ab uno in alium. Tum pro ſecunda, quod licèt pro imperfectis formis poſſit ab arte poni organizatio, & diſpoſitio, ut fiat in alias imperfectas tranſmutatio; tamen inter formas perfectiores hæc non eſt poſſibilis; nam requiruntur plura pro earum generatione, quæ nequeunt ſuppleri ab arte. Tum pro tertia, quod tranſmutatio alimenti in chilum, eſt intenta à natura pro conſervatione viventium; tranſmutatio verò in perfectiores formas ſine proprio generante & aliis requiſitis repugnat.

Ad tertium reſpondetur pro rationibus Licinii. Tum pro prima, quod cruda, & impura poſſunt perfici per lotionem, & coctionem; ſed ſemper ſub eadem formâ ſubſtantiali, & ſi mutetur forma, jam non dicentur perfici, ſed corrumpi. Tum pro ſecunda, quod ex eiſdem principiis fiunt diverſæ ſpecies rerum, ut ex ſemine, & ſanguine varia animalia, & ex diverſa elementatione varia metalla; non tamen inde ſequitur, quod ex ſemine & ſanguine leonis fiat equus, nec ex plumbi, & elementorum mixtione fiat aurum. Tum pro tertia, quod aliud eſt, quod ars poſſit perficere imperfectum ſub ſua forma ſubſtantiali accidentaliter tantùm; aliud, quod poſſit ens imperfectum tranſmutari per formam ſubſtantialem perfectiorem in aliud ens perfectiſſimum. Tum pro quarta, quod mutationes accidentales, quæ fiunt ex ordine naturæ, facilè conſequuntur ab ipſa, vel ſimul ab arte; ſed tranſmutationes in perfectiſſimas formas ſolùm fiunt à naturalibus cauſis deſtinatis ab Authore naturæ. Tum pro quinta, quod licèt pro generatione formarum imperfectarum fiat facilior tranſmutatio ab una forma in aliam, quia facilius ponitur imperfecta organizatio, aut elementatio, quàm perfectior; ſed tamen pro perfectiori forma requiritur agens determinatum cum talibus requiſitis, & conditionibus, ut à nulla arte poſſint hæc poni, ſed tantùm à ſola natura, quæ in hunc finem à naturæ authore illam determinavit.

A

RESOLVTIO V.

Utrum lux inſit in omnibus mixtis corporibus?

§. I.

Lucis proprium ſubjectum, & quidditas aperitur.

B LUx, ſeu lumen in primo die geneſis rerum creata fuit, non tanquam corpus, ut inquit Plato, quod repentè impleret totum orbem; nec tanquam forma ſubſtantialis rerum, ſed tanquam accidens reliquis perfectiſſimum, & ut actus diaphani in corpore luminoſo: eſt enim lux, ex Ariſtotele, actus perſpicui, ut eſt perſpicuum, quo formaliter perſpicuum conſtituitur actu tale. D. Dionyſius *de cœleſti hierarchia*, *& lib. 4. de divinis nominibus*, triginta lucis proprietates enumerat. Communiter aliis præfertur, quia inter reli- C quas qualitates nulla ad mundi ornatum & decorem eſt præſtantior, & ut inquit Hugo de Sancto Victore: *Quid pulchrius luce, quæ cùm in ſe colorem non habeat, omnium tamen rerum colores ipſa quodammodo colorat?* Ab ipſa fit viciſſitudo dierum, & noctium, frigoris & caloris, operationum, & quietis. Eſt medium, quo influxus cœleſtes communicantur inferioribus: ſe explicat momentanea actione in totam ſuam ſphæram. Ad animantium vigorem confert, & reliquorum mixtorum pulchritu- D dinem; ideo inquirimus, an in ipſis rebus corporeis ſit inſita. Non agimus de divina luce, quæ in puriſſima Dei ſpirituali ineſt ſubſtantia: nec de divina doctrinæ luce Chriſti Domini, quæ eſt lux vera: nec de luce Angelorum, & Beatorum, quæ inter dotes eorum annumeratur; ſed de corporea luce, ſeu de ea quæ noſtris deſervit corporibus, qualis eſt quæ communicatur per ſe primò ab ipſo Sole, & ſecundariò ab Aſtris; & præci- E puè de illa quæ communicatur ab igne, quæ præcipuè ſolet ſubminiſtrari per lucernas, candelas, lampades, cereos, laternas, funalia, & ſimilia inſtrumenta, quæ ſuperabundant in cubiculis, palatiis, templis, funeribus, triumphis, & aliis in rebus, in quibus quæritur pompa: ſed præcipuè agimus de luce ignis virtute procedente, de qua inquirimus, an quaſi conſopita ſaltem in mixtis corporibus reperiatur.

§. II.

Denegatur mixtis corporibus, quod lucem igneam contineant.

PRimò apparet, quod nulla lux poſſit reperiri in corporibus mixtis. Nam lux eſt actus perſpicui, ut perſpicuum eſt: Sed mixta corpora non ſunt perſpicua, ſed opaca, & denſa; Ergo nequit in illis reperiri lux.

Secundò nulla eſt cauſa efficiens lucis intra corpora mixta, cùm non ſit intra B corpus, aut mixtum agens luminoſum, à quo poſſit produci, & conſervari: Ergo non datur in illis lux.

Tertiò: Nullus eſt finis, ob quem requiratur in mixtis corporibus lux, cùm nequeat lucere, nec in alium finem coaptari: Ergo in mixtis corporibus non eſt admittenda.

§. III.

Admittitur intra corpora mixta ignea lux.

C RESolvendum, quod in omni mixtorum corporum ſorte requiritur lux. Sic comprobat Thomas Bartholinus in libro in hunc finem edito.

Probatur primò cum Bartholino diſcurrendo per omnia mixta. Tum patet in inanimatis foſſilibus, inter quæ lucent metalla, præcipuè aurum, cujus præcipua proprietas eſt, quod ſit lucidiſſimum. Præterea inter lapides, inter quos lucent ophitis, chryſolampis, carbunculus, phlegontis. Plinius alios refert lapides lucidos, D *lib.* 16. *cap.* 14. *lib.* 37. *cap.* 7. & *in cap.* 31. agit de aliis ſimilibus, inter quos eſt lapis liſites, aſtapia, lapis lazuli, onyx, hiacynthus, & chryſopraſtus; ex quibus attenuatis flamma quaſi inſurgit: ſic & lumen excitatur ex attritu in ſilice, aut pyrite, in quo exit foras ignis contentus, ut aliqui tenent. Præterea in ſtibio Dioſcorides *lib.* 5. *capit.* 59. luciditatem, & ſplendorem admittit, & *capit.* 83. ſulphuri idem tribuit.

Tum in vegetabilibus lucem reperiri, E patet in floribus, inter quos numerantur batrachia, calthæ paluſtres; narciſſi, nymphææ, lilia, leviſticum, ſmyrnion, laſerpitium, chamædryos folia, erantheмon, heliotropium, radix ligiſtici, baras, nictilepa, corallum ſtellatum, & quampluríma iam exſiccata ligna, in quibus lux ad oculos patet.

Tum in animalibus reperiri lucem, apparet in leone; inquit enim Ælianus *lib.* 12. A *animal. cap.* 8. *Animal illud valde eſt igneum, & ea eſt cauſa cur illud Ægyptij Vulcano conſecrarunt: exteriorem ignem fugit propter magnam copiam interioris.* De equo idem refertur. Scaliger *exercit.* 174. inquit: *Equum ad cataphracti uſum è Calabria candidum habuimus: is in tenebris ubi ſtrigili fricaretur, ſcintillas ejaculare videbatur.* Rhodiginus *lib.* 5. *cap.* 5. tenet equos ore flammas evomuiſſe. Bovem luciditatem habere tenet Julius Obſequens, dicens: *Ad forum Æſii bovem flamma ex ipſius ore nata non* B *læſit.* Lupus lucem continet. Phileſ. *in proportione animal.* inquit: *Eſt acie oculorum prævalens, luce fruitur, ceu noctua atra noctis in caligine.* Idem referunt de cane, & præcipuè de vulpe cecinit Ouidius *lib.* 5. *faſt.* Geſnerus de fele idem narrat, & quod præter oculos ſcintillantes etiam pilum ſcintillantem habet, quod idem contingit in muribus.

Tum etiam in ſerpentibus reperitur lux. Quintus Curtius *de geſtis Alexandri cap.* 9. In Indiæ interioribus tenet repertos fuiſſe C ſerpentes, quibus erat magna lux, ſquamis ad fulgorem auri relucentibus. Author hiſtoriæ Mexicanæ *cap.* 58. meminit colubri ab Ignala provincia miſſi, qui nocturnis ſplendebat horis. Stelliones lucent ſimiliter. Vipera dicitur habere oculos luminoſos. Crocodillus inter lucentes annumeratur ſerpentes, de quo inquit Horus, quod inter omnia animalia oculos habet ex profundis relucentes. Præterea lucem inter inſecta reperiri conſtat, præcipuè ex quatuor horum ſunt duo cum alis, D duo ſine alis, quæ dicuntur noctilucæ, ſeu cycondelæ, & lampyrides; quia inſtar ignis fulgent. Lucentia quæ in terra degunt, alia in ſola cauda lucent, alia in cauda, & capite emittunt ſplendorem. Lucentia, quæ volant, minora ſunt, ut muſcæ: quæ ſunt grandiora, ſcarabeis aſſimilantur. Præterea inter aves lucentes annumerantur à Geſnero garruli Bohemici: à Plinio penna pavonis: apud Mexicanos quetzaltotl, pſittacus, aquila, galerita, gallus avis. Sic & inter piſces varii annu- E merantur lucentes.

Tum latiùs inter lucentia mixta proſequitur Bartholinus hominis lucentes partes, de quibus variam proſequitur enarrationem: Ergo patet ex dictis in omni mixtorum genere reperiri lucem.

Probatur ratione. Sic ſe habet forma mixta prout virtualiter eminenter continet formam ignis, ad producendam lucem & alias ſecundas qualitates ignis in partibus igneis mixti, ſicut ſe habet ad producen-

das

das primas ignis qualitates, ad quas de- A terminatur per partes materiales igneas, quia omnium earum eadem eſt ratio: Sed ut demonſtravimus *tom.1. reſol. medic. ſect. de remanentia partium elementor. in mixto*, forma quælibet mixta in partibus materialibus igneis producit illius qualitates, prout partitur à partibus vicinis reliquorum elementorum: Ergo in eiſdem producet ignis lucem, quatenus premitur à materiis reliquorum elementorum.

Probatur tertiò à poſteriori ex Thoma Bartholino *lib. 2. de luce brutorum, in hiſtor.* B *carnis lucentis, & in lib. hiſtor. anatomic. hiſtor. 12.* in quibus docet, quod anno 1641. circa veris initium Monſpelii contigit mulieri quæ carnem emerat pro ſequenti die, quod media nocte viſa fuerit ab illa lucens, & totum cubiculum illuminans: quod & viderunt ſequenti die vicinorum magna pars: & eodem tempore narrat idem contigiſſe in macello in carnibus bubulis & ouillis. Cujus cauſam reddiderunt Medici, eamque in novam carnis putredinem reduxerunt, tanquam in cauſam C occaſionalem; verum tamen lucis principium in cauſam materialem, quia herbæ fuerant commixtæ calidorum animantium permixtioni. Anno 1592. ſimiles carnes lucentes viſæ fuerant à pluribus Patavij.

Ex quibus obſervationibus demonſtratur, quod in illis mixtis lux quæ erat obſcura, & imperceptibilis dum vera manebat mixtio animalium & carnium, poſtquam per putredinem partes carnis calidiores, & humidiores factæ ſunt, & igneæ partes minùs impeditæ, ut in illis forma D mixta producat lucem debitam ignis formæ, ab illa emiſſa fuit lux, quam priùs impedita per mixtionem producere non poterat; potuit tamen, dum diſſoluta mixtione, non erat impedita.

§. IV.

Solvuntur argumenta primò poſita.

AD primum reſpondetur, quod licèt mixtum non ſit perſpicuum abſolutè, tamen eſt perſpicuum, & lucidum ſe- E cundùm quid, & ut impeditum per partes opacas: ſi autem impedimentum opacitatis auferatur in aliquibus partibus, tunc intenditur lux, ut apparet in exemplis adductis id comprobantibus. Contingit ſimiliter in primis qualitatibus; nam dum calor igneus eſt remiſſus & impeditus à ſuo contrario, non producit formam ignis; ſi verò contingat non impediri formam, ut illam producat in partibus ig-

neis, reſultat intenſiſſimus calor, ut apparet in hecticis.

Ad ſecundum reſpondetur, quod Bartholinus aliquas proponit cauſas *lib. 3. de luce animal. cap. 9.* quas refutat. Nos dicimus, quod à forma mixta continente virtualiter eminenter ignem, dum non impeditur ab opaciorum elementorum partibus, & ab igneis partibus determinatur ad lucem producendam, iuxta partes ſic aptas pro luce producit illam.

Ad tertium reſpondetur, quod forma mixta, quatenus virtualiter continet formas elementorum, habet pro fine illas producere; & quatenus continet formam ignis, producere & primas, & reliquas eius qualitates, tanquam proprietates illius formæ, quam virtualiter continet.

RESOLVTIO VI.

Utrum bruta habeant ſuas loquutiones.

§. I.

Ratio dubitandi proponitur, & pars affirmatiua.

QUod bruta ſuas habeant voces, patet; nam ut inquit Simonus *tract. 33.* equus cum equo hinnit, elephas cum elephante barrit, vulpes cum vulpe gannit, canis cum cane latrat, catulus cum catulo glaucitat, lupus cum lupo ululat, bos cum bove mugit, ſus cum ſue grunnit, ovis cum ove balat, leo cum leone rugit, lepus cum lepore vagit, corvus cum corvo crocitat, anſer cum anſere gingrit, paſſer cum paſſere pipillat, gallus cum gallo cucurit, gallina cum gallina gracillat, turtur cum turture gemit, ſuaſque ſonare voces faciunt, diverſo modo in magnitudine, parvitate, tenuitate, gravitate. Ex iis inquiritur, an ſolas voces edere dicantur, an ſimul per illas ſuas dicantur habere loquutiones.

Prima opinio fuit Ciceronis *in Arato*, & aliquorum ethnicorum, ac hæreticorum, qui brutis tribuunt ſuas ratiocinationes, illarum expreſſiones, ſimul & loquutiones.

Primò hæretici id intendunt ſuadere, ut tenet Torreblanca, ex Daniele *cap. 4. verſic. 29. Sub terram habitabunt animalia, & beſtiæ: in ramis ejus converſabuntur volucres cæli.* Sed converſario eſt per loquutiones: Ergo aves habent proprias loquutiones.

Tum ſecundò: Porphyrius & Phylo-

ſtratus affirmant Apollonium Thyanæum, A & Melampum cognoviſſe quid bruta, & aves inter ſe loquerentur, Helenus, ut tenet Virgilius, per avium loquutiones cognovit, illas ſimiles invitaſſe, ut irent ad frumentum comedendum, quod in via fuerat diſperſum. Ergo per proprias loquutiones.

Secundò Plato, Empedocles, & alii Ethnici in ea fuerunt opinione, ut aliquid ratiocinii fuiſſet, licèt imperfectum, in aliquibus animantibus, quorum ſolertia, ut in elephante, & aliis, non vide- B tur poſſe conſequi aliquas operationes ſine aliquo diſcurſu: Ergo cum illo ſuas valent conſequi loquutiones.

Tertiò bruta loquuntur loquelam hominum, ut hyæna, merula, turdus, pſittacus, pica, & alia: Ergo potiùs ſuas valebunt edere loquutiones, cùm ſit difficiliùs extraneas, quàm proprias edere.

Quartò: Natura non redundat in ſuperfluis: Sed cunctis brutis, & avibus dedit proprias voces: Ergo ut per illas formarent proprias loquutiones. Probatur ex C dictis cum Sitono; quod & latiùs proſequitur Author incognitus per ſubſequentes verſus.

Dulcis amica veni noctis ſolatia præſtans:
Inter aves etenim nulla tibi ſimilis.
Tu PHILOMELA *potes vocum diſcrimina mille,*
Mille potes varios ipſa referre modos.
Inſuper eſt avium ſpatiis garrire diurnis:
Tu cantare ſimul noctu, diuque potes.
PARUS *enim quamvis per noctem tinnitet omnem;* D
At ſua vox nulli jure placere poteſt.
Dulce PALARA *ſonat, quam dicunt nomine* DROSTAM;
Sed fugiente die, nocte quieta ſilet.
Et MERULUS *modulans tam pulchris concinit odis;*
Nocte ruente tamen carmina nulla canit.
Vere calente novos componit ACREDULA *cantus,*
Matatinali tempore tunc mutitans.
Dum TURDUS *trucilat,* STURNUS *tunc piſſitat ore;* E
Sed quod mane canunt, veſpere non recolunt.
Cacabat hinc Perdix: hinc gracitat improbus ANSER,
Et caſtus TURTUR, *atque* COLUMBA *gemant.*
Plauſitat arborea clamans de fronde PALUMBUS,
In fluviiſque natans fortè tetrinit ANAS.
Grus grait, hincque comis CYGNUS *prope flumina drenſat:*
ACCIPER *pippat,* MILVUS *hianſque lippit.*
Cucurire ſolet GALLUS, GALLINA *gracillat.*
Papillat PAVO: *trinſat* HIRUNDO *vaga.*
Dum clangunt AQUILÆ: VULTUR *pulpare probatur:*
Et crocitat CORVUS: GRACULUS *aſt frigolat.*
Gloterat immenſo de turre CICONIA *roſtro:*
Peſſimus at PASSER *triſtia flendo pipit.*
PSITTACUS *humanas depromit voce loquelas,*
Atque ſuo domino ſalve, valeque ſonat.
PICA *loquax varias modulatur guttare voces,*
Scurrilis ſtrepitu quidquid & audit, ait:
Et CUCULI *cuculant, fritinnit rauca* CICADA:
Bombilat ore legens munera mellis APES.
Bubulat horrendum ferali carmine BUBO,
Humano generi triſtitia facta ferens.
STRIX *nocturna ſonans, &* VESPERTILIO *ſtridunt:*
NOCTUA *lucifuga concubat in tenebris.*
Aſt ululant ULULÆ *lugubri voce canentes.*
Inque paludiferis BUTIO *bubit aquis.*
REGULUS, *atque* MEROPS, *& rubro pectore* PROGNE,
Conſimili modulo zinzilulare ſciant.
Scribere me voces avium PHILOMELA *coëgit,*
Quæ cantu cunctas exſuperat volucres.
Sed jam quadrupedum fari diſcrimina vocum,
Nemine cogente, nunc ego ſponte ſequar.
TYGRIDES *indomitæ raucant, rugiuntque* LEONES:
PANTHERA *caurit amans,* PARDUS *hiando felit.*
Dum LYNCES *orcando fremunt,* URSUS *feras uncat:*
At LUPUS *ipſe ululat, frendet agreſtis* APER.
Et BARRUS *barrit,* CERUI *glocitant &* ONACRI:
Aſt TAURUS *magit, & celer hinnit* EQUUS
Quirritat VERRES, TARDUS *rudit, uncat* ASELLUS:
Blaterat hinc ARIES, *& pia balat* OVIS.
Sordida SUS *paſcens ruris per gramina grunnit:*
At mutire capris HIRCE *petulce ſoles.*
Ritè CANIS *latrat; fallax* VULPECULA *gannit:*
Glaucitat & CATULUS, *at* LEPORES *vagiunt.*
MUS *avidus mutiat, velox* MUSTELAQUE *drintrit:*
Et GRILLUS *grillat, criſſicat inde* SOREX.

Ecce

Ecce venenoſus ſerpendo ſibilat ANGUIS:
Garrula limoſis RANA *coaxat aquis*
Has volucrum voces deſcripſi, quadrupedumque,
Quas natura illis grata parens tribuit.
Sed cunctas ſpectet animantium nemo notavit,
Atque ſonos ideo dicere quis poterit?
Cuncta ſuo Domino depromunt munera laudum,
Seu ſemper ſileant, ſive ſonare queant.

§. II.

Loquelam brutis denegavit natura.

RESolvendum, quod licèt brutis grata natura conceſſit voces, loquelam tamen illis denegavit, ſolùm homini eam tribuens. Sic D. Thomas 1. 2. *quaeſt.* 13. *art.* 3. Sic tenent Torreblanca, Areyes, Martinus Delrio, & eſt communis.

Probatur ex differentia, quæ datur inter vocem, & loquelam: eſt enim vox ſonus animalis, ex percuſſione reſpirati aëris ab anima ad arteriam cum aliqua imaginatione, ſive dependeat à voluntate, ſive ab inſtinctu, ſine diſcurſu. Loquutio verò eſt vocum prolatio diſcurſum proferens. Ex quibns patet Reſolutio: hæreticum enim eſt tribuere judicium, ſeu diſcurſum reliquis animantibus præter hominem, ut probant Torreblanca *de jure ſpirituali, lib.*4. *cap.*6. ex D. Thom. 1. 2. *quaeſt.* 13. *art.*3. ex Libavio *de contemplatione intellect. cap.* 2. Medices *in ſumma hareſum, p.* 3. Ægidio *lib.*2. *de vlt. fine, quaeſt.* 4. *art.*3. Martino Delrio *lib.* 2. *Magic. quaeſt.* 20. Perez *in Laurea Salmanticenſi, certam.* 7, *cap.* 2. *&* 3. Ergo in ſolo homine poteſt reperiri loquutio.

Probatur ſecundò: Homo licèt aptus naſcatur ad loquendum, non habet id à natura, ſed diſcit uſu & arte voces, per quas exprimat ſuos conceptus: Ergo multò minùs debnit dari propria loquela brutis. Patet antecedens, quia in quacumque natione reperiatur homo, diſcit illius voces, per quas exprimat ſnos conceptus; & ſi ex ſe illas haberet, per illas ſe primò explicaret, ut probat Aquapendens *lib. de brutorum loquela.*

Probatur tertiò, quod bruta non habeant à natura proprias voces, ſed illas à parentibus imitantur majori ex parte; ſi enim creentur in conſortio aliarum avium, illarum voces, & ſonos imitantur, quas didicerunt ab avibus, in quarum conſortio commorantur.

Probatur quartò, quod licèt aves haberent proprias voces, non haberent pro-
A prias loquutiones; quia ut probavimus, loquutio eſt explicatio conceptuum, & diſcurſus, qui ſoli homini competit, & eſt erroneum illam tribuere brutis: Ergo etſi illi adaptentur voces, nequit tamen adaptari diſcurſus.

§. III.

Solvuntur argumenta contrariorum.

AD primum reſpondetur, quod duplex eſt conuerſatio; alia propria,
B per quam conferuntur conceptus & diſcurſus per veram loquelam, quæ reperitur inter homines; alia eſt methaphoricè ſic dicta, per quam mutuò inter ſe apparent complacere bruta per voces illis aſſuetas.

Ad ſecundum reſpondetur, quod Ethnici credentes Magicis, qui à dæmone aliqua recipientes, ſuadere conabantur illa à brutis intellexiſſe, conati ſunt reliquis ſuadere illa figmenta, quæ forſan illi crediderunt.

C Ad tertium reſpondetur, quod aliqui Ethnicorum non diſtinguentes aliquorum brutorum ſolertiam ab hominnm diſcurſu, cum errore invincibili brutis tribuebant diſcurſum, & intellectum, qui ſolius animæ rationalis eſt propria paſſio.

Ad quartum reſpondetur, quod bruta non loquuntur, quia non exprimunt proprios diſcurſus, ſed proferunt verba quæ retinent in memoria, ab hominibus illis commendata: & ſicut ſcripta, quæ diſcurſus continent, non loquuntur; ita nec bru-
D ta, quæ non proprios, ſed alienos diſcurſus loquuntur, ſine eo quod illos proprios valeant efficere, ſicut Tragœdi valent.

Ad quintum reſpondetur, quod valuit natura brutis tribuere voces, ad quas proferendas habebant propria organa; non loquelam; ad qnam præter organa requirebatur diſcurſus & intellectus, qui non poteſt dari, niſi in homine.

E
RESOLVTIO VII.

Utrum ira ſit affectus curabilis.

§. I.

Ira traditur notio, & ponitur pars negatiua.

DE ira alibi plura diximus: D. Thomas tenet, qnod eſt ſanguinis effervescentia circa cor: Ethnici, quod eſt appetitus vindictæ pro iniuria illata: Medici, quod eſt appetitus ulciſcendi excitatus

ab imaginatione rem aliquam offerente ſub rationc iniuriæ illatæ, ſecum invehens fervorem, atque vehementem motum animæ iraſcibilis in corde poſitæ.

Partes affectæ ſunt in homine, in anima rationali imaginatio injuriæ illatæ: in concupiſcibili cupiditas ulciſcendi: in iraſcibili fervor caloris. Dividi ſolet per quatuor gradus: per duos præcipuè attenditur, vel ut eſt intra prudentiæ terminos, vel prout abiit in furorem. Hanc quammaximè demonſtrant rixa, agitatio, furia, maledicentia, blaſphemia, minæ, percuſſiones, convitia, corrupta viſio, oculi ardentes, labri inferioris laxatio, tremor manuum; & genuum, inflammatio totius corporis, & epilepſia, tandem bilioſus vomitus, ad quem proximè ſolet mors ſubſequi.

Cauſa externa eſt quæ intulit injuriam animo, corpori, aut fortunæ per dicta; vel animo, corpori, aut fortunæ per ſcripta; vel animo, corpori, aut fortunæ per facta. Coadjuvant temperatura calida, & ſicca, corporis habitus extenuatus, animus imbecillus, aduſta bilis, vigiliæ, calida victus ratio, regio, & conſtitutio calida, & ſicca, per quas iraſcibilis & concupiſcibilis in furorem abeunt: de quo incipiente præcipuè inquirimus, an comprimi, aut curari valeat.

Videtur, quod non, ex Galeno *lib. de cognoſcendis, & curandis animæ morbis*, ubi de eo, cum quo iter faciebat, narrat quod iratus non potuit cohiberi, quominùs ſervos percuſſerit, enſe caput vulneraret, & alia furoris exerceret opera, ſine eo quod ab ipſo, & aliis valuerit coërceri: ideo Philon dicebat, *Se tenere in ira difficile eſt:* & Euripides, quod *nemo iratus quidquam rectè deliberat.* Ratio eſt, quia ut inquit Galenus *lib. 1. de differ. febr. Ira eſt motus vehemens iraſcibilis facultatis:* & in tale præcipitium devenit, ut ex fervore bilis abeat in furorem, & ſæpe terminetur per mortem repentinam: in ea enim, ut cecinit Ovidius *lib. 3. de arte amandi:*

Ora tument ira, nigreſcunt ſanguine venæ,
Lumina Gorgoneo ſæviùs angue micant.

Seneca *lib. 2. de ira, cap. 36.* inquit: *Nulla celerior ad inſaniam via eſt. Ajacem in mortem egit furor, in furiam ira.*

Secundò ſunt qui ira perciti, nullis adjuti auxiliis repentè obierunt, vel alios occiderunt: Ergo quia nullis valet auxiliis cohiberi.

Probatur antecedens à Galeno ex ſervo barbaro, qui ira commotus ſe extinxit cohibitâ reſpiratione: & ex eodem Galeno *lib. de cognoſcendis & curandis morbis animæ*, ubi de eo, cum quo iter faciebat, narrat quod iratus nequivit cohiberi, quo minùs ſervos enſe vulneraret. Et Zacutus *lib. 2. de Medic. PP. hiſt. hiſtoria 13. obſervat. 3.* obſervat aliquos, qui ira perciti ſibi ipſis mortem intulerunt. Quercetanus inter hos annumerat Imperatorem, qui impotens iram retinere, contra quendam dictum Regulum excandeſcens, mortem ſuſtinuit. Sic Valentinus fremens in Sarmatas irâ, ſanguine erumpente obiit. Nec aliter obiit Venceſlaus Rex Bohemiæ, bile commotâ ad extra. Alexander Magnus in ira cohiberi nequivit, quominus tres interfecerit aulicos. Maximinus Imperator, Gordiano Imperatore creato, ex ira extinctus fuit: Ergo quia eſt paſſio incapax curationis.

Tertiò: ex ira ſubſequuntur varii, & lethales morbi, ac incurabiles; ſepè ergo quia ipſa eſt incurabilis. Patet ex Quercetano *in Diæteticone, cap. 6.* ab ira enim nihil non impium, crudele, ac truculentum fit: irati omni charitate ſpoliantur; inde prouenit impietas, & crudelitas, impatientia, inconſtantia, ac ferocitas, furioſa bilis commotio, ſpirituum agitatio, bilis accenſio: ex illa ardentes, & malignæ febres, pleuritides, cholera morbus, & innumeri bilioſi morbi procedunt.

§. II.

Varij admittuntur modi curationis in ira.

Reſolvendum quod ſunt varii modi curationis pro ira, juxta varios eius gradus, & cauſas.

Probatur primò de ira, dum non progreditur ultra proprios à natura deſtinatos terminos; dum enim ſic coërcetur, ſolâ prudentiâ curatur, & continetur ne in iracundiam abeat: & ut ſic eſt utilis homini ad facta ardua, requiſita ad ſui conſervationem, in quem finem eſt illi tributa à natura: & ſicut amor eſt paſſio hominis ad proſequutionem boni, ita ira ad expulſionem malorum: Ergo dum intra limites naturæ continetur, & coërcetur, ſolâ prudentiâ indiget, quâ corrigatur: de qua Plutarchus, & Seneca plures referunt, qui ob illam præclari fuerunt judicati, inter quos referuntur Socrates, Plato, Ariſtippus, Antigonus, & Philippus Rex Macedoniæ, Nicanor, & alij.

Probatur ſecundò dum ira abiit in furorem, quia jam non ſolùm irritat objectum iraſcibile, ſed fit fervor ſanguinis circa cor, ex quo duæ relucent actiones, excandeſ-

candeſcentia iraſcibilis in corde, & depravatio æſtimativæ in cerebro laceſſitæ ab acti, & mordaci exhalatione, ratione cujus curatio indicatur, quæ ſumitur à cauſa, ſive præſenti, ſive futura, ſive remota. Ratione hujus indicationis, ſi cauſa eſt proximè illata injuria, & poteſt auferri commodè per moralem Philoſophiam, curatio quatuor tentanda eſt modis. Tum primò quoad furentes expedit de medio tollere eos qui irritationis ſunt cauſa, donec irati ſeipſos, illis ablatis, colligant, & animus attemperetur. Tum ſecundò conſulendo iratis ut vindictam differant in aliud tempus, ut ardor vehementer commouens attemperetur, & fiat rationis compos. Tum ut iratus ſedeat, ut ſpiritus quieti amittant ardorem, & mitigetur furor, qui fovetur ab illo. Tum ſi poſſit, animus diuertatur ad aliud objectum. Anthenodorus conſulebat Auguſto, ne quid cum ira determinaret, aut loqueretur antequam quatuor, & viginti literas priùs percurreret: ideo inquit Statius 5. *Theb.*

—— Ne frana animo permitte calenti:
Da ſpatium, tenuemque moram: malè cuncta miniſtrat
Impetus.

Item conſulebat Baptiſta Perſona *in noctibus ſolitariis, colloq.* 20.

Ira furor brevis eſt, animum rege, qui niſi paret,
Imperat: hunc frænis, hunc tu compeſce catenâ.

Probatur ſecundò: Iræ furor provenit ab efferveſcente ſanguine: Sed ſanguinis fervor poteſt curatione emendari: Ergo poteſt ira curari. Probatur minor. Tum quia poteſt corrigi ab aëre frigido, & humido contemperante bilem. Tum per uſum aliorum attemperantium, per quietem, per balneum aquæ dulcis, per multum ſomnum, per juſcula attemperantia, per cremoris ptiſanæ uſum, vel herbarum refrigerantium, lactucam, ſpinachiam, portulacam, vel piſcium ſaxatilium eſum, vel fructuum frigidorum, quales ſunt cucurbitæ, cucumeres, punica mala, ſuccus aranciorum, limonum, aquæ hordei, ſantal. rubrorum, cichorii.

Probatur tertiò, quod evacuatio bilis ferventis indicetur; ſi enim eſt commixta ſanguini, per phlebotomiam evacuari debet, quæ maximam attemperandi vim habet: ſi ſeparata, & cacochyma ſit, per purgationem ſelectivam bilis educenda.

Probatur quartò, quod prophilautica, ſeu præſervativa curatio maximè conferat pro ira; quæ variis Philoſophorum completur præceptis; qui de moribus compeſcendis agunt. Tum matutinis horis præmeditando quæ honeſtè debeant fieri per diem; & noctu recolendo quæ minùs cautè per diem, & cum aliqua ira fuerunt facta. Tum continuò revocandum in memoriam, quod ita operandum, ut mereamur inter egregios annumerari. Tum ut rectè, ac placidè admittamus eos, qui noſtra errata nobis advertant. Tum quod difformitatem attendamus eorum, qui ira perciti in furorem abeunt. Tum legendæ variæ hiſtoriæ eorum, qui ab ira irritati maxima ſcelera exercuiſſe dicuntur: & quantam reliquerint laudem, qui in illa contemperati fuere.

Probatur quintò ex Spagyricis, qui aliqua proponunt præcautoria auxilia, ne ira abeat in furorem. Tum primò prodeſt decoctum anagallydis flore purpureo, vel decoctum ſummitatum hyperici, & pulveres antilyſſi. Tum confert ſerum lactis cum floribus nymphææ. Tum ℞. ſummitatum borrag. bugloſſæ, ana m. iiij. poma curtipendula iij. ſalis prunellæ ʒ. j. ſacchar. ℥. ß. affunde in aquæ fontis ℔. iiij. fiat expreſſio, & capiat ter in die ad ℔. ß.

Resolutio VIII.

Utrum vinum nutriat.

§. I.

Proponitur quid vinum, ejus utilitates, & noxa.

IN ſolarium ſitis nobis fuit datus potus, alius cunctis animalibus communis, qui aqua dicitur; alius pro hominibus coaptatus, qui vocatur vinum. Eſt hic potus valens inebriare, & ex variis fit ſuccis: communiſſimum eſt, quod fit ex ſuccis uvarum, de quo præcipuè inquirimus, an valeat nutrire noſtra corpora? A ſummo Dictatore Hippocrate recepit Dogmaticorum Schola, quod vinum nutrit. Sic ſine dubitatione ſanciverunt Principes Medicinæ. Sed inter Juniores claſſicos Mercurialis *in Piſanis prælectionibus, tract. de vino, & aqua*, receſſit ab hac doctrina, contra quem Ludouicus Nonius *lib.* 4. *de re cibaria, cap.* 8. antiquam conatur reintegrare doctrinam. Supponit Nonius ex Hippocrate *lib. de alimento*, quod alimentum eſt triplex: aut quod jam partibus affigitur,

affigitur, vel quod paratum eſt affigi & aſſimilari; vel quod paratum eſt nutrire, ut ſanguis: eſt enim aut futurum alimentum, aut proximè alens, aut jam loco deperditi commutatum in ſubſtantiam aliti.

Mercurialis vinum tenet nullam ſortiri alimenti ſortem, ſed ſolius potus ſortiri rationem, deſervireque tantùm, ut in illo fiant elixationes ciborum, ſicut & aqua, & ut illud deſerviat pro illorum vehiculo in partes nutriendas, quod contendit ſuadere. Tum primò, quia ſi vinum valeret nutrire, cum uſu illius poſſent homines diu vivere ſine alio cibo, ſicut apparet cum ſolo lacte & infantes per plures menſes, & plures gentes vixiſſe per plures annos: Sed nulla gens viſa eſt ſolo vino vixiſſe diu: Ergo quia non eſt alimentum. Tum ſecundò obſtat Galenus, qui *lib. de facult. naturalib.* aperit qualiter nutriantur omnia viventia, & quæ pro illis apta ſint alimenta; nullam tamen refert vini alimenti ſortem: Ergo quia nullam in illo alimenti vim invenit. Tum tertiò, quod nutrit, debet eſſe craſſum, lentum, & viſcidum, ut ſolidas partes valeat reſtaurare, ut patet ex Galeno *lib. 7. methodi, c. 6.* vinum autem eſt fluidum, tenuis ſubſtantiæ, & incapax, ut partes ejus poſſint ſubſtitui pro partibus craſſis, & durioribus noſtri corporis: Ergo eſt incapax ad nutriendum.

§. II.

Vinum eſſe noſtri corporis alimentum, ſtatuitur.

RESolvendum, quod vinum non ſolùm ut potus eſt vehiculum alimenti, ſed ſimul ut alimentum nos valet nutrire.

Probatur vetuſta hæc doctrina ex vetuſtioribus Medicinæ parentibus. Tum Hippocrates *lib. de alimento*, ſic protulit: *Lac alimentum quibuſdam, lac alimentum ſecundùm naturam, aliis autem non ita: quibuſdam vinum eſt alimentum, quibuſdam non eſt alimentum.* Et *lib. 2. aphor.* inquit: *Celerrimè univerſum vinum alit, tardiſſimè autem & paulatim caro bubula, & cochlea.* Et agens de temperamentis, dicit quod *vinum ut aſſimiletur, mutationem deſiderat minimam: quo fit, ut tam nutriat, tum roboret.* Tum Galenus *de alimentor. facult. cap. 39.* inquit: *Vinum quidem ex eorum eſſe numero, quæ noſtrum corpus alunt, omnes fatentur: nam ſi modò quod alit, nutrimentum eſt, vinum etiam in genere alimentorum eſt ponendum: quidam tamen Medici negant id alimentum eſſe appellandum; quòd potus in ſermone quotidiano alimento ſit oppoſitus, velut alimentum, & cibus, & eſca, & edulium dicitur; ob eamque cauſam vinum nolunt vocare alimentum, quamquam alere ipſum non diffiteantur.* Et infrà ſuperaddit: *Vinorum omnium rubra ſimul, & craſſa ſanguini gignendo eſſe accommodatiſſima, ut quæ minimâ egeant mutatione ut in ſanguinem convertantur.* Tum Celſus *lib. 11. cap. 18.* inquit: *Ex potionibus verò quæcumque ex frumento facta eſt, itemque lac, mulſum, defrutum, paſſum, vinum aut dulce, aut vehemens, aut muſtum, aut magnæ vetuſtatis, vehementiſſimi generis eſt.* Sic fatentur reliqui Principes Medicinæ.

Probatur ratione. Omne mixtum aptum concoqui à noſtro calore, eſt aptum tranſmutari in ſubſtantiam aliti per repoſitionem ſuarum partium materialium in ſimiles, quæ deperduntur per reſolutionem, niſi ut venenoſum, aut excrementitium repugnet aſſimilationi: ſed vinum ſecundùm plurimas ſui partes eſt aptum concoqui, & nullam habet vim venenoſam coctioni repugnantem: Ergo poteſt converti in noſtram ſubſtantiam, tanquam ejus alimentum. Patet quod ſit concoctibile, cùm ſit mixtum non reſiſtens coctioni.

Probatur tertiò: Nam alibi nos probavimus, quod aqua licèt non poſſit nutrire adæquatè, quia non habet partes correſpondentes omnium elementorum virtutibus; poteſt tamen nutrire inadæquatè, propter repoſitionem partium aquearum: ſed vinum eſt adæquatum mixtum, ut patet ex dictis *tom. 1. diſput. 2.* Ergo aptum adæquatè nutrire omnes partes mixtas viventis.

§. III.

Solvuntur fundamenta à Mercuriali adducta.

AD argumenta patet cum Nonio. Tum primò, quod nulla experientia docet, ſolos piſces, aut plures ex herbis, aut fructibus per totam vitam victum integrè hominibus præſtare: ex quo non ſequitur, quod non nutriant, nec dicantur alimentum; ſed quod ut aliquid dicatur alimentum, ſufficiat quod ſimul cum aliis poſſit per totam vitam nutrire, licèt ſe ſolo nequeat omne præſtare alimentum pro tota vita. Tum pro ſecundo, quod Galenus refert alimenta communia ſolùm ad alendum deſtinata, & aptiora pro integra nutritione; ideo non ponit inter

illa

illa vinum, quod potiùs pro potu ſumitur, & in illum fuit maximè à natura deſtinatum. Tum pro tertio, quod id quod complete nutrit, & diu omnes corporis partes valet reſarcire, & permanenter conſervare, debet eſſe craſſum, & viſcidum, ut panis, caro, &c. Sed id quod non ut alimentum per ſe nutrit, ſed per modum potus ad ſitim extinguendam eſt deſtinatum, mediam petit conſiſtentiam inter craſſum alimentum, & proprium potum omni animali deſtinatum, quale eſt aqua.

Resolutio IX.

Utrum morbus Gallicus ſit ab Indis ad Europam tranſmiſſus.

§. I.

Morbi Gallici quid nominis, quid rei, & quæ ſint illius ſymptomata.

ANno 1494. apparuit in obſidione Neapolitana morbus quidam tum temporis incognitus, quem Hiſpani *Bubas* vocant, ſeu *Boas*, quia ſimilitudinem habet cum morbo *Boa* nominato à Plinio *lib.* 26. *cap.* 11. *lib* 24. c. 8. in quo papillæ per corpus oriuntur diſperſæ, & rubentes. Hic morbus primò incognitus, variis nominibus fuit inſignitus: ab aliquibus vocatus fuit morbus Indicus, quia communicabatur à militibus, & fœminis, quæ ab Indis in illam obſidionem venerunt: fuit dictus morbus Neapolitanus, quia apud Neapolim primò apparuit: fuit dictus morbus Hiſpanus, quia Hiſpani illum tranſmiſerunt: fuit dictus morbus Gallicus, quia Gallis maximè fuit communicatus, & ab illis diſperſus: fuit dictus lues Gallica, & lues venerea, quia per veneris uſum contrahitur: dictus eſt variola magna, quia fiunt in illo cutis excretiones ſimiles variolis: ſcabies venerea dictus eſt, quia ſcabiei ſit ſimilis puſtularum expulſio, ob venereum congreſſum: dictus eſt etiam Indica ſerpigo. Pua vocatur ab aliis, quia apud Indos ſic vocatur: Syphilis vocatur à Fracaſtorio. Communiter inter Scriptores prævalet nomen morbi Gallici.

De hoc variæ proponuntur diffinitiones, variaque referuntur ſymptomata. Adhærent ferè omnes doctiſſimo Ambroſio Paræo, qui in ſuo tractatu de morbo Gallico dilucidè utrumque proſequitur, dicens quod lues venerea eſt morbus contactu quidem, ſed eo præſertim qui per impurum concubitum fit, genitus, occultæ

A qualitatis particeps, ferè à pudendorum ulceribus initium ducens, inde capitis, cæterarumque partium externarum puſtulis ampliùs innoteſcens, viſcera denique, & partes internas inficiens cum capitis, ſcapularum, articulorum, aliarumque partium ſævis & nocturnis doloribus, ac cruciatibus. Temporis ſucceſſu nodos, tophoſque præduros, tandem & cariem oſſibus inſert, ipſa liquefaciens in tabem ſæpe circunjectis carnibus; aliarum verò partium ſubſtantiam pro ſua cujuſque conditione,
B corporum affectorum intemperie, & cachexia, cauſæ morbificæ inveteratione corrumpit, & labefactat: inde alii uno, alii utroque orbantur oculo alii; palpebris, alii propriæ faciei ſimilitudine, auditu, aut naſo, aut palato, aut genitale præſcinditur membrum: ſupervenit ſtranguria ex præcedente gonorrhœa, aut gangræna, ſimul & plurima lethalium accidentium ſeries. Ex quibus jam conſtat vera idea Gallici morbi, ut proſequuntur cum Paræo Sennertus, Varandæus, Mercatus, Fallopius,
C & reliqui Authores claſſici.

§. II.

Opinantium varia proponuntur placita.

PRima, & antiquior omnium opinio fuit, quod morbus Gallicus primò in Europa fuit cognitus & expertus anno 1494. in obſidione Neapolis, quo tempore ad illam pervenerunt Hiſpani milites redeuntes ab Indis. Sed ſic opinantes licèt conveniant in hoc, quod morbus Gallicus
D ſit morbus novus apud Europæos non priùs cognitus, differunt tamen in tradenda cauſa unde originem traxit, ut proſequitur Varandæus in ejus tractatu. Aſtrologi anno 1494. affirmant incepiſſe morbum Gallicum, nunquam antea expertum, communicatum à maligno influxu malevolorum aſtrorum; glorianturque ante ejus adventum cognoviſſe, & prædixiſſe hunc morbum, quem adhuc poſt tot annos ignorant. Alii potiùs tum temporis tenent ortum fuiſſe ab exhalationibus malignis, & peſti-
E lentibus, elevatis ex copia pluviarum, quæ tunc prævaluerunt, vel ex corruptione cadaverum. Alij ortum fuiſſe hunc morbum dicunt in illa obſidione ob vſum pravorum alimentorum, quibus uſi ſunt milites. Tandem communior opinio eſt, quod morbus Gallicus eſt morbus Indis endemius, ſicut Europæis ſcabies; & quod ab Hiſpanis, & eorum ſcortis, qui tunc temporis ab Indis ad Neapolis obſidionem pervenerunt, morbus fuit tranſmiſſus, &

in illa obſidione primò cognitus, expertus & communicatus.

Secunda opinio contendit, quod morbus Gallicus eſt morbus antiquus, per omnes regiones cognitus, & expertus; & quod non ſolùm valet per contagium communicari, ſed ſine omni contagio in qualibet regione oriri ex nimio coitu. Sic protulit doctiſſimus Valleſius *in lib. epidem. lib. 3. ſect. 3. comm. 22. & lib. 4.* cui adhærent Zacutus *lib. 1. de Medic. PP hiſt. quæſt.* 36. Sitonus *tract.* 18. *Miſcellan.* Nicolaus Maſſa *cap. 2. de morbo Gallico:* nec diſcedit Areyes *q.* 59. B Valleſius nullam reddidit ſui placiti rationem: illud comprobare contendit Zacutus, & Sitonus confirmare, quod non ſit morbus novus in Europa ab Indis noviter tranſmiſſus.

Primò Zacutus antiquum fuiſſe hunc morbum contendit, quia plurima illius accidentia viderunt, & obſervarunt antiqui ſine omni febre, ut oſſium corruptiones, denudationes, faucium ulcera dolorifica, vehementiſſimi dolores, gingivarum corroſiones, ulcera pudendorum, ut patet ex C Hippocrate *lib. 3. epidem. ſect. 3. lib. 5. epidem. lib. 2. de morb. num. 2. lib. 7. epidem. ſect.* 98. & comprobat ex Galeno *lib. 3. epidem. ſect. 3. lib. 4. meth. cap. 5. lib. 1. ſec. loc. cap.* 28. & Avicenna *lib. 2. canon. tract. 2. cap.* 532. aliique veteres Authores plura ſimilia referunt accidentia: Ergo quia hic morbus præfuit apud veteres.

Secundò Sitonus contendit probare hujus morbi antiquitatem, & quod non fuerit ab Hiſpanis tranſmiſſus ex Indis in obſidione Neapolitana. Tum primò, quia D omni tempore fuit commercium ab Indis ad Europam, & omni tempore potuit ante obſidionem dictam ad nos tranſferri. Tum ſecundò, quia licèt morbus Gallicus ſit contagioſus, potuit tamen ſine contagio primò oriri in Europa: ſic ſcabies, & variolæ, & febris maligna ſæpe ſine contagio oriuntur, licèt ſint morbi contagioſi. Tum tertiò, quia poſſunt cauſæ, à quibus apud Indos provenit morbus Gallicus, ſive ſit ſyderum influxus, ſive alimentorum pravitas, ſive humorum varia alteratio, aut E corruptio, etiam apud Europæos reperiri: Ergo & morbus Gallicus.

Tertiò intendit Zacutus confirmare Valleſii placitum, & quod morbus Gallicus ſine omni contagio fiat ex immoderato coitu. Tum primò, quia ex nimio coitu plures ſuperveniunt morbi, ut patet ex Galeno, Avicenna, & aliis: intemperatur enim cerebrum, minuitur ventriculi calor, & totius corporis, vitiantur coctiones, exſuperant cruditates, & ſuperveniunt varii morbi frigidi orti ex illis. Tum ſecundò ob nimium coitum coguntur ob acquiſitam debilitatem, qui illo utuntur, ut plurimo utantur cibo, & potu vini, ex quibus ex Hippocrate *lib. 3. epidem. ſect. 3. text.* 81. & 87. varii, ac lethales ſuperveniunt morbi, poteſtque & Gallicus ſupervenire. Tum tertiò *in hiſtoria generali plantarum*, narratur apud Indos ob nimium coitum plures incidere in ulcera putrida partium genitalium, & vehementiſſimos corporis dolores: Ergo quia ab illo, quia nimius, poteſt fieri morbus Gallicus.

§. III.

Morbi Gallici in Europa prima origo.

Reſolvendum primò, quod prima origo morbi Gallici in Europa fuit anno 1494. in obſidione Neapolitana, quo tempore ab Indis illum detulerunt Hiſpani, & ab illis & coinquinatis fœminis fuit communicatus. Sic atteſtantur Hiſtorici: ſic fatetur major pars Claſſicorum Medicorum, Pareus, Fallopius, Sennertus, Varandæus, Pereda, & eſt communis.

Probatur: Si quid obſtaret huic doctrinæ communiter receptæ, maximè quia morbus Gallicus poteſt ubique ſine omni contagio oriri ex nimio coitu, ut primus protulit doctiſſimus noſter Valleſ. *in lib. epidem.* & tenet Nicolaus Maſſa *cap. 2. de morb. Gallico*, Zacutus *lib. 1. de Med. PP. hiſt. quæſt.* 36. Sitonus *in ſuis Miſcellaneis, cap.* 38. Sed horum fundamenta nihil convincunt. Tum quia Valleſius contra communem doctrinam ſuum protulit placitum ſine ulla comprobante ratione. Tum quia ante Neapolis obſidionem, & contagium ab Indis communicatum, in omni regione fuerunt plures utentes nimio coitu, & nunquam apparuerunt morbi Gallici ſymptomata. Tum quia leviſſimum eſt fundamentum Zacuti aſſerentis, quod à nimio coitu poſſunt plures morbi provenire, in quorum enarratione eſt prolixus: Sed nulli eorum ſunt communia ſymptomata morbi Gallici, ut bene objicit Franciſcus Areyes. Tum quia morbi qui fiunt à nimio coitu, ſunt cruditates, incommodæ coctiones, & morbi frigidi: at ex Gallico morbo potiùs ulcera, oſſium corruptiones, puſtulæ & vehementiſſimi dolores oriuntur. Tum ſi quia à nimio coitu fiunt aliqui morbi, poſſet comprobare provenire morbum Gallicum ab eo, ſimili modo poſſet inferri fieri ex illo peſtem, elephantiaſim, & omnia morborum genera. Tum morbi qui fiunt

A fiunt ex nimio coïtu, curantur per inſtaurationem virium, nativi caloris reſtaurationem, cibi boni ſucci exhibitionem: at morbus Gallicus non niſi per propria alexipharmaca, lignum ſanctum, chinam, ſpartam pariliam, aut mercurium petit curari, quæ non adaptantur morbis ex nimio coïtu ortis. Tum quia nimium coïtum ſubſequuti morbi, ut tenet Nancelius *lib.* 7. Plato *in Cratylo*, Zacutus *lib.* 1. *q.* 36. ſunt quod fiat corpus laxius, frigidius, imbecillius, quod hominem ſpoliet uſu rationis, ſpiritus reſolvat, potentias labefactet, B & coctionis officinas proſternat: quæ nec in gallicatis relucere eſt neceſſe, nec ſuis remediis devinci. Tum quia ante Neapolis obſidionem anno 1494. nunquam expertum fuit, quod per contagium communicarentur ſymptomata quæ noſtris temporibus fiunt à morbo Gallico: Sed experta fuit immoderata venus: Ergo non provenit ab illa Gallica infectio.

Probatur ſecundò: Nec obſtat Sitoni fundamentum, ut Gallicus morbus nequeat eſſe morbus novus ab Indis nobis C communicatus; qui tenet, quod ſicut potuit apud Indos oriri ex tali aſtrorum poſitione, ciborum corruptione, temporum mutatione, aut aliis cauſis putredinis, ab eiſdem potuit in aliis regionibus, & apud noſtros produci ſine contagio, aut communicatione Indorum. Sed hæc ratio probaret, nullum poſſe dari morbum novum in aliqua regione, cujus contrarium probant Marcellus Donatus *lib.* 4. *de hiſtor. mirabili*, Hildandus *cent.* 2. *obſervat.* 69. D Ronſeus *epiſtola* 69. Schenkius *lib.* 6. *tract. de aliquot morbis novis*, quorum plures obſervationes protulit Franciſcus Areyes *quæſt.* 59. annumeranturque inter morbos novos ab aliis regionibus in alias miſſos.

Probatur tertiò contra Zacutum, qui contendit probare morbum Gallicum fuiſſe cognitum ab antiquis Medicinæ principibus; quia plures retulerunt morbos, qui ſolent ex morbo Gallico ſupervenire. Tum quia tota ſeries accidentium, quæ retulimus cum Paræo, & reliqui omnes experti ſunt poſteaquam contagium fuit commu- E nicatum Europæis, à nullo, ut manifeſtè omnibus patet, ſcribitur ante contagionem communicatam in obſidione Neapolitana: Ergo in illa cœpit nobis eſſe notus morbos novus. Tum accidentia alia ſunt communia pluribus morbis, alia aliquibus propria: unde licèt ex propriis & pathognomonicis inferatur præſentia determinati morbi, at ex communibus pro aliis etiam morbis, non poteſt inferri, quod ibi ſit morbus Gallicus. Tum quia licèt in febre peſtilente ſint plura ſymptomata morbi gallici, non inde infertur, quod quia illa apparuerint in peſte, ibi fuerit morbus Gallicus. Tum quia febris maligna habet propria ſigna febris ardentis, nec ideo eſſe ardentem judicamus ſine uſtivo calore; poteſt enim eſſe maligna, & ſine malignitate ardens: Ergo nec ex accidentibus ortis ex pravitate, acrimonia, aut uſtione humorum infertur, quod ſint accidentia morbi Gallici, qui nunquam ſine occulta qualitate ſua promit accidentia.

Probatur quartò contra Franciſcum Areyes, qui aſſentitur ad hoc, quod ex nimio coïtu poſſunt intemperari partes generantes ſemen, ita ut illud acquirat vim morboſam morbi gallici; quia ſicut rabies ſine contagio fit in homine, tarantulæ venenum viſum eſt ſine contagio oriri, malignitas, & peſtilens qualitas: ſic poteſt contagioſa qualitas & maligna morbi Gallici, corpore intemperato ex nimio coïtu produci in ſemine à partibus genitalibus, ſine contagio ingenerante illud.

Sed diſplicet hujuſmodi aſſenſus. Tum quia licèt aliqui morbi contagioſi poſſint oriri in aliquibus regionibus ob cœli influxum, ob regionis intemperies, ob illius prava alimenta, & ob alias cauſas illi regioni proprias; nequeunt tamen in aliis regionibus ſupervenire, niſi communicentur per contagium à reliquis regionibus, in quibus illæ cauſæ ſimul concurrunt, ut convincitur ex mentagra, quæ *lychenas* appellatur, quæ nunquam in Italia viſa, per contagium tamen fuit communicata, ut tenet Plinius *lib.* 16. *cap.* 1. Elephantiaſis in Ægypto communis non niſi contagio valuit in alias regiones transferri poſt ætatem Magni Pompeii. Scorbutus, ut Sennertus cum aliis tenet, proprius quibuſdam ſeptentrionalibus ob cœli, & regionis proprietates, non niſi contagione valuit in alias abire regiones. Sudor Britannicus apud Britannos, plica Polonica, & alii plures morbi ita unuſquiſque eſt proprius ſuæ regioni, ut in nulla alia experti fuerint antequam ſuo contagio fuerint communicati: Ergo cùm ſupra poſita accidentia Gallici morbi non fuerint apud noſtros experta ante ejus adventum ab Indis, quibus eſt endemius, tenendum quod ex ſola illa contagione fuit nobis communicatus. Tum apud Indos plures ſunt plantæ, & arbores ac animalia, quæ nequit procreare Europa, niſi ab illis regionibus propagentur ad illam: Ergo poteſt Gallicus morbus illi endemius non produci à noſtris, niſi ab Indis

propagatus. Tum ex nimio coïtu in partibus generationi dicatis ſola acquiritur debilitas ad ſanguinem, ex quo fit ſemen, retinendum, aut concoquendum, ex qua provenit quod ſemen non fiat, aut fiat invalidum generationi: ex quibus non ſequitur contagioſa qualitas morbi Gallici. Tum ſunt qni partes generationi dicatas habent debiles, & ineptas pro naturali ſemine generando: Sed ab iis non dicitur provenire morbum Gallicum: Ergo nec ab illis qui ex nimio coïtu debilitantur. Tum apud Indos aſtrorum illius regionis influxus, prava victus ratio, propria temperies regionis, & alia innumera, quæ noſtro hæmiſphærio non ſunt communia, concurrunt ut morbus Gallicus oriatur, & ſit illis endemins: Ergo ſolus incommodus vſus in nimio coïtu nequit omnes illas ſupplere cauſas. Tum ſunt animalia, & aves in Europa notatæ ab Authoribus, quæ nimio vtuntur coïtu: Ergo inter hæc viventia progenita fuiſſet lues Gallica, & eius contagioſa virtus, per quam infecta perirent. Tum provida natura Indis, in quorum regione morbus Gallicus futurus erat communis ob cœli proprietatem, dedit propria illius alexipharmaca, quibus & nos utimur pro illius curatione: Ergo ſi nobis eſſet communiſſima cauſa ad illum, qualis eſt nimius veneris uſus, improvida appareret natura, cùm illa nobis denegaſſet. Tum ex contactu cum Gallicis ſtatim contrahitur morbus Gallicus, & apparent ejus accidentia, ſine ullo contagio. In nimio coïtu utentibus in ſola opinione conſiſtit, an tali morbo lædantur, an ab eo aliter acquiſito: Ergo ex ſolo contagio non poſſe communicari tenendum.

§. IV.

Ad fundamenta contrariorum reſpondetur.

TUm pro primo, quod ex nimio coïtu plnres ſuperveniunt morbi, ſed diſtincti à ſyndrome eorum quæ fiunt à morbo Gallico, & ſine contagione, qualis reperitur ſemper in omni morbo Gallico. Tum pro ſecundo, quod uſus nimius cibi & potus creant diverſos morbos, ut patet ex Hippocratis hiſtoriis; nunquam tamen morbum Gallicum, aliàs etiam ſine coïtu fieret in eis qui nimis indulgent cibo, & vini potui. Tum pro tertio, quod ex hiſtoria plantarum ſolùm colligitur, quod in India omnes ſint inter ſe, aut à parentibus coinquinati morbo Gallico, qui ſi non relucebat ante nimium coïtum, in illo excitatur lues Gallioa, quæ erat contracta, ſicut morbilli, & variolæ contractæ ex principiis generationis excitantur ſæpe ex contactu, ſæpe ex aliis cauſis excitantibus cauſam illorum.

Ad Sitoni fundamenta dicimus: Tum pro primo, quod omni tempore fuerunt viæ, quas noſtri invenerunt, ut fieret tranſitus ad Indias; ſed non omni tempore cognitæ, nec merces illorum nobis communicatæ, nec illorum morbi: ideo dicuntur repertæ à primis, qui ipſas divulgarunt. Tum pro ſecundo, quod ut probavimus, ſunt morbi contagioſi plures, quorum cauſæ in aliis reperiuntur regionibus, in quibus ſine contagio finnt, non autem in aliis, & in iis non fiunt niſi per contagium. Tum pro tertio, quod aſtrorum influxus, loci temperies, uſus alimentornm, & aliæ cauſæ morbi Gallici poſſunt eſſe apud Indos, non in Europa; ideo apud illos plura ſunt animalia, & plantæ, quæ nunquam procreata ſunt in Europa. Ad quartum patet ad Zacuti intentum ex dictis, quod morbi qui proponuntur ab illo, & comprobantur ex antiquis, non ſunt proprii morbi Gallici, nec ejus ſymptomata, nec fiunt contagioſi, nec pariunt luis Gallicæ ſymptomata, nec contagio fuerunt contracta niſi in peſtilentibus conſtitutionibus.

RESOLVTIO X.

Utrum liceat inebriari ſanitatis causâ.

§. I.

Proponitur quid nominis, & quid rei ebrietatis.

EBrietas primò ſumitur pro ſatietate præcipuè vini, vel pro exceſſu in potando vino causâ voluptatis uſque ad violentam rationis privationem, de qua agimus. Plures potus qui valent inebriare, referuntur ab Authoribus. Dicuntur ii omnes vinum: ſed præcipuè vinum vocatur ſuccus qui fit ex uvis; de cujus ebrietate præcipuè agimus. Coadjuvant ad ebrietatem cum vino, ut fatetur Gabriel Ferrer. *lib. 1. obſerv.* 50. ſal vino commixtum, bilis exſuperans, uſus calidorum nimius, diſcurſus rerum noxiarum, ambulatio pedeſtris per vias difficiles tempore pluvioſo cum multo pulvere, larga mora in ſole, allii, & ceparum comeſtio, panis commixtus lolio, decubitus in loco in quo fuerit multùm croci. Variant ebrioſorum accidentia ex varietate prædominantis humoris:

moris : rident ſanguinei , & quaſi ſtolidi moventur : fiunt loquaces cholerici , & quaſi furioſi : phlegmatici fiunt ſomnolenti, & ſtupidi : melancholici fiunt triſtes , & flentes : omnibus apparet quaſi rota magna circa candelam , res à mero oculis multiplicantur , & omnibus variæ ſuperveniunt animi perturbatioues.

§. I I.

Proponitur quàm turpis ſit ebrietas formalis.

RESolvendum, quod ebrietas formalis, & voluntaria eſt abominandum, & turpiſſimum vitium, indignum homini rationali, in ſacra Pagina damnatum , & à Catholicis Doctoribus.

Probatur primò. Tum ex ſacra Pagina , in qua tanquam deteſtandum hoc vitium damnatur, & ebrios à regno Dei eliminat, *Iſaia cap. 5. & 1. ad Corinth. 6.* & per ebrietatem alienari mentem, probatur *Proverb. 23. & Eccleſiaſt. capit. 19.* Iſaias *cap. 28.* tenet ab illa libidinem inflammari. *Proverb. 10. Epheſ. cap. 5.* enervari corpus. *Proverb. 21.* diſſipari ſubſtantiam : *capit. 25.* excitari diſcordiam. *Eccleſ. cap. 31.* ſecreta manifeſtari. Tum ex Sanctis Patribus D. Baſilius homiliam fecit in ebrietatem , in qua inquit , quod ebrietas eſt dæmon voluntarius, malitiæ mater , virtutis inimica , virum fortem reddit ignavum , ex temperato facit laſcivum, ignorat juſtitiam, extinguit prudentiam. Tum D. Ambroſius *de Elia , & jejunio , cap. 6.* inquit , quod ebrietas eſt fomentum libidinis , incendium inſaniæ , venenum inſipientiæ. Tum D. Auguſtinus *in epiſtol.* dicit , quod eſt ebrietas fomes libidinis, flagitiorum mater , culparum materia, radix criminum , origo vitiorum, turbatio capitis , ſubverſio ſenſus , tempeſtas linguæ , procella corporis, naufragium caſtitatis , amiſſio temporis , inſania voluntatis, ignominioſus languor , torpedo morum , dedecus vitæ , honeſtatis infamia, animæ corruptela : ſuperaddit , quod ebrius inter pocula injuſta certamina, nullis exiſtentibus cauſis aſperat , excitat rixam , quia interponendo verba vana, aliorum ſana dicta non patitur audire; ſed in contumeliam erigitur conviciorum, & in proximorum crimina. Sic & alii Patres plura proferunt.

Probatur ſecundò : Nullum vitium ita turpiſſimum eſt ac illud quod præter animæ detrimentum plura progignit corporis vitia , & morbos : Sed ebrietas præter detrimentum animæ plurima procreat corpori incommoda , & morbos : Ergo tanquam turpiſſimum vitium eſt abominanda, & fugienda. Probatur minor à Canonherio *lib. 3. cap. 3.* & variis Authoribus ; impedit enim ebrietas ſpeciei propagationem. Galenus enim ex nimio potu vini aſſeruit Romæ plurimos ſteriles redditos fuiſſe. Idem patet ex Ariſtotele *3. problem.* Pratenſis *de morbis cerebri*, hæc tenet ex vino ſupervenire ſymptomata : caput fœdis exhalationibus diſtumpit , cerebrum vertigine tentat, oculos torquet , aures undoſo ſpiritu crepat, lingua ab illa vacillat, fit ſermo futilis , oris halitus teter , ſtomachus ſubvertitur , plurimâ ſaburrâ repletur: fit cordis palpitatio, manuum inepta, & inſana geſticulatio , pedum incertus , lubricuſque greſſus, inquies nocturna , turpes ronchi, furiales ſomni, mentis exceſſus, alvi, & ſeceſſus ſpurciſſima ſolutio , in qua ut ſues in luto ebrii volutantur : ſupervenit & ſæpe repentina mors pulmonibus obſtructis, & ſæpe ebrii ſibi ipſis voluntariam inferunt mortem , ut patet ex Ovidio *3. triſt. eleg. 4.* de Elpenore : refert Martialis *lib. 1.* de Philoſtrato , & Ariſtus narrat de Moſchino , & Grillo. Tum ſuperaddunt varii Authores plura alia incommoda ex ebrietate, ex quibus conteſtantur , quàm turpiſſimum vitium ſit , quia ut tenent , vitam breviat , memoriam minuit , ſecretum manifeſtat , rempublicam evertit , furiam inducit, in bruta plures convertit, patrimonium diſſipat , ſubvertit caſtitatem , inducit crudelitatem , impellit ad omne vitium, pellit Dei timorem, viles reddit homines , infert infamiæ labem, movet riſum in ebrioſis , & plura alia confert ignominioſa.

Probatur tertiò *in ſchola Salernitana, cap. 15.* ubi proponuntur incommoda, & morbi qui ſubſequuntur ex ebrietate. Nam ex Avicenna *fen. 3. 1. doctr. 2. cap. 8.* bonum habitum corporis diſſolvit , debilitat naturalem calorem , lædit facultatem ſanguificam , aquoſitates progignit loco ſanguinis , deſtruit naturalem corporis conſtitutionem, procreat imbecillitatem nervorum , tremulum reddit caput , manus, & reliqua membra ante ſenectutem , cauſat paralyſim, convulſionem , & frigidos quoſcumque morbos , coctionem impedit ob craſſos humores , quos progignit , & ſæpe repentinam mortem. Ergo ut turpiſſimum vitium eſt vitanda.

Probatur quartò ebrietatem abominandum , & indecorum eſſe vitium ; quia ut tenet Ripa , & amplectuntur Iuris Profeſſores, ebrii fiunt infames , inſani, furioſi,

redduntur que incapaces ad teſtimonium A dicendum, ad teſtificandum, ad officia publica, fiuntque irregulares: Ergo ebrietas vitium eſt abominabile, & indignum hominibus politicis, rationalibus, & decoroſis.

§. III.

Sanitatis causâ qualiter liceat ebrietas.

RESolvendum ſecundò, quod ebrietas materialis, quæ non fit voluptatis causâ, ſed tanquam remedium ad ſanita- B tem conſequendam, licet aliquibus.

Probatur: Id quod ſine peccato poteſt exerceri, Medico ſuadente licet ægroto exercere: Sed medico ſuadente aliquando propter ſanitatem petit exerceri ebrietas materialis: Ergo eſt licita aliquibus. Probatur minor ex Valentia *tom.* 3. *diſp.* 9. §. *ſi quis*, dicente: *Sed ſi quis propter ſanitatem ex judicio, & præſcripto Medicorum in aliquo morbo ſumeret vinum, aut alium inebriantem liquorem largiter, etiam uſque ad privationem uſus rationis, minimè exerceret ebrietatem propriè, & formaliter, ſed tantùm materialiter, ut docet Cajetanus hic art.* 2. *& in Summa, verbo Ebrietas, ex ſententia Divi Thomæ.* Tum probat ratione, C quia licèt uſus vini abſolutè in hoc caſu eſt immoderatus, tamen reſpectu finis intenti non eſt immoderatus.

Probatur ſecundò: Si non liceret ebrietas tanquam remedium, maximè quia aliquod afferat incommodum: Sed hoc non obſtat, quia ex Galeno nullum medicamentum ita proficuum eſt, quod aliqua D ex parte non noceat: & ex eodem Avicenna, & Cornelio Celſo, aliquando & plurimo uti cibo licet, & nimio vini potu, non propter ebrietatem, ſed ut ſequatur vomitus, ſeceſſus, ſudor, vel alia ſimilis evacuatio excrementorum redundantium, aut acquiratur ſomnus, in quo coquantur excrementa redundantia, digerantur, & per cutem evacuentur, aut curæ deprimantur: in quem finem in regimine ſanitatis docetur, quod tentetur levis ebrietas tanquam aliquorum morborum E remedium. Tum quia licèt formalis ebrietas ſit ſcandaloſa, & incivilis, non tamen quæ ſolùm materialis, quæ non voluptatis, ſed ſanitatis causâ intenditur.

§. IV.

Aliqua ponuntur auxilia pro vitanda ebrietate.

RESolvendum, quod pro vitanda ebrietate ſunt aliqua utilia, ex Authoribus.

Probatur primò ex aliquibus politicis remediis, quæ ſolent adaptari pro illis qui nondum in bruta tranſmutati ſunt per ebrietatem inveteratam, pro quibus proponitur odium intemperantiæ, quæ eſt horribile vitium, Deo inviſum, hominibus turpe, prudentibus alienum, plurium vitiorum origo, Chriſtianis indignum, detrimentum animæ, corporis, fortunæ, honoris extinctio.

Probatur ſecundò ex Schenkio *lib.* 1. *obſervat.* qui plura proponit phyſica remedia; nam ex Ariſtotele *de tumulentia*, proponit olivas Rhodiacas dictas, exhibitas in vino calido: ex Plutarcho *in ſympoſ. quæſt.* 6. laudat exhibere quinque, aut ſex amygdalas amaras ante potum ſumptas. Jarchas laudat ova noctuæ, ut abhorreant vinum. Democritus ſaniem vitium præfert; Cato braſſicam. Avicenna *fen.* 1. 3. proponit ſyrupum arcentem ebrietatem: ex Horo Rege Aſſyriorum proponitur cinis roſtri hirudinis cum myrrha, ſi offeratur in vino, vel ſuccus acini hederæ cum croco, vel oleum in Syria dictum *Eleomeli.*

Probatur tertiò, quod plura manifeſtis viribus opponantur ebrietati. Mizaldus *cent.* 1. *rerum memorabil.* inter hæc ponit ſuccum lauri permixtum vino. Cato *de re ruſtica*, laudat rubeſcentis braſſicæ folia comeſta ante vini uſum. Galenus 2. *de compoſ. medicam. cap.* 5. braſſicam calidam applicat capiti: Vvecherus *in Antidotario*, applicat hederæ folia, vel ex illis, & roſis, aut lauri foliis coronas imponit. Ariſtoteles oleum ſcorpionis, Galenus allium laudant.

Probatur quartò ex aliquibus remediis, quæ à proprietate dicuntur odium vini cauſare, quæ ideo ebrietatem valent fugare. Geſnerus *lib.* 4. *aquatil.* vinum in quo extincta fuerit rana paluſtris, præcipuè rana viridis, obſervat eſſe potentiſſimum remedium ad vini odium comparandum: ſimiliter & vinum, in quo anguilla fuerit ſuffocata. Contendunt alii, quod duæ ſuffocentur anguillæ. Plinius proponit vinum, in quo piſcis Rubellio ſuffocatus fuerit. Et idem laudat ſtercus hirundinum, cum vino exhibitum, & vitis aquam vino affuſam. Jarchas noctuæ ova in vino diluta.

Aliqua

Aliqua in hunc finem tradidit Zacutus *tom.1. de Medic. PP. hiſt. lib. 4. hiſt. 1.* Sed latiùs proſequuntur Canonherius *lib. de vini facult. 3. cap. 3.* Jacobus Othæus *in propriis obſervationibus*, Duretus *lib. 1. de morb. internis, cap. 3.* Langius *lib.1. epiſt.30.* Celſus *in præfat. ad lib. de re Medica*, ex Caſſio proponit remedium pro curatione febris ortæ ex ebrietate, ſcilicet exhibitionem aquæ frigidæ, quâ epotâ vini vis frangitur, & febris ſomno, & ſudore pellitur. Zacutus ſignum quærens, quo Medicus diariam ex ebrietate fuiſſe ortam cognoſ- B cat, proponit copioſum ſudorem & longiorem, difficilem reſpirationem, gravedinem corporis, cephalalgiam, tremorem, vertiginem, viſus geminationem, lacrymas involuntarias, linguæ incontinentiam, balbutiem, proclivitatem in riſum, oculorum rubedinem, deſidiam, ſtupiditatem, delirium; ſed præcipuè ex antecedenti nimia vini potatione febris ſubſequuta ſui expandit ideam.

Resolutio XI.

A qua cauſa fiant operationes occultæ.

§. I.

Quid ſit facultas, & quæ ſint facultatum operationes.

FAcultas, ut diximus *tom. 1. Reſol. Medicar.* eſt poteſtas, quam forma educit de ſuo ſinu ad proprias eliciendas operationes. Formæ ex quarum ſinu educuntur facultates, aut ſunt ſpirituales, ut anima rationalis; aut materiales, & corporeæ, ut elementorum, & mixtorum formæ: & harum aliæ ſunt ſimplices, aliæ mixtæ. Mixtæ aliæ ſunt viventes, aliæ non viventes. Ex viventibus aliæ rationales, aliæ ſenſitivæ, aliæ vegetativæ. Quæ à formarum facultatibus fiunt operationes, aliæ ſunt manifeſtæ, aliæ dicuntur occultæ: manifeſtæ ſunt quæ à manifeſtis fiunt facultatibus, & quæ à ſenſibus percipiuntur, quales ſunt operationes, quæ fiunt à qualitatibus elementorum, quas noſtri ſenſus percipiunt, & quæ fiunt à manifeſtis facultatibus mixtorum, & viventium, quæ per ſua organa manifeſtantur.

Aliæ vocantur operationes occultæ, quæ à mixtorum fiunt formis, mediis facultatibus, quæ ſenſibus non percipiuntur, de quibus maximè controvertitur, unde proveniant? Has à tota ſubſtantia vocat A Galenus *lib.3. de ſimpl. medic. facult.* ubi librum promittit, in quo de illis agat, qui nondum paruit: ibidem, *& cap.6. & lib.5. de ſimpl. medic. facult. cap.1. cap. 17. cap.18. 19. & 23. & lib. de medic. gener.* aliiſque in locis agit, de iis operationibus, quas à tota ſubſtantia vocat: ſimiliter & Avicenna *fen. 2. doct. 2. ſum. 1. cap. 18.* Aphrodiſeus *in proœmio problem.* Fernelius *de abditis rerum cauſis*, Scaliger, Marcellus Donatus, & alii plurimi.

§. II.

Quid ſentiunt plures de operationibus occultis.

GEnethliaci tam occultas, quàm manifeſtas operationes inferiorum tribuunt ſtellis, & aſtris, impiè auferentes ab homine liberum arbitrium: quos alibi refutavimus. Aſtrologorum alii ſaltem tenent ab aſtris per quoſdam influxus communicari inferioribus vim agendi; qui licèt aliquam vim agendi admittant, qua- C tenus aliquas præſtent diſpoſitiones, ob quas Ariſtoteles mundi contiguitatem cum aſtris docuit, ſed præcipua poteſtas operandi non eſt deneganda in inferioribus. Carreirus tenet in Avicennam, quod recurrentes in operationibus occultis ad occultas qualitates, fatentur ſuam ignorantiam: ſed ſuam ipſe fateri tenetur, cùm ſæpe cogatur recurrere ad illas. Galenus nimiè inſiſtens in tribuendis inferiorum operationibus primis elementorum qualitatibus, occultas operationes maximè ju- D dicat pendere ab illis. Sic philoſophantur ſui ſectatores, quorum alii contendunt, quod fiunt ab illis combinatis: alii ab illis ut ex omnibus fit mixtum temperamentum: alii ex illis prout fiunt inſtrumentum formæ mixtæ, cui tribuunt has operationes, quas tenent provenire à tota ſubſtantia. Zacutus imponit Mercato, quod temperamentum ſubſtantificum reſultans ex materiis omnium elementorum, ſit facultas à qua proveniunt operationes occultæ. E Alii omninò videntur negare, dari aliquas operationes occultas, ſed omnes eſſe manifeſtas à manifeſtis qualitatibus nobis cognitis ortas.

§. III.

Admittuntur operationes occultæ, quæ à nullis fiunt cognitis facultatibus.

REſolvendum primò, quod eſt manifeſtus inſipientium error negare operationes quæ fiunt à cauſis nobis occultis.

Probatur

Probatur primò ex variis Authoribus, à Marcello Donato *lib. 3. de hiſtor. mirabil. cap. 3.* Tum Ariſtoteles ſummus Philoſophus non dedignatur inextricabiles quæſtiones ſine ſolutione relinquere, faterique ultra captum hominis aliquas eſſe: Ergo ſunt aliqua, quæ ex occultis proveniunt cauſis. Tum Aphrodiſæus *in proœmio problem.* tenet Grammaticos, Philoſophos, & Medicos ſæpe cogi ut in rebus incognitis admittant occultas rerum proprietates. Tum Galenus *lib. 11. ſimpl.* reprehendit Penelopem, qui conabatur omnium rerum invenire manifeſtas cauſas. Tum Avicenna *lib. de medicament. cordialib.* inquit, quod eſt virtus quæ non exiſtit in diſpoſitione ſimplicium, & non completur quidem præparatio ad eam, niſi poſt commixtionem ſimplicium; ſicut in magnete eſt virtus attractiva ferri, & non eſt inventa in una duarum virtutum ex elementis, ſed ad extra emanatione divina procedente in omnibus rebus, & extrahente cunctas virtutes de potentia in actum. Tum Avenzoar *lib. 1. tract. 10. cap. 4.* docens caput leporis conferre tremori capitis, dicit quod juvamentum hoc facit virtute divina, quæ virtus dicitur virtus occulta, ſeu à tota ſpecie, & quod aliqui veteres conati ſunt loqui ſuper hac virtute: & ego dico, quod impoſſibile eſt ſcire certitudinem ipſius, quoniam intellectui humano adeo ſublimi, & glorioſo impoſitus eſt terminus ultra quem impoſſibile eſt ipſum pertranſire: Ergo error eſt inſipientium negare dari aliquas operationes occultas, quarum cauſas ignoramus.

Probatur ſecundò: Operationes occultæ dicuntur, quarum licèt cognoſcantur effectus, nullis tamen ſenſibus valent earum percipi cauſæ: Sed plures inveniuntur hujuſmodi operationes: Ergo nequeunt ſine manifeſto errore negari. Probatur minor; nam ut proſequitur Marcellus Donatus, & conſtat ex expertis hiſtoricorum enarrationibus, & obſervationibus, magnes attrahit ferrum, electrum paleas, echeneis parvus piſcis navem ſiſtit, rhabarbarum purgat bilem, agaricus pituitam, epythimus bilem atram, lepus marinus ulcerat pulmones, cantarides renes, & veſſicam, ſtruthiocamelus concoquit ferrum; veratrum & cicuta mortem infert homini, alit coturnices. Alii abhorrent roſas, caſeum, piſces, aut alia alimenta reliquis communia, quorum varia exempla proponunt Authores, & refert Schenkius in ſuis obſervationibus, & Donatus *loco citato:* ſic & alii referuntur, qui ſine omni alimento, alii ſine omni potu vitam pertranſierunt; & alii ſimiles operationes ediderunt, quarum nulla ſenſibilis cauſarum cognitio ſenſibus unquam apparuit: Ergo quia plures ſunt operationes, quarum cauſæ ita occultæ ſunt, ut nullo ſenſu percipi valeant.

§. IV.

Operationes occultæ ab occultis proveniunt facultatibus, quæ ſunt propriæ ſuis formis.

Reſolvendum ſecundò, quod operationes occultæ proveniunt ab occultis facultatibus mixtorum, quorum ſunt propriæ paſſiones, quæ nec per ſe ipſas, nec per inſtrumenta, per quæ operantur, ſunt à noſtris ſenſibus perceptibiles.

Probatur: Tum ex ipſis à quibus proveniunt; nam torpedo torporem inducit in manu piſcatoris ſua ſpecifica facultate, ſine ſui, aut inſtrumenti, quo operatur, cognitione ab aliquo ſenſu perceptibili. Sic magnes ferrum attrahit: ſic rhabarbarum attrahit bilem, & reliqua operantur mixta occultâ vi ſimiles operationes. Tum ex ipſis operationibus conſtat nihil in illis percipi à noſtris ſenſibus, donec productus effectus cognoſcitur. Tum quia Authores, vel has occultas rationes negant, vel ut occultas admittunt, quia nihil eſt in ſuis cauſis, aut illarum inſtrumentis, per quod poſſint à noſtris ſenſibus percipi.

§. V.

Qualiter juvat temperamentum ſubſtantificum pro occultis operationibus.

Reſolvendum tertiò, quod ſubſtantificum temperamentum confert pro operationibus occultis.

Probatur: Tum quia determinat formam ut vel in toto, vel in determinata illius parte producat facultatem occultè operantem; ſicut enim forma, ut vivens, per organa appropriata determinatur pro potentiis in ſuis organis producendis; ſic ſubſtantificum temperamentum ob ſuum modum mixtionis determinat mixtam formam ad ſuas ſpecificas facultates in illo producendas. Tum apparet in animalibus, & vegetabilibus, in quibus conſtat producere ſuas occultas, & venenoſas qualitates potiùs in una parte, quàm in alia. Tum juvat temperamentum ſubſtantificum, ut ob ſimilitudinem in modo ſubſtantiæ aliæ res fiant objectum attractionis, aliæ non: ſic magnes attrahit ferrum,

ferrum, & attrahens facultas vegetativa A attrahit alimentum convertendum in ſubſtantiam viventi in ſubſtantiæ ſimilitudine ſimilem. Tum temperamentum ſubſtantificum ob ſui diſſimilitudinem juvat ut ab expellente facultа e expellatur, quia habet ſubſtantiæ modum diſſimilem.

§. VI.

Pro ſympathia & antipathia quæ juvent.

RESolvendum, quod pro occultis operationibus ſympathiæ & antipathiæ in B animalibus cognoſcitivis conducunt ſpecies intenſæ.

Probatur: Tum ex D. Thom. 1. *p. quæſt.* 78. *art.* 4. & aliis locis, quibus docet animam per ſpecies inſenſatas cognoſcere amicitias, & inimicitias rerum: inde provenit, quod agnus fugiat lupum, & proſequatur matrem: gallus gallinaceus fugiat milvum, & proſequatur matrem. Tum propter eaſdem ſpecies contingit, quod plures abhorreant plurima alimenta ut noxia, quæ aliis fuiſſent utilia, ut qui C caſeum, aut piſces abhorrent, à quibus læduntur. Tum quia per has ſpecies provida natura occulta vi docet plures conſervandi ſe modos in brutis.

§. VII.

Poſt corruptas formas qualiter fiant operationes occultæ.

RESolvendum, quod ſæpe contingit, quod poſt corruptas formas, à quibus fiunt occultæ operationes à ſubſequente forma, producantur ſimiles facultates D efficientes operationes occultas.

Probatur: Tum quia corruptâ formâ rhabarbari, & aliorum purgantium pharmacorum, ſub ſubſequenti forma cadaveris fiunt ſimiles occultæ purgationes, & operationes: Ergo à facultatibus ſimilibus eis, quæ proceſſerunt ab eorum formis viventibus. Tum quia cùm permaneat eadem elementorum permixtio, valet determinari forma ſubſequens ad ſimiles facultates, quæ ſolent eſſe communes pluribus medicamentis purgantibus. Tum quia E ſicut forma cadaveris poſt hominis formam valet in cadávere producere ſimilem organizationem, & plura ſimilia accidentia eis quæ præceſſerunt ſub forma vivente, poterit ſimilis facultas attrahens produci à forma ſubſequentis cadaveris rhabarbari, à qua ſimilis fiat operatio occulta. Tum ſimilis qualitas venenoſa, quæ præceſſit in animali venenoſo, appa-

D. Gaſp. Bravo Tract. Miſcell.

ret ſæpe in ejus cadavere: Ergo quia à ſubſequente cadaveris forma valet produci. Tum in alexipharmacis, corruptis formis illorum, remanet alexipharmaca virtus, quæ producitur in ejus cadavere. Tum ſub cadavere ſtirpium fit attractio humorum: Ergo attrahente facultate occulta, non ab ea quæ præceſſit in rhabarbaro, quam intendit Sennertus manere in ſuo cadavere; quia cùm fuerit virtus & proprietas formæ antecedentis, nequit ſine illa conſervari: Ergo quia producitur à forma ſubſequuta potente illam producere, & determinata ad productionem ejus medio eodem temperamento ſubſtantifico.

RESOLUTIO XII.

De loco mittendi ſanguinem in puerperis.

§. I.

Ratio dubitandi proponitur, & aperitur.

UT tenet Nancellius *lib.* 4. *cap.* 10. lochia ſunt *purgamina puerperarum, omniſque proluvies, quam à partu diſtillare eſt neceſſe.* Colligitur cum embryone in utero duplex excrementorum genus, quod in puerperis expurgatur; aliud eſt tenue & aquoſum; aliud ſanguineum. Aquoſum aliud eſt liquidum in alantoïde reconditum, urina dictum: aliud craſſius, & albidius, contentum in amnyo. Quæ duo excrementa, partu inſtante, ſolent confluere, tunicis diſruptis à puero calcitrante, & ſunt ex uſu, ut viam reddant lubricam pro fœtus excluſione. Hæc largo modo ſolent vocari lochia, propriè verò quod ſanguineum, eſt excrementum, quod pro nutricatu, & augmento inſerviebat fœtui, quodque ob menſtrua retenta ſuperabundare fuerat neceſſe. Hujuſmodi lochiorum debita repurgatio in puerperis naturalis eſt, illorumque retentio cauſa fit plurium, ac lethalium morborum.

Incipit prima origo lochiorum à partu; inquit enim Hippocrates *lib. de natura pueri, cap.* 12. apud Zuingerium: *Principiam autem purgationum tale mulieri fit, dum ex partu laborat. Agitatur ſanguis mulieris, & à vehemente pueri mota admodum caleſcit: agitatus autem primus foras prodit, deinde puer, poſt puerum verò mucus craſſus, ſanguinolentus, qui quidem non aliter deduci videtur, quàm aqua effuſa in menſa, atque poſtea ſingulis diebus purgatio procedit uſque*

 ad

ad prædictum tempus, copiâ Atticæ heminâ. A Cotyla, ſeu hemina Attica apud probatiores Authores eadem menſura eſt. Gorrheus cotylam Atticam tenet capere duo quartaria, ſive novem uncias menſurales: idem admittit Angelinus *lib.* 3.

Tempus quo fluant lochia, præſcribit Hippocrates *lib.* 1. *de morb. mulier.* pro partu fœminæ per 42. dies, pro puero per dies 30. Rodericus Acaſtro *lib.* 4. *de morb. mulier.* rectè animadvertit, quod non eſt æqualis fœminis omnibus purgandi tempus; aliæ enim per octo dies, aliæ per B dies 15. adimplent evacuationem, aliæ per plures dies, prout magis, aut minùs redundant humoribus, aut ſunt exercitatæ, aut ſedentariæ vitæ. Si puerpera debitè repurgatur, ſana evadit; ſin minus, ob lochia retenta in graviſſimos incidit morbos. Eventum prægnoſcere docuit Hippocrates *lib. de natura pueri, text.* 27. dicens: *Exit autem ſanguis veluti à victima, ſi ſana eſt, & ſana futura eſt mulier, & citò concreſcit. Si verò ſana non eſt, nec ſana futura eſt, purgatio purior procedit, &* C *ſpecie deterior, nec citò concreſcit.* Galenus aliis in locis, & *lib.* 1. *epidem. comm.* 3. proſequitur ex lochiis ſupervenientes morbos: *Illud*, inquit, *in omnibus mulieribus, quarum impedita eſt à partu purgatio, ſciendum eſt, & memoria tenendum, eſſe quæ in extremum mortis diſcrimen veniant, perpaucas autem quæ modicè infeſtatæ ſint: præterea quod plurimis uterus inflammatur, quibuſdam in ipſo partu ſanguis effuſus diverſa ſit qualitate, his bilioſus, illis melancholicus, aliis virulentus, aut pituitoſus, aut medio-* D *criter bonus; ſed exquiſitè inculpatus handquaquam: nam ejus optima portio in fœtus incrementum eſt conſumpta. Demonſtrant eius naturam ſymptomata, quæ conſequuntur cohibitam à partu purgationem.* Et *lib.* 3. *epid. comm.* 3. idem repetit *text.* 73. & *lib.* 3. *de loc. affect. cap.* 7. ſuperaddit pro prava lochiorum natura, quod ex retentione craſſiora ſint facta, ex quibus aut inflammationes fiunt, aut impedita purgatione fit lochiorum recurſus in partes ſuperiores; quia ut inquit Hippocrates agens de E retentis menſtruis *lib. de virginibus*, cùm erumpere non poſſint, refluunt in partes ſuperiores, & ex illis fiunt inflammationes, dolores laterales, febres occultæ, cordis palpitationes, deliria, phrenitides, & alii quamplurimi lethales, & periculoſiſſimi morbi, pro quorum curatione neceſſaria eſt ſanguinis miſſio, de qua dubitamus, ex qua parte debeat exerceri in puerperis ſic affectis, an ex pede ad revellendum fluxum lochiorum ſurſum ruentium, an à brachiis ad illa ſurſum delata evacuanda per brachii venas, quæ magis communicant cum ramificatione venarum, quæ ſunt in trunco corporis, in quibus lochia jam continentur.

§. II.

Proponuntur varii opinandi modi.

Antiquorum communis opinio fuit, quod omnis phlebotomia in puerperis, lochiis fluentibus, petit ſemper exerceri ex talo. Pro qua ſtat primò Hippocrates *lib.* 2. *epidem. ſect.* 5. *text.* 5. inquit enim: *Stymargi famula Idumæa cùm peperiſſet filiam, os uteri contortum eſt, & in coxa gravis dolor: liberata eſt juxta talum ſectâ venâ, etiamſi tremores ſecundum corpus eam tenebant; ſed ad occaſionem oportet venire, & occaſionis initium.* Ergo lochiis retentis ex talo mittendus ſanguis. Tum ſecundò Hippocrates, *quò natura vergit, eò ducere oportet per loca conferentia, & tolerantia*, ſancivit. Sed pro lochiis expurgandis conferens locus, & in quem natura vergit, eſt uterus: Ergo per illum tentanda evacuatio, venâ ſectâ in talo. Tum tertiò Galenus *lib.* 13. *methodi, cap.* 5. *lib.* 6. *epidem. comm.* 1. *ſent.* 6. *& lib. de curandi rat. per ſanguinis miſſionem*, docet quod æquè plenitudinem evacuat totius corporis phlebotomia ex pede, ac ex brachio: Ergo licèt tentemus plenitudinem auferre ex toto, lochiis fluentibus, tentanda evacuatio ſectâ venâ in talo.

Secundò probatur ratione deſumpta ex Hippocrate in hiſtoria citata famulæ Stymargi, ubi docet ſanguinem in puerperis mittendum ex talo, quia deveniendum *ad occaſionem, & occaſionis initium:* quæ cùm ſit in utero in morbis puerperarum, ſanguis ex pede mittendus, ut contentum in utero attrahatur.

Tertiò ſancitum eſt ab Hippocrate, *quod ſi humor vergat quò non oportet, eſt revellendus.* Sed febres, & inflammationes puerperarum fiunt, quia lochia vergunt ſurſum, quò non deberent: Ergo deorſum petunt revelli, ſanguine miſſo ex talo.

Secunda opinio Juniorum admittit, quod lochiis fluentibus poteſt ſanguinis miſſio fieri ex brachio; didicerunt enim ex Hippocrate *lib. de morb. virginum*, & experientiâ comprobarunt, quod in puerperis varii, ac lethales fiunt morbi non ſolùm ex retentis lochiis in utero, ſed præcipuè illis ſurſum delatis: contingunt enim ex illis in utero febres, eryſipelata, inflamma

inflammationes, uterinique alii affectus: Sed ſi in ſuperiores partes confluant, fiunt febres ardentes malignæ, jecoris inflammationes, pleuritides, pulmoniæ, anginæ, paraplexiæ, maniæ, phrenitides, & alii vehementiſſimi, & lethales morbi, qui niſi ſudore terminentur, morte finiuntur, pro quibus curandis, & ex pede, & ex brachio ſanguinem mittere cogimur, vario modo indicationes ſumentes à locis in quibus lochia continentur, & periculum minantur. Sed in modo alternandi hæc remedia diſſentiunt Medici.

Nos eandem phlebotomiam ſimul & ſemel partitam, in brachio, & pede quandoque exercuimus coacti, quia ſimul urgebat neceſſitas mittendi ſanguinem ex brachio, & pede, ita ut priùs ex brachio extractis unciis tribus, aut quatuor ſanguinis, ſtatim ex talo ſimilem quantitatem extrahi juſſimus. Coëgit nos ad hanc partitam evacuationem doctrina Galeni *lib. 1. de arte curativa ad Glauc.* docentis, quod ſi coincidant contrariæ indicationes, *ad id quod magis urget, debet dirigi curantis conſilium.* Sed lochiis fluentibus & morbo lethali ſurſum urgente, ambæ indicationes urgent, evacuandi ex brachio, revellendi ex talo: Ergo petit urgentia, ut per idem auxilium ſimul partitum ſubveniamus pro utraque indicatione. Tum firmavit eventus; cùm enim puerpera boni habitus corporis, cui lochia benè fluebant, & optimè ſe habebat, vehementi animi paſſione afficeretur, lochia ſurſum delata pleuritidem vehementem cauſarunt, unde ceſſavit purgatio: hinc cùm utraque indicatio urgebat, utrique ſimul ſuccurrere decrevimus, priùs ex brachio, poſtea ex talo mittentes ſanguinem; quod bis exercuimus: ſed dolore remiſſo, lochiis refluentibus ad ſanitatem puerpera fuit reſtituta. Ex quibus deduximus, quod partita ſanguinis miſſione ſimul & ſemel poſſunt adimpleri hæ contrariæ indicationes.

Reliqui qui non ſimul, ſed in diverſis temporibus has proſequuntur indicationes, in diverſis temporibus eas conſulunt, ut Sennertus proſequitur. Valleriola *lib. 5. obſervat.* 10. narrat curaſſe puerperam ſanguine miſſo tantùm ex brachio: nec diſcedit Maſſarias, qui à Sennerto reprehenditur, quia ſanguine ex ſolo brachio evacuato, fit revulſio lochiorum, & attractio in partem affectam, à qua deberet revelli. Mercatus *lib. 4. de morb. mulier. cap.* 10. cui ſubſcribit Rodericus Acaſtro, ſi lethalis fiat morbus ex lochiis ſurſum

A delatis, bis, aut ter ſanguinem mittunt ex talo, in poſterum ex brachii venis.

§. III.

Quid ſentiendum ex doctrinis Claſſicorum.

Reſolvendum, quod ſi in puerperis, diminutis, aut occluſis lochiis, pars illorum ſurſum vergens lateralem dolorem, aut lethalem alium procreet morbum, primò ſanguis mittendus ex pede, prævalente revellendi indicatione; & ſi B in parte ſuperiori jam firmata lochia morbum lethalem fovent, & augent, ſanguis poſtea mittendus ex brachio, utendo in partibus inferioribus reliquis revulſoriis, niſi utraque ſimul urgens indicatio ſimul, & ſemel cogat, ut perficiatur ſanguinis miſſio ex brachio, & talo. Sic deducitur ex doctrinis Claſſicorum.

Probatur primò ex noſtro doctiſſimo Mercato loco citato, qui priùs ex pede revellere conatur, poſtea ex brachio derivare, aut evacuare lochia, quæ firman- C tur in parte ſuperiori. Tum idem confirmat Rodericus Acaſtro *lib. 4. de morb. mulier. ſect. 2. cap.* 12. ſubſcribens Mercati placitis, aliquibus ſuperadditis fundamentis. Tum confirmat eruditiſſimus Sennertus *tom.* 3. agens de morbis mulierum, hanc doctrinam, refutatque Maſſariam ex ſola brachii vena ſanguinem mittentem, & in partem affectam lochia revellentem. Tum Riverius *lib.* 15. *Praxis, cap.* 24. eandem profitetur doctrinam. Tum ante hos omnes illam ſancivit Sa- D lius *lib. de affectibus particularibus, cap.* 23. à quo recepit Schenkius *lib. 4. de puerperiis, obſervatione de morb. acutis*, ubi in vehementia morborum qui oriuntur ex lochiis, ſanguinem docuit mittere ex brachio ſine omni mora, non expectatâ phlebotomiâ ex pede; ſed in illa, & poſt illam ſimul revellendo ad partes inferiores frictionibus, ligaturis, cucurbitulis, & aliis attrahentibus auxiliis.

Probatur ex eodem ratione, quia ſi E ſolùm inſiſtamus in revellendo per phlebotomiam ex talo, non auferimus quod confluit in partem, & antequam pars refluat quod ſurſum vergit, lethalis morbus ægrum interimit. Tum inter indicationes præferenda eſt quæ magis urget: hæc eſt quæ procreat proximè morbum. Tum quia licet in principio cogat neceſſitas devenire ad originem, lochiis jam firmatis in parte, ab ipſis urget indicatio deſumpta. Tum lochia firmata ſurſum, & intemperata fortiùs trahunt, quàm

phlebotomia inferiorum partium: Ergo potiùs ad illam in brachio cogit & urget neceſſitas. Tum quia Medicus eſt imitator naturæ: Sed illa, lochiis jam ſurſum delatis, in puerperis ferè ſemper tentat evacuationem per ſudores; per quos pleræque liberantur: Ergo ipſis firmatis, evacuatio ab arte ſurſum petit tentari.

§. IV.

Proponitur ſolutio pro contrariè opinantibus.

AD opiniones contrarias reſpondetur: Tum pro prima, quod ſumptâ indicatione à parte, à qua fluebant lochia in Stymargi famula, ab utero ſcilicet in partes ſuperiores, in principio prævalebat indicatio revellendi ad uterum, qui erat initium illius fluxionis. Tum pro ſecunda, quod in principio reſpectu humoris vergentis in uterum, à pede mittendus ſanguis: ſi tamen ſurſum vergens firmetur in parte, ad ejus evacuationem ex brachio ſanguinem mittimus. Tum pro tertia reſpondetur, quod ſanguinis miſſio ex talo æquè evacuat plenitudinem partium infernarum, ſicut miſſio ſanguinis ex brachio plenitudinem partium ſuperiorum; & ideo dum lochia faciunt plenitudinem in utero, mittimus ſanguinem ex pede; dum illam faciunt in partibus ſuperioribus, ex brachiis haurimus ſanguinem.

Ad ſecundum reſpondetur, quod recurrimus ad initium cauſæ, dum in illo initio ſuperfluit cauſa; ſed dum illa mutata eſt in partem ſuperiorem, recurrimus ad evacuationem per partem, per quam poteſt magis commodè fieri derivatio, aut evacuatio.

Ad tertium reſpondetur, quod cum Hippocrate revellimus in principiō, ne lochia ſurſum vergant: dum jam recepta ſunt ſuprà, evacuamus quod jam firmatum in parte nequit revelli.

INDEX

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
Quæ in hoc Tomo Quarto continentur.

Prior numerus Paginam, poſterior columnam deſignant: litera verò a, b, c, d, e, has inter utramque columnam interjectas ſignificant.

A

Aciditas, & Acidum.

ACIDITAS eſt cauſa remota, & per accidens, & externa fermentationis. 173.1.6.

Acidum quid ſit, & quomodo fiat, & quæ ſint ejus proprietates. ibid.2.b.c.& ſeqq.

Ab aciditate variæ fiunt motiones, à quibus provenit fermentatio. 174.1.b.c. & ſeqq.

Aciditas qualiter agat in fermentatione, vide in verbo *Calor*.

Acrimonia.

Acrimonia qualiter agat pro fermentatione, vide in verbo *Calor*.

Actio.

Actio vitalis quænam dicatur. 4.1.c

Actionis vitalis duplex acceptio, ejuſque definitio. 5.1.b.c

Actio vitalis eſt quæ provenit à principio vitali, media facultate determinati gradus vitæ tendente in uſum ſibi deſtinatum pro tali gradu. ibid.c

Actionum vitalium triplex genus admittendum in his inferioribus. ibid.2.d.

Actiones brutorum quæ fiunt à calore, differunt ab actionibus caloris ignis. 9.2.b

Actionum læſio triplex provenit à morbo. 83.2.a

Aër.

Aër eſt inevitabilis cauſa, & neceſſaria ad vitam conſervandam. 58.1.b

Aër purus & naturalis vitam conſervat, & naturalem interitum retardat. ibid.c.d.

ſine Aëre ventis immixto nequit ſubſiſtere vita. ibid.e

Aër vario modo homines alterare, & immutare poteſt. ibid.2.b

Aëri magna ineſt vis à ventis nos immutandi, & mortem naturalem coadjuvandi. ibid.c.d

Aër ratione loci, in quo permanet, noſtra immutat temperamenta, unde debet poni inter cauſas coadjuvantes mortem naturalem. ibid.e

ex Aëris mutationibus per anni tempora varii ſuperveniunt morbi. 59.1.a

Aër licèt neceſſarius ad vitam, tamen indebitè applicatus, & impurus poteſt nos lædere, & habere ſe ex parte naturæ, & ex parte cauſarum nos corrumpere valentium. 59.1.b.c

Aërem ita poſſe corrumpi, ut fiat ineptus ad præſtandam materiam pro ſpiritibus vitalibus generandis: aliqua ratione ſuaderi poteſt. 84.2.a.b

Aër à peſtilente contagio, & venenoſa qualitate commixtis fit ineptus ad præſtandam materiam ſpirituum vitalium generationi. ibid.c.d.e

Aër intensè pravus nequit præſtare materiam pro ſpiritibus vitalibus generandis. 85.1.b.c.& 86.1.a.b

Aër ineptus pro ſpirituum vitalium generatione reddi poteſt ex multis cauſis. ibid. d.e.& ſeq.

Aër ut inepta materia pro ſpiritibus vitalibus generandis, & ut cauſa illos corrumpens, poteſt fieri cauſa mortis repentinæ. ibid.2.c.d.e

Aëris defectus pro ſpiritibus generandis potiùs cauſat mortem repentinam, quàm defectus ventilationis fuliginum. 87.1.d.e

Ætas.

Ætas hominum prout à Medicis conſideratur, quid ſit: & per quas ætates decurrat vita hominum. 10.2.c.d

Ætates hominum quinque referuntur, & diſtinguntur per varias temperies in illis prædominantes. 11.1.a.b.& ſeqq.

Ætates hominis ſubſequentes nullis remediis poſſunt à Medicis ad præteritas retrotrahi. 17.1.b.c.& ſeqq.

Ætatum retroceſſum admittendum eſſe, aliquibus rationibus ſuadetur, quæ rejiciuntur. ibid.2.b.c.d

in Ætatum mutatione acquirit homo pro unaquaque diverſam temperiem aptam actionibus debitis illi ætati. 55.1.e

Ætatum duratio præſcripta juxta calidum innatum, & humidum radicale præſtitum à natura. 57.1.e

Alimentum.

Alimentum aliud craſſum, aliud aëreum, ſeu vaporoſum eſſe ſtatuitur. 28.1.e

Alimentum vaporoſum, ſeu aëreum non ſufficit pro nutritione, niſi in corporibus, in quibus nativus calor modificatur, ut remiſſiori modo reſolvat. 29.2.e.

Alimentorum præparatio in quibus partibus noſtri corporis fiat, variæ referuntur opiniones. 30.2.b.c.& ſeqq.

Alimenti defectum non poſſe eſſe cauſam extinctionis caloris naturalis, & mortis repentinæ, tenuit Zimara. 83.2.c.d Vide *Mors.*

Alimenti defectus pluribus fuit cauſa mortis repentinæ, ut ex Hiſtoricis patet. 92.2.c.d

Alimenta viciata in prima aut ſecunda coctione, nequeunt eſſe apta materia pro ſpiritibus generandis in corde. 93.2.b.

Alimentum ut aliquid dicatur, quæ requirantur, & ſufficiant 216.2.e

Alimentum completè nutriens quale eſſe debeat, & quale id quod per modum potius nutrit. 217.1.a

Alimentum idem duplicem coctionem patitur, & quæ ſint, aperitur. 158.1.b.e

Alimentum eſt veluti materia ſubiecta artifici, quæ per varias coctiones à natura præparatur. 159.2.e.& ſeq.

Alkali.

Alkali quid ſit, unde, & quomodo fiat. 145.1.a

Alkali loco nitri adhibitus pro condiendis cadaveribus. ibid.

Anima.

Anima rationalis in una tantùm determinata corporis parte non reſidet, ſed præſtat vitam informando omnes partes primariæ conſtitutionis. 21.2.d.e

Anima rationalis nec informat, nec aliquem vitæ gradum præſtat in partibus ſecundæ conſtitutionis. 22.1.d.e

Animæ definitio juxta Ariſtotelem. 2.2.d

de Anima & ejus ſubſtantia variè opinati ſunt antiqui, & quæ ſit opinio receptior. 3.2.b.e

Animæ vitam præſtantes ſublunaribus ubi ſint, unde educantur: & circa hoc variæ antiquorum opiniones referuntur, & refutantur. 6.1.b.c.& ſeqq.

Animam rationalem educi ex traduce ex ſemine, erroneè ab aliquibus affirmatum. 6.2.e

Animæ vitam præſtantes, præter rationalem, educuntur de potentia materiæ nullibi prius exiſtentes actu: anima verò rationalis creatur à Deo ex nihilo ſui. 7.1.c.d.

Animam brutorum eſſe quid corporeum aliquibus rationibus fulcitur. 8.1.e. & ſeq.

de Anima loquuntur Hippocrates & Galenus, non ſecundùm ſuam eſſentiam, ſed ſecundùm ſenſibile conſervativum illius. 9.1.d.e

Animarum diſtinctio in brutis unde deſumenda. ibid.2.a

Anima rationalis aſſeritur immortalis. 9.2.e.

Animam intellectivam unam tantùm dari pro vita omnium hominum, aliqui tenuerunt, eorumque opinio aliquibus rationibus ſuadetur. 18.1.e.& ſeqq.

Ab anima una poſſe provenire plures vitas quomodo aliqui ſuſtinuerunt. ibid.2.e

Anima rationalis exiſtens intra determinatam corporis partem, an vitam præſtet reliquis. 20.1.d

Animam rationalem in aliqua corporis parte, reſidere, ab antiquis ſtatutum; ſed in qua reſideat, controverſum. ibid. e. & ſeqq.

Anima rationalis an ſanguinem informet, & in quo gradu, diſquiritur. 20.2.c.d. & ſeqq.

Anima licèt ſit in omnibus primæ conſtitutionis corporis partibus per ſuam eſſentiam, non eſt tamen in illis per omnes ſuas facultates, ſed per aliquas tantùm. 24.1.e

Animam non informare omnes corporis partes, roboratur ſolutione fundamentorum contrariè opinantium. ibid.2.b.c

Anima rationalis an in qualibet parte noſtri corporis, quam informat, præſtet ſimul omnes tres gradus vitæ. 25.1.d.e

Anima

Anima rationalis non præſtat omnes gradus omnibus partibus quas informat. ibid.2 b.c
Animam dupliciter informare oſtenditur. 26.1.c
Animæ tribuentes vitam an fiant à ſolo Deo. ibid.d.e.& ſeqq.
Anima rationalis & vita ab illa proveniens non propagatur ex traduce, & vi ſeminis. ibid.1.d.e
Anima rationalis, & cæteræ omnes vitam præſtantes, à ſolo Deo poſſunt fieri. 27.1.b.c
Animas non poſſe fieri ab intelligentiis, probatur. ibid.2.b.c
Animarum omnium creatio ſimul non fuit à Deo facta, ſed ſigillatim unamquanque in ſuo corpore creat. ibid. 2.e. & ſeq.
Animas omnes, vegetativas, ſenſitivas & rationales per mortem corporis corrumpi, vetuſtiorum fuit opinio, & impius error. 64.1.b
Animas ſenſitivas & vegetativas per mortem corporis corrumpi & diſſolvi, & ſolam animam rationalem in morte hominis ſeparari ab illius corpore, & permanere ſubſiſtentem per ſe, docuit Plato. ibid.2.b
Animas ſenſitivas & vegetativas per mortem interire & diſſolvi, unanimi conſenſu fatentur Catholici. ibid.c
Animas vegetativas & ſenſitivas per mortem corporis eſſe deſinere, lumine naturali notum eſt. ibid.& ſeq.e
Animam rationalem poſt mortem permanere ſeparatam à corpore, & hoc cognoſci lumine naturali, probatur. 65.1.b
Animæ rationali naturalis eſt perpetua duratio, & quod per mortem ſeparetur à corpore. 66.1.b.c

Antipater.

Antipatri Medici Romani hiſtoria proponitur, & unde mors ejus repentina provenerit, diſquiritur. 86.2.d.e

Antipathia.

Antipathia quid ſit, & inter quas res contingat: vide in verbo *Sympathia*.

Apoplexia, & Apoplecticus.

Apoplexia mortui ante tranſactam ab obitu tertiam diem non ſunt ſepeliendi. 130.1.d.e
in Apoplecticis poteſt vita per tres integros dies occultè conſervari, ſed non ultrà. ibid.2.a.b

Aqua.

Aqua poteſt ſolùm inadæquatè nos nutrire per repoſitionem partium aqueatum. 216.2.d
Vide *Alimentum*.

Arbor.

Arbores metallicæ, ſeu auriferæ an dari poſſint, vide in verb. *Aurum*, *Metallum*.

Ars.

Ars virtute naturalium agentium poteſt aliquas formas naturales inducere in materiam; aliquas tamen nullo modo poteſt efficere. 106.1.e.& ſeq.
Ars non poteſt eò pervenire, ut agentia, & materiam cum tempore, modo, & aliis circumſtantiis ſciat ita præparare, ut inde novum conſtituatur metallum. 107.2.a
Ars tranſmutationem imperfectiorum formarum poteſt attingere, non tamen perfectiorum. 109.1.a.b
Vide *Aurum*, *Chryſopæia*, *Metallum*, *Tranſmutatio*.

Arteria.

Arteriarum lævium pulmonis obſtructio quomodo fiat, & quomodo cognoſcatur. 89.2.d.e
de Arteriarum lævium pulmonis obſtructionibus exempla referuntur. 90.1.b c
Arteriæ pulmonis quot ſint, & quomodo lædantur, vide in verbo *Pulmo*.
Arteriæ carotides quæ dicantur. 122.1.d.e
Arteriarum carotidum, & venarum jugularium interceptio poſſunt eſſe cauſa mortis repentinæ. ibid.1.c.d.e

Aſphaltum.

Aſphaltum aliud liquidum, durum aliud. 144.2.c
Aſphalto uſi ſunt veteres ad condienda cadavera. ibid.

Aſſatio.

Aſſatio alia fit ab arte, ut alimenta præparentur, & fiant nobis aptus cibus: alia fit à natura intra noſtrum corpus. 152.1.b
Vide *Coctio*, *Elixatio*.

Aſſiapetra.

Aſſiapetra pro condiendis cadaveribus ab antiquis adhibita. 145.1.a
Aſſiæpetræ flos quid ſit. ibid.

Aſtrum.

Aſtra & cœlos poſſe eſſe cauſam neceſſariam mortis naturalis, aliquibus rationibus ſuadetur. 59.1.d.e.& ſeqq.
Aſtra & cœli non ſunt cauſa omnino inevitabilis mortis naturalis, ſed tamen coadjuvant ad illam per ſuos influxus. 60.1.b.c

Aurum.

Aurum extra terram poteſt generari, & per arbores produci. 103.2.c.e
Aurum metallorum præſtantiſſimum ſæpe in

in arboribus, & vitibus erupiſſe, variis obſervationibus comprobatur. 204. 1.b. & ſeqq.
Aurum verum an poſſit fieri per artem chimicam: vide verb. *Chryſopœia.*
Aurum verum tantum à natura in terræ fodinis fieri poteſt, per chryſopœiam verò tantùm falſum, & ſophiſticum fieri poteſt. 206.1.d.e
Auri proprietates quales. ibid.2.e
Aurum tantùm apparens & fictitium à Chimiſtis fieri poteſt. ibid.
Aurum requirere determinatum locum ſuæ generationis, non arguit illud ſimpliciter eſſe perfectius aliquo animali, ſed tantùm ſecundùm quid. 207. 1.e
Aurum verum nequit ab arte chimica fieri per productionem, nec per metallorum purgationes, nec extrahendo ex auro vegetabili quintam eſſentiam, quæ alia metalla convertat in aurum, nec per colorationem. 208.1.b.c.& ſeqq.
Vide *Chryſopœia.*

B

Brutum.

BRuta proprias voces habere, oſtenditur. 211.1.c.d
Bruta proprias ratiocinationes, & loquutiones habere aſſeruerunt aliqui. ibid.
Bruta aliqua voces humanas edunt. 202. 1.b.c
Brutorum plurimorum voces propriæ recenſentur. ibid.& ſeqq.
Brutis omnibus loquelam penitus denegavit natura. 213.1.b.c
Bruta loquelâ carere rationibus probatur. ibid.d.e
Bruta nec proprias voces habent à natura, & multò minùs proprias loquutiones. ibid.e.& ſeq.
Bruta voces humanas edentia non loquuntur. ibid.2.c.d

C

Cadaver.

CAdaver repentè mortuum an ſtatim ab obitu ſepeliri poſſit. 129. 1.e. & ſeq.
Cadaver fœtens ſtatim, ſin minùs tertio die tranſacto ſepeliri debet, ſi repentè mortuum. ibid. 2.d.e
Cadavera humana feris devoranda objicere, feris tantum fuit hominibus uſitatum. 132.1.d
Cadavera aëri inhumata exponere, & relinquere, à pietate humana abhorret. ibid.2.a
Vide *Sepulchrum.*
Cadavera aliqua ad ignominiam ſubmerſa. 132.c.d
Cadavera cremandi tum apud Græcos, tum apud Romanos diu invaluit conſuetudo: & unde ortum duxerit. ibid. d.e. & ſeq.
Cadavera Regum Romanorum in campo Martio cremabantur. 133.2.d
Cadavera militum Romanorum Romam ſepelienda è caſtris transferebant antiquitus. 134.2.e
Cadavera Sanctorum juſſu Dei miraculosè ſepulturæ mandata. 137.1.b.c
Cadaveribus ſtatim ac anima efflavit quæ pietatis officia præſtanda. 138.1.e
Cadaverum ornamenta varia apud antiquos uſitata, tum Romanos, tum Græcos, tum Hebræos. 139.1.c.d
Cadaveribus Chriſtianis debita pietatis officia qualia, ex Euſebio. ibid.e
Vide *Funus.*
Cadavera defunctorum à quibus ad ſepulturam debeant deferri. 141.1.e
Cadavera decentius ad ſepulturam deferuntur veſtita & cooperta. ibid.2.e
Cadavera licèt ab omni corruptione non poſſint præſervari, diu tamen à putredine liberantur per varia medicamina. 144.1.c.d
Cadavera condiendi varii modi recenſentur apud varias nationes uſitati. ibid. e. & ſeqq.
Cadavera Regum Romanorum quare citiùs putreſcerent, quàm Regum Perſarum. 145.1.c
Cadavera condiendi modus præſcribitur, ut à putrefactione diu præſerventur. ibid. d.e
Cadavera condiendi minori ſumptu modus traditur. ibid.2.d
Cadavera condiendi modus hodiernus. ibid.e.& ſeq.

Caliditas, & Calidum.

Calidiora ab interno principio fiunt ea quæ coquuntur. 161.2.d.& 162.1.b
Caliditatem non poſſe mortem repentinam cauſare, aliquibus rationibus ſuadetur. 105.2.d.e
Caliditas intenſiſſima ſubitò reſolvens ſpiritus vitales, poteſt per accidens eſſe cauſa mortis repentinæ. 106.1.a.b.& ſeq.
Caliditas moderata nos vivificat, immoderata verò per accidens nos occidit. ibid. 2.c.d

Calor.

Calor qui nos vivificat, nos occidit, unde neceſſa

neceſſaria, & inevitabilis eſt mortis naturalis cauſa. 53.1.b.c & ſeqq.
Calorem eſſe extraneum rei quæ putreſcit, aliud eſt; aliud verò quod ſit extra illam. 54.1.c.d
Calori ut tali eſſentiale eſt, quod congreget homogenea, & diſgreget heterogenea; & quod primariò calefaciat, & ſecundariò reſolvat. ibid.2.b
Calor ut inſtrumentum animæ nos conſervat; at ut calor eſt, effectu ſuo ſecundario nos reſolvit, ſiccat, & tandem deducit ad mortem naturalem. 60.2.d.e
Calor ſpirituum vitalium eſt cauſa coadjuvans calidi innati reſolutionem, non tamen inevitabilis, ſicut innatus calor. 61.1.b
Calor ſpirituum vitalium quomodo dicatur fovere calorem innatum partium. 62.1.a
Vide *Spiritus.*
Calor miſcibilium partium juvat ad interitum mixti viventis, licèt inevitabiliter à calido innato corrumpatur. 62.2.e
Vide *Mixtum.*
Calor per ſe agit in frigus, in humidum verò per accidens. 63.2.c
Caloris vitalis defectus poteſt provenire ex quadruplici cauſarum genere. 67.2.d.e
Caloris triplex differentia in noſtro corpore reperitur, & rationibus probatur. 78.1.c.d.e
Calor ille, qui ultra naturalis intenſionem convertitur in igneam naturam, eſt febrilis. 79.1.c.d
Calor febrilis & nativus, licèt non differant ſpecie, differunt tamen modaliter; & hoc ſufficit ut alter lædat operationes, alter perficiat. ibid.d.e
Caloris vitalis repentina extinctio in corde eſt cauſa mortis repentinæ immediata. 79.1.a.b
Vide *Cor.*
Calor vitalis & actuatus, qui ab ſpiritibus conſervatur, poteſt deficere per accidens, ipſis deficientibus, ſine frigiditate poſitiva, à qua corrumpatur. 83.2.e
Calor vitalis ſpirituum ſine frigore corrumpente ſubitò deficere poteſt, ſi ſubitò deficiant ſpiritus. 84.1.b.c.d
Calor non quilibet, ſed naturalis tantùm poteſt eſſe cauſa coctionis, & proportionatus. 157.1.b.c
Calor operatur in noſtris corporibus ut naturalis & perfectivus, aut ut præternaturalis, & corruptivus. ibid.e.d
Calor febrilis quomodo dici poſſit naturalis & proportionatus ſubjecto coquendo. ibid.e
D. Gaſp. Bravo Tract. Miſcell.
Calor in eodem gradu poteſt eſſe reſpectu unius ſubjecti naturalis, præternaturalis autem reſpectu alterius. ibid. 2.a
Calor concoquens proprius rei concoquendæ qualis intelligatur ab Ariſtotele. 157.2.d.e
Calor proprius in omnibus corporis partibus ab Ariſtotele admittitur pro coctione elixationis. 158.1.a.b
Calor naturalis & proprius in quo differant. ibid.c
à Calore ſolo non poteſt fieri unio, & deunio oppoſitorum patibilium in mixtis. 159.1.c.d. & 2.d
Calor unus in eſſe caloris, multiplex eſt in eſſe cauſæ & inſtrumenti. 171.2.e
Calor ratione cauſæ multiplex recenſetur. ibid.
Calor ratione finis alter naturalis, alter præternaturalis, quorum quilibet multiplicitèr ſubdividitur. ibid.& ſeq.
Calor externus, aciditas & acrimonia commovent internum calorem ad fermentationem. 172.1.e
Calor igneus, ex igneis partibus rei fermentatæ maximè ortus & ſuſcitatus, eſt propria cauſa veræ fermentationis. 172.2.b.c
Calor in eſſe caloris à frigore corrumpi petit, in eſſe verò naturalis ab alio calore interit. 177.1.c
Caloris naturalis interitus, an valeat cauſare putredinem, & miſcibilium deunionem. 181.1.c.d.e
à Caloris naturalis interitu præcipuè provenit quod oppoſita patibilia deunientur, & fiat putredo. ibid.2.b.c.& ſeqq.
Calor non fit cauſa putredinis per hoc quod corrumpatur in eſſe caloris, ſed per hoc quod in eo intereat ratio naturalis, & remaneat entitas præternaturalis. 182.1.b
à Calore extraneo interit calor naturalis ut proportionatus, & conſervativus mixti, non ut calor eſt. ibid.e
Calor dupliciter poteſt dici externus. ibid.e
Calor externus alter igneus & uſtivus, alter cum humiditate putrefactivus. 182.2.a
Calor æſtivus aëris ambientis non poteſt cauſare putredinem mixti. 183.1.a.b.c
Calor putredinalis aëris ambientis utplurimùm eſt cauſa putredinis mixti. ibid. d.e
Calor innatus nequit cauſare putredinem. ibid.d.e
Calor præternaturalis internus, & intrinſecus partibus ſolidis non poteſt eſſe

cauſa putredinis. ibid.d.e
à Calore hectico non fit putredo, ſed ſolùm deunio humidi à ſicco. 184.1.a.b
Calor duplex in putredine attenditur. ibid. 2.c
Calor in re putreſcente intenditur ab ejus forma mixta. 192.1.d.e
Calor extraneus ratione humiditatis intenſiorem valet cauſare putredinem. ibid.2.d.e

Capillus.

Capilli & ungues an vivant, & informentur anima: vide in verbo *Pars.*

Catholicus.

Catholici diverſis in locis ſepulturas pro defunctis ſuis pararunt. 133.2.e.& ſeq.
Catholici omnes poſt Bracharenſis Concilii licentiam ſemper defunctos ſuos intra cœmeteria vel Baſilicas, tanquam in aptiori loco ſepelierunt. 134.1.c.d
Catholici defunctos ſuos in cœmeteriis & Baſilicis ſepeliri, honorificum cenſent. ibid.2.a.b

Cauſa.

Cauſæ denegantes repentè tranſitum materiæ requiſitæ pro ſpirituum vitalium generatione in corde, plures referuntur. 81.1.d.e
Cauſæ plures aſſignantur, ob quas mors repentina contingit defectu ſpirituum vitalium, licèt materia pro illis generandis recipiatur in corde. ibid.2.d.e
Vide *Spiritus*, *Cor*, *Calor*.
Cauſæ aliquæ referuntur, ex quibus valent ſpiritus vitales jam geniti diſſipari. 96. 2.d.e
Vide *Spiritus*.

Cedria.

Cedria quid ſit, & unde fiat, & quæ ſit optima. 144.2.c
Cedriæ vis ineſt cadavera diu integra conſervandi. ibid.

Chilus.

Chilus in ventriculo elaboratus per vias lacteas in jecur defertur, ubi in ſanguinem tranſmutatur. 30.2.d.e

Chimici.

Chimici pro primis mixtorum principiis admittentes ſal, ſulphur, & mercurium, aberrant à veritate. 148.1.b
Chimici ſanioris mentis præter chimica principia admittunt etiam in mixtis quatuor elementa. ibid.e
Chimica mixtorum principia analogicè tantùm talia dici poſſunt, non autem prima principia. ibid.2.c.d

Chriſtianus.

Chriſtiana pietas cogit lugere mortuos in infernum damnatos, ſed non reliquos. 140.2.c.d
Chriſtiani in ſuorum obitu campanarum ſono & pſalmorum cantu utuntur, & alias cantilenas rejiciunt. 142.2.c.d

Chryſopœia.

Chryſopœia an ſit ars vera, & realis aurifactoria, diſquiritur, & pro parte affirmativa aliquæ authoritates, & rationes adducuntur. 205.1.c.d. & ſeqq.
Chryſopœia dici poteſt facere aurum quatuor modis, qui proponuntur. ibid.2.b.c
Chryſopœiam docere aurum ex aliis metallis facere, quinque rationibus probatur. ibid.e
Chryſopœiæ profeſſores ad extremam inopiam redacti; unde ſolùm deperditi homines, & impoſtores hanc artem profitentur. 207.1.b.c
Chryſopœia eſt ars tantùm chimærica, in ſolis fallaciis, & impoſturis permanens. ibid.d.e
Chryſopœiæ profeſſorum variæ fallaciæ referuntur, ut ab incautis prævideantur. ibid.& ſeq.
Chryſopœia nequit facere aurum per productionem, nec per metallorum purgationem, nec per eorum tranſmutationem, nec per colorationem. 208.1.b.c. & ſeqq.
Chryſopœiæ ita repugnat aurum verum facere, ſicut cuivis arti tranſmutare repugnat equum in aſinum. ibid.2.e
Vide *Aurum*, *Metallum*.

Cibus.

Cibus ſine quo vivere non datur, manifeſta pleriſque ſolet eſſe mortis repentinæ cauſa. 47.2.e
Cibus & potus coadjuvare poſſunt ad mortem naturalem. 57.1.c.d
Cibus alius craſſus, alius vaporoſus, ſeu aëreus: vide in verb. *Alimentum.*

Circulatio.

Circulatio ſanguinis evidenter & demonſtrativè neceſſaria convincitur ad vitam conſervandam. 31.2.b.c. & ſeqq.
Circulatio ſanguinis in homine neceſſaria, continua, & inevitabilis aſſeritur, contrariéque opinantium rationes diſſolvuntur. 32.1.a.b.& ſeqq.
Circulationis ſanguinis oppugnator Garcia Valentinus Profeſſor in varia incidit diſcrimina, quæ eum à recepta doctrina aberrare coëgerunt. ibid.2.c.d

Coctio.

Coctionis traditur definitio. 151.1.e
Coctionis prima diviſio affertur. ibid.2.c
Coctio propria, ſeu maturatio, quid ſit. ibid.
Coctio triplex à Medicis admittitur à noſtro calore

calore proveniens, & quæ ſint, explicatur. 152.1.d.e.& ſeqq.
Coctionis definitio ab Ariſtotele tradita impugnatur. 153.1.b.c.d. Sed explicatur, & defenditur. ibid.e.& ſeq.
Coctionis definitio Ariſtotelica poteſt aliqualiter adaptari elixationi, & reliquis acceptionibus coctionis. ibid.2.c.d.e
Coctionis genus proximum eſt perfectio. 154.1.b
Coctionis definitio Ariſtotelica propriè convenit maturationi, & adaptatur reliquis coctionibus. ibid.d
Coctio eſt actio, per quam acquirit vivens operationem debitam ſuis operationibus, & in quo conſiſtat ea perfectio. 154.1.e
Coctionis duæ præcipuæ ſpecies referuntur, & an utraque à calore fieri debeat, diſquiritur. 156.1.d
Coctionem etiam à frigore fieri, aliquibus rationibus ſuadetur. ibid.e
Coctio quælibet provenit efficienter à calore in proportionato temperamento exiſtente. 156.2.b.c
Coctionis requiſita duo recenſentur. ibid.e
Coctio à calore naturali tantùm fieri poteſt. 157.1.b.c
per Coctionem calidiora fiunt ea quæ coquuntur. 161.2.d
per Coctionem tenuiora fieri ea quæ coquuntur, aliquæ ſuadere videntur experientiæ. 162.2.d.e
Coctione incraſſantur ea quæ coquuntur. ibid.1.e. & ſeqq.
Coctio alia propriiſſima, alia minùs propria, quarum utraque ad maturationem accedit. 163.1.d
Vide *Craſſities.*
Coctio in re coquenda quibus ex cauſis deficiat 164.1.a
Coctum ſemel licèt poſſit regredi ad prægreſſam deunionem cum ſicco, non tamen ad prægreſſam cruditatem in ſpecie. ibid.c.d
Coctio, & putredo, an ſimul, & eodem tempore dentur in morbo ſalubri circa cauſam morbificam. 185.1.& 2
Coctio etiamſi ſit ſecunda qualitas, eſt contraria putredini, & incompatibilis cum illa. 186.1.a.b.c
Coctio in ſalubri febre putrida humorali ab ipſo principio putredinem emendat. ibid.2.d.e
Coctio & putredo ſucceſſivis temporibus poſſunt fieri circa eandem materiam in eadem febre. 187.1.c.d
Coctio & putredo juxta diverſas partes materiales poſſunt ſimul compati circa eundem humorem in febre putrida ſalubri, in qua manifeſta apparent ſigna coctionis, & putredinis. ibid.e.& ſeqq.

Cælum.

Cœli non vivunt, illiſque vitam tribuens opinio damnata in Concilio Conſtantinopolitano. 2.2.a.e
nec Cœlum, nec ejus forma poſſunt producere animas vitam præſtantes. 27.2.b
Cœli non ſunt omninò cauſa neceſſaria & inevitabilis mortis naturalis, coadjuvant tamen ſæpe cauſas ejus neceſſarias. 60.1.c.d
Vide *Aſtra.*

Conclamare.

Conclamare magnis vocibus mortuos fuit in uſu apud antiquos, & quare. 138.2.b.c

Convivium.

Convivia apud antiquos in uſu fuere in honorem defunctorum, & à Concilio Carthaginenſi prohibita. 143.2.b.e
Vide *Funus.*

Cor.

Cor eſt præſtantior noſtri corporis pars pro vita conſervanda, ſine cujus læſione nequit ſupervenire mors. 74.2.e
Cor præter intemperies varias omnium qualitatum, valet infeſtari per morbos in ſoluta unitate, & in mala conformatione. 75.1.d
Cordis malè affecti variæ obſervationes referuntur. ibid.e
Cor varios morbos pati poteſt per conſenſum cum aliis partibus. ibid. 2.b.c
Cordis ſeptem diſtinctæ operationes & facultates referuntur. 76.1.a.b
Cordis vitalis facultas aliis omnibus eſt præſtantior; quod rationibus probatur. ibid.2.b.c
Cordis vitalis facultas duplex recenſetur. ibid.e. & ſeq.
Cordis potentia præſtantior vitalitatis eſt facultas concoctrix. 77.1.b.c
Cor qua ratione vocetur pars princeps & principium vitalitatis in corpore. ibid. 2.b
Cordis aliæ facultates proponuntur, quæ etiam vitales dicuntur. ibid.2.e
Cordis concoctrix facultas impediri poteſt in omni morborum genere repentè, ſi repentè magni ſuperveniant morbi, ne poſſint ſpiritus vitales generari impedientes. 81.1.b
Cor vita ſuperſtite nullum poſſe pati morbum, ex quo labefactetur ejus concoctrix facultas, ita ut nequeat ſpiritus generare, aliquibus rationibus ſuadetur. 82.2.b.c.d

Cor plures poſſe pati morbos, vita ſuperſtite, per quos patiatur ejus concoctrix facultas, aſſeritur. ibid.e. & ſeq.
Cordis morbi, ſi magni fiant, nequit diu perſiſtere vita, ob ejus principalitatem. 83.1.e
Cordis ſtructura juxta anatomicam enarrationem proponitur. 88.1. & 2
in Cordis cavitatibus & vaſis accidunt obſtructiones, quæ per ſubitam ſuffocationem extinguentes vitalem calorem mortem repentinam cauſant. ibid. 2. e. & ſeq.
Cordis conſenſus cum variis partibus, propter quem variè affici poteſt, deſcribitur. 90.2.e.& ſeq.
Cordis malè affecti ob conſenſum cum aliis partibus, variæ obſervationes referuntur 91.1.b.c
Cordis motus involuntarius eſt, & omnino diſtinctus à motu locali animali. ibid. 2.d.e.
Cordis motum pertinere ad facultatem animalem lucomotivam, omninò falſum aſſeritur. 91.2.b.c.& 92.1.c
Cor perfectiori modo percipere objecta omnium ſenſuum, quàm ipſam phantaſiam, & quàm omnes ſenſus externos; tenuit Fracaſtoruis contra receptiſſimam omnium Philoſophorum doctrinam. 97.2.d.e
in Cordis potentiis ponitur aliquid reale objectivum per phantaſiæ cognitionem, quod cogit ad illius proſequutionem, aut averſionem. 98.2.a.b

Corpus.

Corporis humani partes variæ enumerantur, & diſtinguuntur. 21.1.e. & ſeqq.
Corporis humani partes ſecundæ conſtitutionis non informantur anima in aliquo gradu vitæ. 22.1.d.e
Vide *Pars.*
Corporis ſubſtantia ſpirituoſa ex aëre nutritur. 28.2.d.e

Craſſities.

Craſſities major neceſſariò ſubſequitur in oppoſitis patibilibus, in quibus per coctionem fit illorum perfectio. 162.1.e
Craſſiora fiunt ea quæ coquuntur, præter ea quæ à remiſſiori calore coquuntur. 163.2.b.c.

Cruditas.

Cruditas quid ſit, & quid crudum. 163.2.d.e
Cruditatis definitio traditur. 164.1.a
Cruditatis ſtatus quis ſit. ibid.b
Cruditas naturalis, & præternaturalis unde fiant. ibid.e

D

Deunio.

Deunio aquei humoris à terreo in oppoſitis patibilibus, an ſit ratio eſſentialis, & differentialis conſtitutiva putredinis, diſquiritur. 179.1.c.d
Deunionis humidi à terreo in oppoſitis patibilibus plures cauſæ dantur. 180. 1. c.d.e
Deunionis miſcibilium cauſa an ſit interitus proprii caloris, diſquiritur, & pars negativa aliquibus rationibus ſuadetur. 181.1.c.d.e

E

Ebrietas.

Ebrietas quid ſit, & quæ ad eam eum vino coadjuvent. 220.2.d.e
Ebrietatis variant accidentia juxta prædominantem humorem in ebrio. ibid. & ſeq.
Ebrietas formalis & voluntaria abominandum eſt vitium, turpiſſimum, homine rationali indignum, in ſacra Pagina damnatum, & à Catholicis Doctoribus. 221.1.b.c.d
Ebrietatis mala deſcribuntur ex D. Auguſtino. ibid.d
Ebrietas præter animæ detrimentum plura etiam corporis incommoda cauſat. ibid. e.& ſeq.
Ebrietas plurium morborum, & mortis etiam cauſa. ibid.2.c.d
Ebrietas tanquam turpiſſimum, abominandum, & indecorum vitium ab omnibus eſt fugienda. ibid.e.& ſeq.
Ebrietas materialis tanquam remedium ad ſanitatem conſequendam licet aliquibus. 222.1.b.c.d
Ebrietas materialis nec ſcandaloſa, nec incivilis eſt. ibid.e
ad Ebrietatem vitandam politica, & phyſica proponuntur remedia. ibid.2.a.b.c
Ebrietati manifeſtis viribus plura opponuntur. ibid.d
Ebrietatem fugare valent quæ à proprietate dicuntur vini odium cauſare. ibid.e

Elementum.

Elementa quæ homini ſunt prima principia ad eſſe, mortis ejus ſunt communiſſimæ cauſæ. 44.2.a & ſeqq.
Elementa à Chimicis conficta, in quibus aſſerunt eſſe virtutes omnium rerum productivas, rejiciuntur. 149. 1. a. b. & ſeqq.
Elementa qualiter in mixtis remaneant, juxta

juxta antiquos Philoſophos. ibid. 2. d.e. & ſeqq.

Elementorum formæ non remanent in mixtis, ſed ſola forma ſubſtantialis mixta. 150.1.d.e

Elementorum formas virtualiter eminenter continet forma mixta. ibid.2.c.d

Elementorum omnium materiæ debent eſſe ſub qualibet forma mixta debitè commixtæ. 151.1.b.c.d

in Elementis commixtis, & imperfectioribus mixtis ſuo modo apparet fermentatio. 168.1.a.b.& ſeqq.

Elementorum partes materiales an in fermentatione commoveantur, inquiritur. 169.2.c.d

Elementorum partes materiales ad ſenſum patet commoveri in aliquibus fermentationibus verſus omnes poſitionum differentias. 170.1.d

Elementorum materiales partes ſunt in mixtis ſine propriis formis, ſed informatæ per formam mixtam. ibid.2.d.e

Elixatio.

Elixatio alia fit ab arte, ut alimenta præparentur, & fiant aptus cibus; alia fit à natura intra noſtrum corpus. 152.1.b

Elixatio provenit efficienter à calore naturali in debito temperamento coëxiſtente. 156.2.c

Elixatio à naturali & proportionato calore fit, etſi à præternaturali ſpirituum calore adjuvetur. 157.2.e

Vide *Coctio*.

Elixatio fit per calorem proprium, & coaptatum ad alimentum coquendum. 158. 1.a.b.e

Elixatio maximè neceſſaria in omni vivente pro alimenti præparatione in uſum nutritionis. 159.2.e

Elixatio & aſſatio perficiunt alimenta, ut nutrire poſſint, & vivens perficere, diverſo tamen modo. 163.1.d

Elixatio alia perfecta, alia imperfecta, & quomodo fiant. ibid.e.& ſeq.

Ens.

Entia naturalia fieri ex atomis fortuitò commixtis, opinio impia. 147.2.c.d

Vide *Mixtum*.

Epilepſia.

Epilepſiâ mortui quando ſint ſepeliendi: vide in verbo *Apoplexia*.

Ethnicus.

Ethnici plures pro aliis vitandis miſeriis mortem elegerunt: ubi circa id varia eorum memorabilia dicta. 14.1.a.b

Ethnicorum fatuitas fatum admittentium convincitur. 15.1.b.c.d

Evacuatio.

Evacuationes non ſunt deducendæ uſque ad extremum, ex Hippocratis & aliorum præceptis. 95.2.e

Evacuationibus ſemper prius finis imponi debet, quàm vires deficiant. 96.1.d.e

Eunuchus.

Eunuchi arte facti quadruplicis generis referuntur, qui à matrimonio contrahendo excluduntur per Motum Sixti V. propter impotentiam ad generandum. 39.2.c.d

Excrementum.

Excrementorum genus duplex recenſetur quæ cum embryone in utero colliguntur, & inſtante partu expurgantur. 225.2.c.d

Vide *Lochia*.

Exercitium.

Exercitium, & quies mortem naturalem accelerare valent. 57.1.a.b

Exercitii utilitates proponuntur, & quod non poſſit eſſe cauſa mortis repentinæ, aſſeritur variis Medicorum authoritatibus adductis. 114.1.b.c.& ſeqq.

Exercitium immoderatum ac violentum repentinam mortem valet inducere. ibid.2.b.e

Exercitium aliud naturale tantùm, aliud aliquid artis habens adjunctum. ibid.

Exercitium moderatum utile vitæ, ſecus verò immoderatum. 115.1.b

F

Facultas.

Facultates vitales quænam ſint in phyſico rigore. 78.1.c

Vide *Cor*.

Facultas conformatrix mixti viventis principaliter efficit unionem in oppoſitis partibilibus medio naturali calore in maturatione. 159.1.b.c

Facultas concoctrix concurrit tanquam agens principale ad unienda oppoſita partibilia in elixatione. ibid.2.c.d

Facultas concoctrix utitur tanquam inſtrumento proprio viventis calore in elixatione. 160.1.b

Facultas quid ſit, & ex quarum formarum ſinu educantur facultates. 223.1.d

Vide *Operatio*.

Fames.

Fames violentæ mortis repentinæ pluribus fuit cauſa manifeſta. 48.1.c.d

Febris.

in Febre putrida ſalubri, in qua ſunt ſimul manifeſta ſigna coctionis & putredinis, coctio & putredo fiunt circa di-

verſas partes materiales ejuſdem humoris. 187.1.c.& ſeqq.
in Febris putridæ ſtatu ſimul eſt intenſior putredo, & morbus benignior. 188. 2. a.b.
Febris diaria ex ebrietate orta, quomodo dignoſcenda, & curanda. 223.1.b

Fermentatio.

Fermentationis nomine quid intelligatur à Spagyricis. 164.2.c.d
Fermentatio delirans. ibid.d
Fermentatio ad varias à variis trahitur acceptiones. 165.1.b.c
Fermentatio in communi quid ſit, & quomodo poſſit variis acceptionibus adaptari. ibid.1.e
Fermentatio in communi alia fit à natura, alia ab arte. ibid.2.a.b
Fermentatio naturalis alia fit à fermento proprio rei fermentatæ, alia ab extrinſeco. 165.2.c
Fermentationis naturalis explicatio magis accurata juxta veterum placitum. ibid. d.e.& ſeq.
Fermentationis naturalis propriè acceptæ vera definitio traditur, & per particulas explicatur. 166.1.d.e
Fermentationem non differre à coctione & putredine, rationes aliquæ ſuadent. ibid.2.d.e
Fermentatio eſt diverſa mixtorum proprietas ac coctio, & putredo. 167.1.a.b. & ſeq.
Fermentatio & putredo poſſunt eſſe ſimul, & varios effectus cauſare circa diverſas partes mixti. ibid.1.e
Fermentatio differt à putredine & corruptione ratione cauſæ, & modi alterationis. ibid.
Fermentatio etiam ſuo modo reperitur in commixtis elementis, & imperfectioribus mixtis. 168.1.a.b. & ſeq.
Fermentatio etiam reperitur intra microcoſmum. ibid.1.b.c
Fermentatio etiam ad medicamenta, & medicas præparationes ſuo modo extenditur. ibid.2.e
Fermentatio apud Spagyricos quid ſit, & in quo conſiſtat. 169.1.c
Fermentationis extenſa acceptio inter nuperrimos. ibid.d.e
Fermentationis prima origo, & quibus in rebus vera, & conſpicua appareat fermentatio. ibid.2.a.b
Fermentatio omnis vera conſiſtit in effervescentia & commotione partium materialium elementorum. 170.1.a.b
Fermentatio mixtis nimis compactis aſſeritur neceſſaria, qua levigentur, & rarefiant. 171.1.c.d
Fermentationem non poſſe fieri à calore rationes aliquæ ſuadent. 172.1.c.d
Fermentationis veræ propria cauſa quænam ſit, oſtenditur. ibid.2.b.c
Fermentatio naturalis ab acido fovetur, & ſuſcitatur. 174.1.b.c

Fletus, & Flere.

Fletus eſt lacrymarum effuſio à variis proveniens cauſis. 139.2.b
Fletus multiplex recenſetur. ibid.
Fletus ut ſic convenit cum mœrore, planctu, & luctu: partim verò ab illis differt. ibid.
Fletus ex variis provenire poteſt cauſis. ibid.e
Fletus verus à multis ob ſuorum obitum effuſus. 140.1.a
Flendum non eſſe pro mortuis, aliquibus rationibus ſuadetur. ibid.b.c
Fletus pro mortuis pro conditione humanitatis effuſus ab antiquis & noſtris. ibid. d.e. & ſeqq.
Flendi mortuos varii modi apud antiquos, & quomodo à Romanis præſcriptus. ibid.1.e
Fletus pro damnatis mortuis tantùm à Chriſtianis effundendus. 140.2.c.d
Fletus pro mortuis humanæ pietati permiſſus, temperandus in modo, tempore, & intenſione paſſionis. ibid.e.& ſeq.
Fletus viris apud Lycios non licebat, niſi veſtitis veſtibus mulierum. 141.1.c

Focus.

Focus putredinis quid ſit. 189.1.c.d
Focum putredinis diverſum variæ opinantium ſortes aſſignant. ibid.2.a.b.& ſeqq.
Focus putredinis fit ab humore ſuperfluo quomodocumque redundante in aliqua corporis parte. 190.1.a.b
Focus putredinis febrium humoralium, ſi ſunt continuæ, eſt intra vaſa maiora; ſi ſunt intermittentes, eſt in partibus carnoſis tertiæ regionis, aut in primæ regionis officinis. ibid.c.d.e
Focus putredinis ſæpe fit in ventriculo, corde, aut cerebro in febribus intermittentibus pernicioſis. ibid.2.b
Focum putredinis in febribus lentis intra viſcera ſæpe contingit fieri. ibid.c
Focus putredinis poteſt fieri in variis partibus in febribus lentis. 191.1.b.c

Fœmina.

Fœmina verè talis à natura edita nequit virtute naturali in virum transmutari. 198.2.c.d
Fœminæ generatio verè intenditur à natura. ibid.& p.200.1.e
Fœminas plures in viros fuiſſe mutatas, fallaci

fallaciter creditum. 199.2.a.b. & p.200. s.e

Fœmina Antuerpiæ cum propria nympha monſtruoſè plures alias exercuit. ibid.e

Fœmina non eſt dicenda monſtrum. 200. 1.e

Fœtor.

Fœtor mortis repentinæ ſignum evidens, & præter eum nullum aliud. 128.2.c.& 129.1.a.b

Forma.

Formæ viventes unde educantur, variè ab antiquis opinatum eſt. 6.1.b.c.& ſeqq. Vide *Anima.*

Formam educi de potentia materiæ in quo ſtat. 7.1.d

Formæ viventes materiales latent tanquam in ſuis ſeminariis in elementis, ob obedientiales eorum potentias ad recipiendas formas ſubſtantiales mixtas. 7.2.b

Formæ omnes viventes permanent in Dei potentia, tanquam in virtute cauſæ à qua producuntur. 8.1.a

Forma quæ per ſuam eſſentiam dat eſſe rei, per ſuas qualitates poteſt illam reſolvere. 54.2.c

Forma mixta nequit informare niſi corpus mixtum compoſitum ex materiis omnium elementorum. 62.2.a

Forma hominis naturâ ſuâ eſt immortalis, cui debetur perpetua duratio. 65.2.d.e

Forma hominis ſeparata per mortem, & à corpore deunita permanet, & ſubſiſtit. ibid.& ſeq.

Forma ſubſtantialis mixta virtualiter eminenter continet elementorum formas, & per iſtam virtualem continentiam valet producere illorum qualitates in eadem intenſione, ac producerent ipſæ formæ elementorum. 161.2.e

Forma ſubſequens priorem formam, à qua producebantur operationes occultæ, ſæpe producit eaſdem. 225.1.d.e

Frigiditas.

Frigiditatem non eſſe cenſendam inter cauſas mortis repentinæ, aliquibus rationibus probatur. 106.2.e. & ſeq.

Frigiditas intenſiſſima repentè ſuperaddita, extinguit ſubitò nativum calorem, & vitales ſpiritus, & valet repentinam mortem cauſare. 107.1.e

Frigiditate nimia plures periere. ibid.2.c. d.e

Frigiditatis nimiæ effectus. ibid.& ſeq.

Frigiditati non ineſt tanta vis nocendi frigoris rigorem paſſis. 108.1.b

Frigiditas non eſt propriè cauſa putredinis, ſed tantùm per accidens. 191.1.a.b

Funus.

Funebris apparatus duplex, cenſorius alter, alter mediocris, tum apud antiquos, tum ſeculo noſtro. 141.2.b.c

Funus cenſorium ac celebre magno fiebat apparatu, ut conſtat ex funere Syllæ. ibid.c.d.& ſeq.

Funebris apparatus Cenſorius diſplicuit etiam Ethnicis. 141.1.c.d

in Funere variorum muſicorum inſtrumentorum uſus antiquis placuit. ibid.2. b.c

in Funere Chriſtianorum campanarum uſus à Concilio Toletano admiſſus, tibicinum verò excluſus. ibid.c.d

in Funere, & poſt funus varia ab antiquis uſitata in honorem defunctorum. 143.1. c.d.& ſeqq.

Vide *Sepultura, Ludus, Convivia, Muſica.*

G

Gaudium.

GAudium quid, & quotuplex, & unde proveniat. 101.2.d.e

Gaudere & lætari in quo differant. ibid.

Gaudium non videtur poſſe eſſe cauſam mortis repentinæ. ibid.& ſeq.

Gaudium nimium repentè ſuperveniens, repentinæ mortis poſſe eſſe cauſam, multis hiſtoricorum enarrationibus, & rationibus probatur. 102.1.d.e.& ſeqq.

Generatio.

Generatio largo modo ſumpta communis viventi, & non viventi. 2.2.e

Generatio viventium alia à cauſa univerſali, alia à facultate generativa ſub vegetativo gradu. 3.1.a

H

Hæreticus.

HÆretici in ſepeliendis defunctis ſuis malunt aſſentiri Judæis, quàm Catholicis. 134.1.a.b

Vide *Sepulchrum.*

Homo.

Hominis encomia varia referuntur, unde vitam illius felicem eſſe inferri poteſt. 11.2.e

Homo poſt Adami lapſum omni miſeriarum generi ſubjicitur per totius vitæ decurſum. 12.2.c.d. & ſeqq.

Hominis miſeriæ à ſacris & profanis Scriptoribus depictæ juxta varias ejus ætates. ibid.

Homo ab ipſo ortu totus morbus eſt, juxta Democritum, & alios antiquiores,

& recentiores. 13.1.e.d
Homo deſtinatus ad ſummas conſequendas fœlicitates, poſt Adami lapſum maximis permanſit ſubditus miſeriis. ibid.e
Homo non habet vitam per animam omnibus hominibus communem, nec per ſolam animam ſenſitivam. 19.1.a.b.c.d
Homo quilibet informatur & vivit per ſolam animam rationalem informantem per gradum rationalem. 19.1.e.& ſeqq.
Homines ex occultatione teſtium arte facta non fiunt impotentes ad generandum. 37.1.d.e.& ſeqq.
Homioibus ab Herniſtis occultatione teſtium curatis non ſuperveniunt ſigna eunuchorum, unde convincitur potentes remanere ad generandum. 38. 1. e. & 2.c.d
Homines eunuchi fiunt quadrupliciter, & impotentes ad generandum. 39.2.c.d
Homines frigidi cenſendi non ſunt ex occultatione teſtium à natura. 40.1.e
Homines ab Herniſtis curati teſticulorum occultatiooe, habiles remanent ad matrimouium contrahendum, & generandum. 41.1.c.d

Humiditas, & Humidum.

Humiditatem poſſe eſſe cauſam efficientem putrediois ſuadent aliquæ rationes. 192.2.b.e
Humiditas eoadjuvat ad putredinem cauſandam. ibid.d.e
Humiditas nequit eſſe cauſa efficiens putredinis, ſed coadjuvat deunionem in oppoſitis patibilibus. 193.1.a.b
Humida intemperies an valeat ſubitò mortem inducere: vide in verbo *Qualitas*.

Humor.

Humores corrupti & venenoſi, quomodo valeaot mortem repentinam cauſare. 93.1.c.d
Humorum pravitas remiſſa compatibilis cum vita, intenſa verò incompatibilis. ibid.2.e
Humorum pravitas in principio remiſſa ad inteoſiurem quandoque tranſit corruptionem, & omnimodam perniciem cum vita incompatibilem. ibid.
Humores crudi quinam à medicis dicantur. 163.2.e
in Humoribus etiam fermentatio reperitur, quam orgaſmum vocat Hippocrates. 168.2.c.d
Humores intra corpus ſemper putreſcunt à cauſa illis externa, & quomodo hoc contingat. 184.1.b.e
Humores dum in morbo ſalubri putreſcunt, an ſimul coquantur, inquiritur. 185.1.b.c.& ſeqq.
Humor ſuperfluus coctioni ineptus, quocumque modo redundet in aliqua corporis parte aggregatus, putredinis focum efficit, febremque putridam concitat. 190.1 a.b
Humor dum paulatim intra viſcera aggregatur, aut imperfecta criſi illuc tranſmittitur, ſæpe ibi fit fucus putredinis in febribus lentis. ibid.2.c.d
Humor putreſcens febrem humoralem cauſans, ſi ſit ſanguini commixtus, non petit expurgari ad cohibendam putredinem. 193.2.d.e
Humoris vitium quandoque indicat ſanguinis miſſionem, aliàs verò purgationem. 194.1.c.d
Humor incipiens putreſieri regulariter eſt ſanguini commixtus, unde non petit purgari. ibid.e
Humor cacochymus in principio febris putridæ ſtatim venit purgandus, ſi turgeat, aut urgeat. ibid.2.a.b
Humor cacochymus ſtatim purgandus, non expectata coctione. 195.1.e
Humores variis modis ſeparantur à ſanguinis commixtione, & ſimul fiunt cacochymi. ibid.2.a.b.e

Hyſterica Affectio.

Hyſterica affectione mortuæ qnando ſint ſepeliendæ: vide in verbo *Apoplexia*.

I

Ignis.

IGnem, aut ejus aliquam ſubſtantiam eſſe brutorum formam, repugnat veræ Philoſophiæ, & rationi. 8.2.e

Indiviſibile.

Indiviſibile ſubſtantiæ poteſt correſpondere virtuti diviſibili, licèt ſecus de indiviſibili quantitatis. 14.2.b

Inflammatio.

Inflammatio viſcerum ſi tanta ſit, ut purgationem ſtatim in principio exercendam impediat, recurrendum eſt ad ſanguinis miſſionem. 196.2.b
Vide *Purgatio.*

Ira.

Ira quid ſit, juxta varios Authores. 99. e. & ſeq.
Ira pro formali, & pro materiali conſiderari poteſt. 100.1.b
Iræ varii modi referuntur. ibid.c.d
Iram non debere inter cauſas mortis repentinæ numerari, aliquibus rationibus ſuadetur. ibid.e
Ira vehementiſſima omnium morborum, & mortis poteſt eſſe cauſa. 100.2.a.b
ex Iræ commotione pro materiali poteſt

ſubſequi extinctio vitalis caloris, & cauſa mortis repentinæ. 101.1.c.d
in Ira pro materiali duplex eſt motus ſanguinis, & ſpirituum concitatio. ibid.
ex Iræ paſſione plures mortui recenſentur. ibid.d.e
Ira paſſio animi eſt, quæ ſi moderata, utilis eſt vitæ; immoderata verò & vehemens, plures morbos, & mortem repentinam valet cauſare. 101.2.b.c
Ira quid ſit, aperitur. 213.2.e.& ſeq.
Iræ ſigna quæ ſint, & cauſæ efficientes, & coadjuvantes referuntur. 214.1.b.e
Iram affectum incurabilem eſſe plures rationes ſuadent. ibid.c.d
ex Ira multi periere. ibid.e.& ſeq.
Ira dum non progreditur ultra naturales terminos, quomodo curanda. ibid. 2.d
ex Ira incurabiles morbi, & alia multa mala ſubſequuntur. 214.2.c
Ira in furorem abiens an & quomodo curari poſſit. ibid. 2.e. & 215. 1. a. b. & ſeqq.
Iræ furor unde proveniat, & quibus remediis attemperandus. 215. 1. d. e. & ſeqq.

L

Labyrinthus.

Labyrinthi plures pro Regum ſepulchris ædificati referuntur. 136. 1.e. & ſeq.
Labyrinthus inextricabilis à Porſena Hetruriæ Rege conſtructus. ibid.2.b

Lachryma.

Lacryma quid ſit. 139.2.b
Lacrymæ à naturali pietate ortæ pro mortuis effuſæ, ab Ambroſio prohibitæ non ſunt. 141.1.d
Vide *Fletus*.

Lapis.

Lapides ſi quando augentur, quomodo augeantur. 3.1.6
Lapides generantur à cauſis univerſalibus, non à ſuis ſimilibus. ibid.c.d
Lapides pluribus fuerunt ſubitæ mortis cauſa. 45.1.a.b.d

Lavare.

Lavare mortuos in uſu fuit apud plures nationes. 138.2.e
Lavandi mortuos uſus in primitiva Eccleſia. 139.1.a

Lipothymia.

Lipothymia primus gradus mortis repentinæ occultæ, quid ſit juxta Hippocratem & Galenum. 66.2.b.e
Lipothymiæ definitio, ejuſque à ſyncope diſcrimen proponuntur. ibid.d.e
Lipothymiæ proxima & immediata cauſa eſt defectus caloris vitalis, qui petebat communicari ab ſpiritibus vitalibus cordi & reliquis corporis partibus. 67.2.a.b
Lipothymia quibus ſignis differat ab aliis affectibus, oſtenditur. 68.1.b.e
Quomodo differat à ſyncope. ibid.
Lipothymiæ cauſa quibus ſignis manifeſtetur, oſtenditur. ibid.2.c.d.e
Lipothymiam pendere à cauſis per eſſentiam, aut per conſenſum, quænam ſigna oſtendant. 69.1.a.b.& ſeqq.
Lipothymiæ certa prognoſis ex quibus principiis deſumi poſſit. 70.1.c.d
Lipothymiæ aliquæ indicationes curativæ proponuntur, & unde deſumantur. 70.2.e.& ſeq.

Lochia.

Lochia quid ſint largo modo ſumpta, & quid propriè. 225.2.c.d
Lochiorum retentio in puerperis cauſa ſit plurium morborum. ibid.
Lochiorum origo prima unde incipiat. ibid.e
Lochiorum quæ quantitas evacuanda, & per quantum tempus. 226.1.a.b
Lochia quænam ſanam futuram puerperam ſignificent, quænam verò malè affectam: & qui morbi ex eorum retentione oriantur. ibid.c.d.& ſeq.
Lochiis retentis unde ſanguis mittendus in puerperis, juxta antiquorum, & juniorum opiniones. 226.2.b.c.& ſeqq.
Lochia in utero retenta quorum ſint origo morborum; quænam verò cauſent, ſi ad ſuperiores partes refluant. ibid.2.e. & ſeq.
Lochiis diminutis, vel occluſis, aut in parte ſuperiori firmatis, morbumque lethalem foventibus, & augentibus, quomodo celebranda ſit ſanguinis miſſio in puerperis. 227.1 a.b.& ſeq.
Lochia plenitudinem facientia in utero ſanguinis miſſionem indicant ex talo, ex brachio verò ſi in partibus ſuperioribus plenitudinem cauſent. 228.2.a

Loquela.

Loquela animantibus omnibus præter hominem

hominem penitus denegata. 213. 1. b.e
Loquela quid ſit, & quomodo differat à voce. ibid.c
Vide *Bruta*, *Vox*.

Ludus.

Ludi funebres varii pro mortuorum honore ſolebant exerceri à gladiatoribus antiquitus, & non ſolùm à viris, ſed etiam à fœminis variis veſtibus indutis. 143.2.d.e
Vide *Funus*.

Lux.

Lucis quidditas & præſtantia præ reliquis qualitatibus aperitur. 209.2.b.c
Lux virtute ignis prodiens, an ſaltem quaſi conſopita in mixtis corporibus inveniatur, diſquiritur. ibid.d.e
Lucem igneam in mixtis corporibus non reperiri, aliquæ rationes ſuadent. 210. 1.a.b
Lux ignea reperitur in mixtis foſſilibus, lapidibus, vegetabilibus, animalibus terreſtribus, reptilibus, inſectis, & avibus. ibid.c.d.& ſeqq.
Lux ignea in carnibus in macello emptis Monſpelii de nocte apparuit. 211. 1. b.e
Lucem igneam poſſe è mixtis erumpere, & viſibiliter apparere, rationibus ſuadetur. ibid.1.a.& ſeqq.

M

Mas.

Marem & fœminam non ſpecie, ſed accidentaliter tantùm differre aſſerendum eſt. 297.1.b.c
Vide *Transmutatio*, *Vir*.

Maturatio.

Maturatio provenit efficienter à proprio calore in proportionato temperamento coëxiſtente. 156.2.c
Vide *Coctio*.
Maturatio fructuum à proprio & naturali calore fit, etſi adjuvetur à calore ſolis, aut palearum. 157.2.b

Medicamentum.

Medicamentum purgans exhibendum eſſe in principio cujuſlibet febris putridæ, aliquæ rationes ſuadent, quæ proponuntur. 193. 2.a.b
Medicamenta purgantia quantum ex accidenti lædant, vide. *Pharmacum*.

Medicina.

Medicinam nullam opem præſtare poſſe ad vitam hominum prolongandam, variis opinionibus aſſeritur. 14. 2. b. & ſeqq.
Medicinæ uſus neceſſarius aſſeritur contra fatum, & fatuitatem Ethnicorum. 15.1.b.c.d
Medicinæ neceſſitati non obſtant Dei decreta vitæ terminum præſcribentia. ibid. 1.e
Medicina nequit naturalem interitum vitare; poteſt tamen illum retardare, & vitam corporalem prolongare. ibid. 2.b.e
Medicina etiam poſt hominis mortem ſolitæ pietatis ſuæ munera proſequitur. 127.1.a b

Medicus.

Medicus vitæ terminum prolongare poteſt, interitum tamen naturalem nequit impedire. 16.1.d.e.& ſeqq.

Metallum.

Metallum quid ſit, & quot ejus ſpecies. 203.1.b.e
Metallorum cauſa materialis & efficiens quæ ſint. ibid.d.e
Metalla non poſſe augeri, nec extra terram generari, aliquibus rationibus ſuadetur. ibid.e.& ſeq.
Metalla poſſunt extra terræ viſcera augeri, & inſtar arborum produci. ibid.2. c.d
Metalla non ſemper in profundis terræ viſceribus generantur, ſed ſæpe circa ſuperficiem. 204.2.d.e
Metalla nequeunt per alchimiam commutari, quamvis illis ſimilia fieri poſſint. 206.2.d
Vide *Aurum*, *Chryſopœia*.

Metus.

Metus quid ſit, & qui ejus comites. 104. 2.b.c.d
Metus alius levis, alius gravis. ibid.e
à Metu vehementi, & ejus comitibus poteſt contingere mors repentina ratione paſſionis animæ pro materiali: quod Authoribus, obſervationibus, & ratione probatur. 105.1.b.c.& ſeqq.

Mixtio, & Mixtum.

Mixtorum non viventium interitus naturalis cauſam non eſſe commixtionem partium materialium elementorum, aliquibus rationibus ſuadetur. 61.2.b.c
Mixtum vivens licèt inevitabiliter corrumpatur

rumpatur à calido innato, juvat tamen partium miſcibilium calor ad ejus interitum. ibid.2.e

Mixtorum non viventium interitum naturalem inevitabiliter cauſant mixtæ viventium partes. 63.1.b.c

Mixta aliqua ita ultra modum redduntur compacta, ut indigeant fermentatione. 171.1.c.d

Mixta omnia quæ fiunt, non ſemper conformantur in naturali ſtatu. ibid.2.c.d

Mixta præcipuè viventia per formam quæ dat eſſe rei, ſimul cum eſſe non recipiunt totam perfectionem requiſitam pro operationibus ſuis. p.146

Mixtio quid ſit, juxta Ariſtotelem. 147.1.d. & 149.2.d

Mixtorum prima principia quæ ſint, inquiritur, & variæ opiniones referuntur. ibid.e.& ſeq.

Mixta, & omnia entia naturalia fieri ex atomis fortuitò commixtis, opinio impia, & quolibet homine rationali indigna, & inſufficiens. ibid.2.c.d

Mixtorum principia à Chimicis admiſſa analogicè tantùm talia dici poſſunt, non autem prima principia. 148.2.c.d

Mixta fiunt ex quatuor elementis, tanquam ex primis principiis & miſcibilibus. 149.1.a.b

Mixti forma virtualiter eminenter continet elementorum formas. 150.2.c.d

Mixtum cùm dicatur perfici per coctionem, in quo conſiſtat ea perfectio, diſquiritur. 154.1.e.& ſeqq.

Mixta viventia producuntur cum excedente humiditate, petuntque coctione perfici ad agendum. 155.2.b.c

Morbus.

Morbi tres recenſentur, in quibus ſolent ægri ad eum ſtatum pervenire, in quo etiam ab ipſis Medicis ſoleant pro mortuis reputari. 130.1.d

Morbi aliqui novi poſſunt in aliqua regione apparere antea penitus incogniti. 219.1.c.d

Morbi aliqui poſſunt in aliqua regione oriri ob peculiares cauſas; qui tamen in aliis regionibus ſupervenire non poſſunt, niſi communicentur per contagium. ibid.2.c.d

Morbus quotuplicitet lædere poſſit actiones noſtras: vide *Actio.*

Morbus Gallicus.

Morbi Gallici nomenclaturæ variæ referuntur. 217.1.c.d

Morbi Gallici variæ proponuntur diffinitiones, variaque ſymptomata referuntur. ibid.c. & ſeq.

Morbus Gallicus Indis endemius, quandonam primùm apud Europæos apparuit. ibid.2.d.e

Morbum Gallicum antiquum eſſe, & per omnes regiones cognitum, aſſerunt aliqui. 218.1.a.b

Morbi Gallici antiquitas rationibus aliquibus ſuadetur. ibid.c.d

Morbum Gallicum ex immoderato coïtu, ſine omni contagio, provenire poſſe contendit Zacutus. ibid.c.& ſeq.

Morbi Gallici prima origo in Europa quæ fuerit. 218.2.b.c.& ſeq.

Morbus Gallicus non poteſt oriri ex nimio coïtu. ibid.e.& ſeq.

Morbus Gallicus per propria tantùm alexipharmaca curari petit. 219.1.a

Morbus Gallicus antiquis Medicinæ Principibus fuit incognitus. ibid.d.e

Morbus Gallicus ab Indis ſola contagione fuit nobis communicatus. ibid.2.e

Morbus Gallicus quare Indis endemius. 220.1.& 2.b

Morbus Gallicus Indis endemius ſicut noſtris morbilli, & variolæ. ibid.e

Mors.

Mors cuilibet enti communis eſt, quomodocumque vita deficiente. 1.1.b

Mors impiorum ita terribilis, ut nulla miſeriarum humanæ vitæ, nec omnes ſimul ſint ita horribiles. 13.2.b.c

in Morte impiorum duplex reperitur miſeria. ibid.c.d

Mors corporalis non apparet cunctis vitæ miſeriis terribilior. ibid.e

Mors à plurimis Juſtis & Catholicis optata. 14.1.d.e

Mors largo modo ſumpta dicitur uniuſcujuſque rei terminus, propriè verò morte viventia finiri dicuntur. 41.2.e

Mors variis hieroglyphicis à veteribus delineata, & variis nominibus à Poëtis deſcripta. 42.1.b.c

Mortis in communi definitio traditur. ibid.e

Mors corporalis hominis eſt ſeparatio animæ rationalis à ſuo corpore. ibid.2.a

Mortis generica diviſio proponitur. ibid.b.c

Mors duplex homini accidere poteſt. ibid.d.e

Mors humani corporis alia naturalis, alia violenta eſſe poteſt. 43.1.b

Mors violenta duplex. ibid.c.d

Mors violenta alia manifeſta, alia improviſa eſt & occulta. ibid.d.e
Mortis repentinæ occultæ tres gradus diſtinguuntur à Medicis. ibid.2.a.b
Mors animæ rationalis per peccatum originale, inevitabilis eſt cuilibet homini ſecundùm Adam naſcenti. ibid. c.d
Mors ſuperveniens animæ rationali per peccatum actuale, non eſt omni homini neceſſaria. ibid.e
Mors corporis à cauſa violenta, non eſt omni homini neceſſaria. 44.1.b
Mors corporalis naturalis iis eſt neceſſaria, quibus ante illius terminum non ſupervenit mors violenta. ibid.c
Mortis repentinæ manifeſtæ cauſæ tot ſunt, ut earum numerus præſcribi nequeat. ibid.e. & ſeq.
Mortis violentæ repentinæ plura inſtrumenta referuntur. 45.1.& 2. per tot.
Mortis repentinæ manifeſtæ ſolent eſſe ſæpe cauſæ ipſa Medicinæ auxilia. 46.1. c.d
Mortis repentinæ manifeſtæ plura à carnificibus excogitata inſtrumenta referuntur. ibid.e.& ſeq.
Mortis repentinæ manifeſta cauſa pluries fuit œconomicum ſupellectile. 47. 1.b
Mors non videtur rectè dici naturalis homini. 49.1.e.& ſeq.
Mors juxta aliquas acceptiones poteſt dici naturalis, licèt ſit contra naturalem hominis inclinationem. ibid.2.e
Mors quoad uſum medicum, quæ propriè dicatur naturalis, oſtenditur. 50. 1. c.d
Mortem poſſe dici naturalem, ſolutione oppoſitarum rationum firmatur. ibid. 2. b.e. & ſeq.
Mors omni homini eſt inevitabilis. 51. 1.e
Mortis inevitabilitas ipſis Ethnicis nota. ibid. 2.b.c
Mors naturalis inevitabiles habet cauſas. ibid.e
Mortis naturalis cauſa neceſſaria, & inevitabilis quænam ſit, diſquiritur. 52.1.d.e. & ſeqq.
Mortis naturalis cauſæ coadjuvantes poſſunt eſſe res præternaturales. 55.2.b
Mortem fieri in homine per hoc quod anima deuniatur à corpore, & ſeparata ab illo permaneat, antiquiores Ethnici Philoſophi admiſere. 64.1.d.e
Mortem hominis provenire, quia anima rationalis ſeparatur à corpore, & permanet ſubſiſtens per æternitatem juxta propria merita & demerita, unanimi conſenſu fatentur Catholici. ibid. 2. c.d
Mortem hominis fieri per deunionem animæ rationalis à corpore permanentis immortalis, rationibus probatur. 65. 1.c.d
Mors repentina occulta quoad uſum medicum tres habet gradus. 66.1.e
Mortis repentinæ variæ acceptiones proponuntur, & quæ talis propriè à Medicis dicatur, oſtenditur. 72.2.b.e
Mortis repentinæ definitio traditur. ibid.e
Mors repentina propriè accepta eſt quæ ſubſequitur ad ſyncopem ob repentinam extinctionem caloris vitalis in corde. 73.1.a.b
Mortis repentinæ definitio tradita à Tytillo impugnatur. ibid.c.d
Mortem repentinam ab univerſalibus tantùm provenire cauſis affirmarunt aliqui. ibid. 2.b.c
Mortes repentinæ plures occultæ, aut manifeſtæ proveniunt à Deo in punitionem noſtrorum ſcelerum. ibid.e
Mortes repentinæ plures proveniunt à cauſis ſecundis morboſis, Deo ſimul concurrente. 74.1.d
Mors repentina non provenit defectu calidi innati per conſumptionem ablati, ſed ex ejus remiſſione repentè proveniente à frigiditate. 79.2.d.e
de Mortis repentinæ cauſa immediata refertur Tytilli placitum, & rejicitur. 80. 1.d.e
Mortis repentinæ internæ cauſæ mediatæ, à quibus fit extinctio caloris vitalis, & ſpirituum vitalium, ſunt quatuor. 80. 2. c.d
Mortis repentinæ cauſæ tres proponuntur, ob quas deficit repentè ſpirituum vitalium generatio in corde. ibid. e. & ſeq.
Vide *Cauſa*.
Mors repentina contingere poteſt ob ſpirituum vitalium defectum, licèt materia pro illis generandis recipiatur in corde. 81 2.d.e
Mors repentina ſubſequi poteſt deficiente calore vitali per accidens, ſine frigiditate poſitiva, à qua corrumpatur. 83. 2.e.& ſeq.
Mors repentina ſupervenit ab aëre infecto, & quia non præſtat materiam aptam pro generatione ſpirituum vitalium, & quia ſua venefica vi illos extinguit. 85.2.d.e

Mors repentina potiùs ſubſequitur ex defectu aëris pro ſpiritibus vitalibus generandis, quàm ex defectu ventilationis fuliginum. 87.1.d.e
Mors repentina cauſari poteſt ab obſtructionibus viarum, & cavitatum cordis. 89.1.a.b.c
Mors repentina cauſari poteſt etiam per compreſſionem viarum, quibus ingreditur ad cor. ibid.2.a.b
Mors repentina ſupervenit etiam ob impeditum tranſitum aëris ad cor per læves arterias pulmonum. ibid.d.e
Mors repentina ſubſequi poteſt impedito repentè aëris ingreſſu in cordis ventriculos, impedita ſpirituum generatione, & ventilatione fuliginum. 90.1.d.e
Mors repentina contingere poteſt obſtructis viis cordis ab humoribus, ſuccis, aut vaporibus tranſmiſſis ab aliis partibus, cum quibus cor conſentit. 90.2.c.d
Mors repentina ſubſequitur iis qui ſolo alimento vaporoſo nutriri nequeunt, ſi alimentum craſſum omnino deficiat. 92.2.b.c
Mors paulatim à qualibet excedente paſſiva qualitate poteſt ſupervenire. 111.1.b
Mors repenrina nequit ſupervenire ab intemperie ſicca, aut humida. ibid.d.e
Mortes repentinæ quæ violenter proveniunt à cauſis externis, aliæ ſunt imperceptibiles, aliæ conjectura rationali cognoſcibiles. 125.1.d.e
Mortes repentinæ ex Dei voluntate libera contingentes, nec prævideri, nec vitari poſſunt à Medico. ibid.2.a.b
Mortes repentinæ, quæ à morboſis cauſis internis proveniunt, poſſunt aliqualiter prævideri, & præcaveri. ibid. d.e
Mortis repentinæ varii prænuntii referuntur. 126.1.&2
Mors repentina prævideri poteſt ex ſignis deſumptis à qualitate mutata, repletione quoad vaſa, aut quoad vires, ex habitu, aut obeſitate corporis, ex faciei, aut oculorum mutato colore. ibid.2.d.e
Mortem repentinam prænuntiant habitus corporis craſſus & obeſus. 127.1.a.b
Mortis repentinæ prænuntia ſigna ab exeunte mutato deſumi poſſunt. ibid. c.d.e
Mortem repentinam certis ſignis cognoſci non poſſe, aliquibus rationibus ſuadetur. ibid.2.c.d.e
Mortis repentinæ communiora ſigna vulgo cognita proponuntur. 128.1.a.b
Mortis repentinæ plura ſigna probabilia à Medicis recepta referuntur. ibid. 1. c.d.e
Mortis repentinæ ſignum evidens fœtor cadaveris. ibid.2.c
Mors repentina quomodo differat à ſyncope, catalepſi, epilepſia, & ſimilibus affectibus. 129.1.b.c

Mulier.

Mulieres multos patiuntur morbos diverſos à morbis virorum; & unde oriantur. 124.1.c.d
Vide *Vterus*.

Muſculus.

Muſculorum thoraci deſervientium uſus & numerus proponitur. 121.1.d.e
Muſculi thoracis variis modis reſpirationi deſerviunt, unde ex illorum abolita actione neceſſariò ſubſequitur mors repentina. ibid.2.b.c

Muſica.

Muſica inſtrumenta varia ab antiquis adhibita in funere defunctorum. 142.1.b.c
Muſica etiam à Chriſtianis admiſſa in funeribus. ibid.d
Muſica funebris ab antiquis introducta in ſolatium lugentium, & mitigationem doloris. 143.2.a.b

N

Naphta.

NAphta ruffa à Dioſcoride colamen bituminis dicta, apud Babyloniam reperitur. 144.2.d
Naphtæ tria genera reperiuntur in Italia. ibid.

Naturale.

Naturale multis modis dicitur; & quid ſit naturale. 49.2.c.d

Nitrum.

Nitrum apud Ægyptios præcipuè in uſu adhibitum pro condiendis cadaveribus. 144.2.e
Nitri vis, quomodo fiat, & ubi reperiatur. ibid.& ſeq.

O

Obeliſcus.

OBiliſcorum pro ſepulchris erectorum majeſtas quanta. 136.1.e
Obeliſci apud Romanos in majori admitatione quàm pyramides. ibid.d
Obeliſci celebriores apud Ægyptios inventi, poſtea Romam fuere tranſlati. ibid.
Obeliſcus à Regina Semiramide Babyloniam exportatus inter mundi miracula recenſetur. ibid.e

Oculus.

Oculos mortuorum claudendi, & alia corporis membra componendi uſus fuit communis omni ætati. 137.2.e
Oculos defunctorum claudendi cura quibus competat, tum apud antiquos, tum apud juniores. 138.1.a.b.& ſeq.
Vide *Funus*, *Cadaver*.

Operatio.

Operationum quæ fiunt à formarum facultatibus, aliæ manifeſtæ ſunt, aliæ occultæ, ſeu à tota ſubſtantia. 223.1.e
Operationes occultæ unde reſultent juxta variorum placita. ibid.2.b.e.d
Operationes quæ fiant à facultatibus nobis incognitis, admittendæ ſunt. ibid.e. & ſeq.
Operationes occultas, quarum cauſas ignoramus, negare error eſt inſipientium. 224.1.a.b.e.
Operationes occultæ quæ dicantur, quarum variæ recenſentur. ibid.d e
Operationes occultæ ab occultis proveniunt facultatibus mixtorum, quorum ſunt propriæ paſſiones. ibid.2.b.c
ad Operationes occultas valde confert temperamentum ſubſtantificum. 224.2.d.e
Operationes occultæ ſympathiæ, & antipathiæ à quibus potentiis coadjuventur. 225.1.b.e
Operationes occultæ ſæpe producuntur à forma ſubſequente, corrupta priori formâ, à quibus producebantur. ibid.d.e

Oſculari.

Oſculandi mortuos ob varias cauſas apud antiquos invaluit conſuetudo. 137.1.e
Oſculandi mortuos conſuetudo jam ab uſu receſſit. ibid.2.d

P

Paracelſus.

PAracelſi impoſtura, promittentis ſenectam hominis poſſe ad præteritas ætates retrotrahi, proponitur. 16.2.d.e
Paracelſus ridiculè ſpagyrica remedia proponit ad innovandam ſenectam hominis. 18.1.b

Pars.

Partes deſtinatæ pro ſpeciei conſervatione, & ornatui individui, non informantur anima, nec aliquo gradu vitæ fruuntur. 23.2.b.c
Partes mixtæ elementorum ſunt inevitabilis cauſa naturalis interitus mixtorum non viventium. 63.1.b
Vide *Mixtum*.
Partium principum corporis humani diverſitas proponitur, iuxta diverſas opiniones. 74.2.b.e
Partium generationi dicatarum immutatio ab uno ſexu in alium impoſſibilis aſſeritur. 192.2.c.d
Partes generationi dicatas ab uno ſexu poſſe in alium mutari, à doctis Scriptoribus & Medicis erroneè creditum, & quæ fuerit cauſa fallendi. ibid. d.e
Vide *Fœmina*, *Tranſmutatio*, *Vir*.
Partium generationi dicatarum nulla, aut fictitia ſimilitudo aſſeritur, & diſſimilitudo oſtenditur. 199.1.b.c.& ſeqq.

Paſſio.

Paſſiones animi recenſeri poſſunt inter cauſas, quæ ſubitò valent ſpiritus vitales jam genitos reſolvere, & mortem repentinam cauſare. 97.1.a.b
Paſſiones animi unde oriantur, & quomodo valeant corpus alterare. ibid.2.a.b
Paſſiones animi pro formali nequeunt per ſe cauſare mortem, benè tamen pro materiali. 99.1.b
Paſſio quævis animæ dupliciter ſumitur. ibid.e

Pectus.

Pectus, ſeu thorax, eſt media corporis regio undique fortioribus partibus tanquam muris communita. 118.1.b
Pectoris repletio & coarctatio, quomodo poſſit eſſe cauſa mortis repentinæ. ibid.2.d.e

Pectoris

Pectoris vaſa diſrupta, unde mors repentina ſubſequuta. 119.2.b.c.d.e

Perfectio.

Perfectio juxta Ciceronem quid ſit. 158. 1. e.

Perfectio quæ in viventibus per maturationem acquiritur, qualis ſit, oſtenditur. ibid.2.b.c.& ſeqq. Vide *Maturatio*, *Calor*.

Perfectio mixti quæ acquiritur per coctionem, an conſiſtat in ſola unione, quæ ſit in oppoſitis patibilibus. 160.1.d.e

Peſtis.

Peſtis communior ſolet eſſe cauſa violentæ mortis repentinæ: ubi variæ referuntur peſtes, & earum cauſæ juxta varios hiſtoricos. 48. 2.a.b. & ſeqq.

Pharmacum.

Pharmacum hæmagogum an in rerum natura detur, diſquiritur. 94.1.c.d & ſeq.

Pharmacum hæmagogum ſi reperiretur, poſſet ejus vi cauſari repentina mors. ibid. 2.d

Pharmaca purgantia quantum ex accidenti lædant, oſtenditur? ibid. e. & ſeq.

Potus.

Potus quid ſit, & de variis ejus generibus. 108.1.e

Potus frigidi uſum ad ſitim extinguendam docuit ipſa natura. ibid.2.e

Potum infrigidandi varii modi referuntur. ibid.b.c

Potum frigidum non poſſe mortis repentinæ cauſam eſſe, rationibus quibuſdam firmatur. ibid.d.e

Potus frigidi variæ utilitates referuntur. ibid. & ſeq.

Potus aquæ frigidæ utiliſſimus eſt pro curandis febribus ardentibus, præcipuè in aſſuetis. 109.1.d.e

Potus frigidiſſimus poteſt eſſe cauſa mortis repentinæ affectis æſtuoſa phlogoſi ob exercitium, inſolationem, aut balneum calidum. ibid.2.e.d

Potu frigido plures repentè extincti. ibid. d. e

Potus frigidus quomodo mortem repentinam cauſet. 110.1.b.c.d

Potus frigidus debitè propinatus conducit ad ſanitatem, ad morbos verò cauſandos indebitus illius uſus. ibid.2 b.d.e

Potu frigido mulieres Romanæ valde læſæ. ibid.2.c

Pulmo.

Pulmo fulcitur triplici vaſorum genere. 118.1.e

Pulmonis vaſa per quas vias ab infarctu liberentur. ibid.2.a.b

Pulmonis vaſa ob varias cauſas poſſunt pati diſruptionem, & mortem repentinam cauſare. 119.1.b.c

Pulmonis vaſa quæ, & quomodo occludi poſſint, proponitur. 120.1.b.c

Pulmonis arteriæ ſunt in duplici differentia, & quomodo lædantur in ſuis operationibus. ibid.c.d

Pulmonis vaſa, ſi totaliter occludantur, mortem repentinam cauſare poſſunt, ut ſæpe contigit. ibid.2.b.c

Pulſus.

Pulſus læſio, cujus variæ referuntur differentiæ, mortis repentinæ prænuntia. 125. 2. e

Purgatio.

Purgatio in principiis moborum ad cohibendam putredinem quando conveniat. 194.2.a.b. & ſeqq.

Purgatio indicatur ex plurimis cauſis in principiis febrium putridarum. 195.1.e. & ſeqq.

Purgationis in principio morbi exercendæ indicatio unde præcipuè ſit exercenda. ibid.2.e

ad Purgationem exercendam ſtatim cogunt variæ cacochymiæ præter coctionem, & commotionem materiæ à loco in locum. 196.1.b

Purgationi in principio celebrandæ non ſemper obſtat interna inflammatio. ibid. 1. d

Putredo.

Putredo propriè eſt corruptio præcipuæ perfectionis, quam viventia receperunt. 174.2.c

Putredinis definitiones ex Ariſtotele, & Galeno referuntur. ibid.2.e

Putredinis definitiones traditæ impugnantur. 175.1.b.c

Putredinis definitio Ariſtotelica explicatur, & ab impugnationibus defenditur. ibid.d.e

Putredinem benè deſcripſit Galenus. ibid. 2.b.c

Putredinis deſcriptiones ab Ariſtotele, & Galeno traditæ diverſo modo ei adaptantur. ibid.2.d.e.& 176.1.c.d

Putredo duplex admittenda ex doctrina Ariſtote

Ariſtotelis. ibid.e
Putredo diverſo modo conſideratur à Philoſophis & Medicis. 176.1.b
Putredinis eſſentialis definitio traditur, & per particulas explicatur. ibid. 1. e. & ſeqq.
Putredo coctioni opponitur, ex Ariſtotele. ibid.2.c
Putredo quare paſſio mixtorum dicatur. 177.1.a
Putredinis eſſentiam non conſiſtere in deunione partium materialium miſcibilium, ſuadent aliquæ rationes, quæ proponuntur. 177.1.c.& ſeqq.
Putredinis eſſentia non poteſt conſiſtere in ſecunda qualitate. 178.1.a.b
Putredinis ratio generica & eſſentialis ſtat in hoc, quod ſit deunio partium materialium mixti in oppoſitis patibilibus. ibid.2.a.b. & ſeqq.
Putredinis eſſentialis definitio non eſt tradita ab Ariſtotele & Galeno. 179.1. d.e
Putredinis eſſentialis ratio conſiſtit in hoc quod ſit deunio aquei humoris à terreo in oppoſitis patibilibus. ibid.2.e
Putredini intrinſecum eſt deunire humidum à terreo in oppoſitis patibilibus. 180.2.b.c.d
Putredo, & partium miſcibilium deunio, & aquei à terreo, præcipuè provenit ab interitu nativi caloris. 181. 2. b. c. & ſeqq.
Putredo fit ab interitu nativi caloris, non tanquam à cauſa poſitiva, ſed quia ſupponitur, ut detur cauſa poſitiva putredinis. 182.1.a
Putredinem poſſe fieri etiam à calore innato, aliquibus rationibus ſuadetur. 182. 2.b.c. & ſeqq.
Putredo nequit fieri ab extrinſeco aëris calore urente. 183.1.a.b
Putredo utplurimùm fit à calore putrefactivo aëris ambientis mixtum. ibid. d.e
Putredo nequit fieri ab interno calore innato. ibid.2.a
Putredo nequit fieri ab interno calore præternaturali partium viventium. ibid. 2.d.e
Puttedo & coctio humorum an ſimul dentur in morbo ſalubri circa cauſam morbificam, latè diſquiritur. 185. 1. & 2
Putredo & coctio, etiamſi ſint ſecundæ qualitates, nequeunt ſimul reperiri in eadem parte mixti. 186.1.a.b.e
Putredo percurrit omnia quatuor tempora febris putridæ humoralis, in ſalubri tamen emendatur à principio per coctionem. ibid.2.d.e
Putredo & coctio poſſunt circa eandem materiam in eadem febre ſucceſſivis temporibus fieri. 187.1.c.d
Putredo & coctio fiunt circa diverſas partes materiales formales ejuſdem humoris in febre putrida ſalubri, in qua ſunt manifeſta earum ſigna. ibid. d. e. & ſeqq.
Puttedinis focus quis: vide *Focus.*
Putredo non poteſt provenire propriè à frigiditate, ſed tantùm per accidens. 191.2.a.b
Putredo quomodo poſſit intenſior fieri ratione humiditatis, & an poſſit ab ea cauſari. 192.2.b.c. & ſeqq.
Putredinis cauſa efficiens non eſt humiditas. 193.1.a.b.

Pyramis.

Pyramides Ægyptiæ ad Regum ſepulturam conſtructæ, quantis ſumptibus ædificatæ. 135.2.d.e
Pyramides Ægyptiæ tres, licèt inæquales, omnibus quæ toto orbe fuerunt ampliſſimæ celebrantur. 136.1.a.b
Pyramidum in Ægypto numerus penè infinitus. ibid.
Pyramides aliquot Romanæ referuntur, quas demoliri juſſerunt Pontifices. ibid. 1.b.c

Q

Qualitas.

Qualitates primæ ultra, aut infra propriam intenſionem poſſunt operari modificatæ. 30.1.a.b
Qualitates primæ licèt in mixto ſint remiſſæ, tamen in una parte intenſiores ſunt quàm in reliquis. 63.2.c
Qualitates paſſivæ an, & quæ poſſint eſſe cauſa mortis repentinæ. 111. 1. a. b. & ſeq.
à Qualitate mutata mortis repentinæ prænuntia ſigna deſumuntur. 126. 1. d. e. & ſeq.
Qualitates ſecundæ oriuntur à primis, & non è contra, aliàs vitioſus eſſet circulus in illarum productione. 161. 2. a. & 192.1.c
Qualitas ſecunda nulla datur determinans formam ab caloris productionem. ibid.b.c
Qualitas ſecunda, in qua Juniores eſſentialem puttedinis rationem ponere contendunt.

tendunt, merum figmentum eſſe convincitur. 178.1.a.b

R

Res.

RES præternaturales poſſunt eſſe cauſæ coadjuvantes mortis naturalis. 55.2.b

Res non naturales quæ & quot ſint. 56.1.b

Res non naturales non poſſe eſſe cauſas coadjuvantes mortem naturalem, aliquibus rationibus ſuadetur. ibid.c.& ſeqq.

Res non naturales coadjuvare poſſunt ad mortem naturalem. 57.1.a

Reſpiratio.

Reſpiratio an ſit penitus extincta, varii inquirendi modi. 128.1.d.e

ſine Reſpiratione ſenſibili poteſt aliquandiu animal vivere. 130.2.e

Reſpiratio duplex. ibid.

Riſus.

Riſus quid ſit, qualis ejus cauſa efficiens, & finalis. 103.1.e.& 2.a.b

Riſus variæ definitiones. ibid.2.b.c

Riſus alius Sardonicus, alius naturalis. ibid.c.d

Riſus verus & naturalis ob ſpirituum & ſanguinis commotionem violentam poteſt cauſare mortem repentinam. 104.1.a.b

S

Sanguis.

SAnguinem informari anima rationali aliquibus rationibus ſuadetur. 20.2.c.d

Sanguis humanus non informatur anima, nec etiam ſecundùm gradum formæ mixtæ. 22.1.d.e.& ſeqq.

Sanguis an indigeat gradu vitæ vegetativæ, ut per potentiam nutritivam coadjuvet ad repoſitionem ſui in ſubſtantiam aliti. 23.1.b

Sanguis non movetur à ſe, ſed à facultate expellente, & attrahente. 24.2.e

Sanguis non eſt organum operationum vitalium. 25.1.a

Sanguis à jecore elaboratus per quas vias ad univerſas corporis partes tranſmittatur, juxta Medicos vetuſtiores, & recentiores. 31.b.c.& ſeqq.

Sanguinis circulationis neceſſitas evidenter convincitur per rationes Harvæi ad *D. Gaſp. Bravo Tract. Miſcell.* vitam conſervandam. ibid.2.b.e

Vide *Circulatio.*

Sanguine deficiente pro ſpiritibus vitalibus generandis, an repentina mors ſubſequi poſſit. 92.2.e

Sanguinis & humorum pravitas poteſt impedire ſpiritnum vitalium generationem, & mortem repentinam cauſare. 93.1.b.e

Sanguis naturæ familiariſſimus, per totum corpus diſperſus, innumeris valet modis evacuari. 94.1.c.d

Sanguine repentè evacuato, repentè ſubſequitur mors, per quaſcumque vias in nimia proferatur copia. ibid.e

Sanguine quocumque modo evacuato, & deficiente pro ſpiritibus generandis, repentè ſubſequitur mors. ibid.2.e

Sanguinis miſſio uſque ad animi deliquium, an poſſit eſſe ex uſu. 95.1.d.e

Sanguinis miſſio uſque ad animi deliquium inter cauſas mortis repentinæ cenſeri poteſt. ibid.2.b.c

Sanguinis miſſio uſque ad animi deliquium, tanquam periculoſa timenda. 96.1.c

Sanguinis miſſio uſqne ad animl deliquium non debet recipi pro communi nſu in medicina. ibid.d

Sanguinis miſſio exerceri debet dum adeſt præſentia poſtulantium, & abſentia impedire valentium. ibid.e

Sanguis & ſpiritus qua ratione in paſſioui bus animæ pro materiali commoveantur. 99.1.e

Sanguis ex talo mittendus in puerperis lochiis fluentibus, juxta antiquorum opinionem aliquibus rationibus probatam. 226.2.b.c.d

Sanguinem in puerperis ex brachio mittendum eſſe, lochiis fluentibus, ſuſtinent aliqui juniores. ibid.2.e.& ſeq.

Sanguinis miſſio lochiis fluentibus partita evacuatione ſimul ex pede, & ex brachio celebrari poteſt. 227.1.b.c.d

Sanguis lochiis occluſis, aut diminutis, an diverſo tempore ſit mittendus ex talo, & brachio, & quid ſi utraque indicatio urgeat. ibid.2.a.b.& ſeqq.

Sanguis mittendus ex talo dum lochia faciunt plenitudinem in utero; ex brachio verò dum plenitudinem faciunt in partibus ſuperioribus. 228.2.a

Scrotum.

Scrotum in viris aptus locus eſt à natura deſtinatus pro continendis teſticulis. 34.1.c

Scroti ſtructura deſcribitur. ibid.d

Semen.

Semen non eſt cauſa efficiens animarum vitam præſtantium. 27.1.d.e

Semen an informetur anima, & aliquo gradu vitæ fruatur, vide *Pars.*

Senectus.

Senectus hominis triplex aſſignatur, & juxta diverſos intenſionis gradus diverſo modo ſe habet ad actiones obeundas. 11.2.b.e

Sepelire, Sepulchrum, & Sepultura.

Sepultura non debet ultra tres dies in apoplecticis prorogari. 130.2.c.d

Sepultura unde ſic dicta: & quid ſint ſepultura & ſepulchrum. 131.1.c

Sepulturæ variæ ſortes à vetuſtioribus adinventæ. ibid.1.d

Sepeliuntur cadavera gratiâ vivorum, & mortuorum. ibid.e

Sepulchrum ad imitationem Chriſti Domini tenentur appetere omnes Catholici. ibid.2.b

Sepulchra innumera pro vivorum, & mortuorum honore in orbe condita: ibid. 2. c.d

Sepeliendi varii modi apud varias gentes recepti. ibid.e

Sepeliendi præſtantior modus humatio, ſeu cadaveris repoſitio in terra. 132.1. c.d. & 133.1.c

Sepulchrum aquarum, & in eis miſeram ſuffocationis ſortem abhorruerunt præſtantiſſimi Duces. ibid.2.b.c

Sepulchra variis in locis ab antiquis conſtructa. 133.1.e.& ſeqq.

Sepulturæ puticulæ dictæ, & quæ fuerint. ibid.2.c

Sepulturis Romanorum multiplex deſtinatus locus. ibid.d.e

Sepulturis Chriſtianorum diverſi loci deſtinati. ibid.e

Vide *Catholicus.*

Sepulturæ locum aptiorem patrium ſolum cenſuere, præſertim antiqui. 134. 2. c.d.e

Sepulchrorum priſca ſtructura, & magnificentia laude digna aſſeritur, & quare. 135.1.c.d

Sepulchra varia ad miraculum uſque ſumptuoſa referuntur ab antiquis fabrefacta. ibid.2.b.c.& ſeqq.

Sepulchra ſemper in magno honore, & pro ſacris habita. 136.2.d

Sepulchra pro Turcarum Imperatorum filiis apud Pruſſiam fabrefacta. ibid.e

Sepulchrorum totum per orbem variæ adhuc ſuperſunt ruinæ, & inſcriptiones. 137.1.a

Sepulchra pro animalibus ab ethnicis conſtructa. ibid.

Sepulturæ jam omnium humanorum cadaverum receptaculum communiſſimum, miraculoſis juſſu Dei factis inhumationibus approbatæ. ibid.1.b

Sexus.

Sexus uterque per ſe intenditur à natura. 198.2.d

Sexuum tranſmutatio an ſit poſſibilis naturaliter: vide *Fœmina*, *Tranſmutatio Vir.*

Siccitas.

Siccitas nulla poteſt tanta cordi communicari ita repentè, ut ſola valeat mortem repentinam cauſare. 111.1.e

Vide *Qualitas.*

Somnus.

Somnus & vigilia coadjuvare poſſunt ad mortem naturalem. 57.1.c

Species.

Species inſenſatæ in animalibus cognoſcitivis conducunt pro occultis operationibus ſympathiæ, & antipathiæ. 225.1.b

Spiritus.

Spiritus informari anima aliquibus rationibus ſuadetur. 21.1.d

Solvuntur tamen. 25.1.b.c

Spiritus vitales quid ſint, unde generentur, & cui uſui apti ſint. 61.1.b

Spiritus vitales calidiores eſſe corde, & reliquis corporis partibus, communior fert opinio. ibid.c

Spiritus vitales poſſe ita corporis partes alterare, & humidum radicale reſolvere, ut valeant mortem naturalem cauſare, aliquibus rationibus ſuadetur. ibid.d.e

Spiritus vitales calore ſuo coadjuvant calidi innati reſolutionem, non tamen inevitabiliter. 61.2.b

Spirituum vitalium defectus poteſt provenire ex quadruplici cauſarum genere. 67.2.d.e

Spirituum vitalium generatio deficere poteſt multis ex cauſis denegantibus tranſitum materiæ requiſitæ ad cor. 81. 1. d.e

Spirituum vitalium materia, ex qua fiunt in corde, duplex aſſignatur. 81.2.e

Spiritus vitales ſimiles externæ ignis flammæ. 87.2.d.e

Spiritus vitales jam geniti in corde, an ita indigeant aëre attracto pro ventilatione fuligiuum,

fuliginum, ut ipſo deficiente, ſubitò ſuffocati pereant. ibid.
Spiritus vitales aëre deficiente deficiunt, licèt non ſit in illis flamma, quæ aëre ad ventilationem indigeat. 91.1.e
Spiritus vitales jam geniti ſubitò diſſipari valent ex aliquibus cauſis, & repentina ſubſequi mors. 96.2.c.d
Spiritus vitales in paſſionibus animæ poſſunt commoveri, & ex qua cauſa, oſtenditur. 99.1.e
Vide *Paſſio*.
Spiritus vitales io gaudio moventur à facultate vitali pulſifica. 103.1.b.c

Suffocatio.

Suffocatio variis ex cauſis provenire poteſt, ejuſque varia exempla referuntur. 89.1. & 2
Suffocatio fit, impediturque aëris ingreſſus intra ipſum cor à pluribus morbis. 90.2.a.b
Suffocatio repentina contingere poteſt ex occluſione viarum cordis intra ipſum facta per conſenſum cum aliis partibus. 90.2.c.d

Sylla.

Sylla Dictator Romanus quanto apparatu ad ſepulturam delatus. 141.2.d.e
Vide *Funus*.

Sympathia.

Sympathia, & antipathia quid ſint. 116. 2.b
Sympathia, & antipathia inter varias res in eodem, & diverſo genere contingunt. ibid.c.d.e
Sympathiæ, & antipathiæ varii effectus in hominibus contingunt. 117.1.b.c
Sympathia, & antipathia quandoque mortem repentinam cauſare valent. ibid. d.e.& ſeqq.

Syncope.

Syncopis definitio ex Avicenna traditur, & per particulas explicatur. 67.1. b.c
Syncopis proxima, & immediata cauſa eſt defectus vitalis caloris. ibid.2.a.b
Syncope quibus ſignis differat à Lipothymia, & aliis affectibus. 68. 1. b. c. & ſeqq.
Syncopis cauſam manifeſtantia ſigna quædam proponuntur. ibid.2.c.d
Syncopem pendere à cauſis per eſſentiam, aut per conſenſum, quæ ſigna manifeſtent. 69.1.a.b. & ſeqq.
Syncopis certa prognoſis ex variis principiis ſumi poteſt. 70.1.c.d
Syncopis indicationes curativæ unde deſumendæ, & quibus remediis huic affectui ſubveniendum. ibid.2.e.& ſeq.
ex Syncopis variis cauſis variæ ſumuntur indicationes. 71.2.b.c
Syncopis urgentia totam ad ſe convertit curationem. ibid.d
in Syocopis intermiſſione curatio convertenda ad illius cauſam. ibid.& ſeq.
ex Syncope mortui tranſactis horis viginquatuor ſepeliri poſſunt. 130.1.a.b

T

Temperamentum.

Temperamentum ſubſtantificum confert pro operationibus occultis. 224. 2.d.e
Temperamentum ſubſtantificum juvat ut aliæ res fiant objectum facultatis attractricis, aliæ expultricis. ibid.& ſeq.

Teſtis, & Teſticulus.

Teſtes quid ſint, ad quid à natura deſtinati, & qualis eorum proprius ſitus. 33.2.c.d
Teſtes duo unicuique individuo à natura ſunt deſtinati, licèt aliquando, raro tamen, numerum hunc variari contingat; unde Gemini ſolent vocari. 34.1. a.b
Teſticulis partes deſervientes variæ deſcribuntur. ibid.d.e
Teſtium occultatio fœminis omnibus communis eſt, viris verò raro accidit. 34.2. c.d
Teſtium occultatio in viris duplex. Ibid.e
Teſtium occultatio ab Herniſtis poteſt fieri abſque eorum læſione. 35.1.b.c
Teſticulorum occultatio in viris poſſibilis eſt naturaliter, & circa eam varii caſus & obſervationes referuntur. 35. 1. d. e. & ſeqq.
Teſticulorum occultatio ab arte facta, an homines reddat impotentes ad generandum, curioſè diſquiritur. 36. 1. d. e. & ſeqq.
Teſticulorum occultatione in viris ab arte facta homines non fieri impotentes ad generandum, pluribus rationibus & teſtimoniis firmatur. 37.1.d.e.& ſeqq.
Futiles contra hoc reſponſiones rejiciuntur. ibid.2.c.d.e
Teſticulis nullus ſupereſt locus ubi eſſe poſſint, præter ſcrotum & inguina. 38. 1.b

Teſticulorum occultatione facta ab Herniſtis, nullus ſupervenit morbus in teſticulis, nec in vaſis illis deſervientibus. ibid.2.c
Teſticuli intra inguina femen prolificum generare poſſunt. 39.1.c.d
Teſticulorum occultatio quæ fit ab arte non magis reddit homines impotentes, quàm quæ fit à natura. ibid.2.b
Teſticulorum occultatio à natura facta in viris non aufert potentiam generandi. 40.1.b
Teſticulorum occultatio proveniens à natura non officit virorum fœcunditati, nec ex hoc cenſendi ſunt frigidi, aut impotentes ad generandum, rationeſque ad id probandum referuntur. ibid. d.e.& 2.c.d
Teſticuli à natura occultati in viris manent adhuc cum omnibus requiſitis ad generandum. 40.2.e
ex Teſticulorum occultatione ab Herniſtis facta intra inguina nullus ſequitur morbus lædens operationes requiſitas in viris ad generandum. 41.2.a b
Teſticulorum occultatio, & retractio intra inguina perficitur integris manentibus teſticulis, vaſiſque illis deſervientibus. ibid.d.e

Tranſmutatio.

Tranſmutatio fœminæ in virum, aut viri in fœminam fabulosè ab aliquibus antiquis aſſerta. 197.1.d.e
Tranſmutationem fœminæ in virum poſſibilem eſſe plures aſſeruerunt. ibid. 2. c.d.e. & ſeqq.
Vide *Vir, Fœmina.*
Tranſmutatio nulla admittitur inter omninò intranſmutabilia. 209.1.a
Tranſmutatio ab imperfectis ad perfectiores formas ſine proprio generante repugnat. ibid.b
Tranſmutationes in perfectiſſimas formas ſolùm fiunt à naturalibus cauſis deſtinatis ab Authore naturæ. ibid.d.e

Tumulus.

Tumulorum amplitudo pro ſepulchris celebris fuit inter gentiles. 136.2.c
Vide *Sepulchrum, Pyramis, Obeliſcus, Labyrinthus.*

Turgentia.

Turgentia humoris quid ſit, & in quo conſiſtat, & unde ſit ita dicta. 194.2. b.c
Turgentia, & urgentia idem ſunt. ibid.c
Vide *Humor.*

V

Vagitus.

VAgitus uterinus quid ſit. 200.2.b.c
Vagitus uterinus an naturaliter ſit poſſibilis, diſquiritur. ibid.
Vagitum uterinum portentoſum quid eſſe, variis allatis exemplis aſſeritur. ibid. d.e
Vagitum uterinum naturaliter fieri non poſſe, aliquibus rationibus ſuadetur. 201.1.c.d
Vagitus uterini aliquæ cauſæ naturales referuntur. ibid.e. & ſeq.
Vagitum uterinum poſſe à cauſis naturalibus provenire, aſſeritur. ibid. 2.d.e
Vagitus uterinus aliquando à Deo tanquam portentum permittitur. 202. c. c.d.e
Vagitus uterinus licèt ratò, poteſt naturaliter tamen fieri. ibid. 2.c

Vaſa.

Vaſorum ruptio in pectore quomodo poſſit mortem repentinam cauſare: vide in verb. *Pectus, Pulmo.*

Venenum.

Venenum quid ſit. 111.2.c.d
Venenorum variæ differentiæ referuntur. ibid.e. & ſeq.
Venenorum differentia penes brevitatem, aut tarditatem occidendi. 112.1 c.d
Venena plura referuntur à tota ſubſtantia, quæ valent eſſe cauſa mortis repentinæ. ibid.2.b c d
Venenum celeriter agit partim propria vi, partim ex parva paſſi reſiſtentia. 113.1. & 2
Venena plura ob parvam quantitatem non nocent; alia verò in quamminima quantitate occidunt. ibid.2.d.e

Ventriculus.

Ventriculus inter corporis deſervientes partes eſt præſtantior pro ſui individui conſervatione. 123.1.b
Ventriculi varii uſus, morbi & conſenſus cum aliis partibus proponuntur. ibid. c.d. & ſeq.
Ventriculi vehemens conturbatio & dolor poſſunt eſſe cauſa mortis repentinæ, ibid.2.c.d

Venus.

Veneris uſus à natura adinventus pro

perfectorum viventium conſervatione. 115.1.d.e
ex Venerei actus defectu quæ incommoda proveniant. ibid.e
Veneris uſus quæ commoda inducat. 115. 2.a.b
Veneris nimium uſum poſſe mortem repentinam cauſare, rationibus & exemplis probatur. ibid.c.d.e
Venere nimia plures extincti. ibid.
Veneris uſus moderatus ad ſanitatem conducit, immoderatus verò morbos & mortem cauſat. 116.1.d.e

Vinum.

Vinum de vite nutrire Principes Medicinæ affirmarunt, ſed negarunt aliqui recentiores. 215.1.d.e
Vinum nullam alimenti ſortem habere, aliquibus rationibus probatur. 216. 1.a.b
Vinum ex eorum numero eſſe quæ corpus noſtrum nutriunt, aſſerendum eſt. ibid.d.e
Vinorum omnium rubra ſimul & craſſa ſunt ſanguini gignendo accommodatiſſima. ibid.1.a
Vinum poteſt in noſtram ſubſtantiam converti, tanquam ejus alimentum. ibid.c
Vide *Alimentum*, *Cibus.*
Vinum quare ab Ariſtotele non fuerit inter alimenta recenſitum. 216. 2.e. & ſeq.
Vinum propriè dicitur ſuccus ex uvis expreſſus. 220.2.d
Vini odium quænam remedia cauſent. 222.2.e

Vir.

Vir nec virtute naturali, nec viribus ultra naturam poteſt in fœminam tranſmutari. 198.1.e. & ſeqq.
Viri membris virilibus occultatis naſcentes, non ideo fœminæ ſunt reputandi; & ſi erumpentibus membris virilibus decurſu temporis appareant viri, non ideo cenſendi ſexum tranſmutaſſe. 192. 2.a.b
Vide *Tranſmutatio.*

Vita.

Vita communis eſt cuilibet enti per animam informantem ejus organicum corpus. 1.1.b
de Vita juxta diverſas conſiderationes varii agunt Authores: & quando de illa agant Medici. ibid.2.a.b
Vitam omni enti phyſico compoſito ex materia & forma, competere aliquibus rationibus ſuadetur. 2.1.c.d.e
Vita non competit cœlis, elementis, nec mixtis non informatis forma vivente. ibid.2.a.b
Vitæ variæ acceptiones proponuntur, & quomodo à Medicis accipiatur. 3. 1.e. & ſeq.
Vitæ ratio formalis in quo conſiſtat, ab antiquis unanimi conſenſu ſtatutum non eſt. ibid.2.d.e
Vitæ generica definitio traditur, & definitionis veritas probatur. 4. 1. c.d. & ſeq.
Vitæ variæ diviſiones afferuntur. ibid. 2. d.e
Vita humana an brevis ſit dicenda. 9. 2. c.d
Vita ſpiritualis animæ rationalis eſt immortalis. ibid.e
Vita corporea hominis ob plures rationes eſt dicenda brevis. 10.1.d.e
Vita humana corporea decurrit ad inevitabilem interitum per quinque ætates. ibid. & ſeq.
Vita hominis in ſenectute juxta diverſos intenſionis gradus diverſo modo ſe habet ad actiones obeundas. 11.2.b
Vita humana felix aliquibus rationibus apparet. ibid.c.& ſeq.
Vita corporalis hominis multis ſubdita miſeriarum generibus probatur. 12. 1. c.d. & ſeqq.
Vitæ humanæ miſeriæ juxta antiquorum Philòſophorum ſententias. 13.1.a.b
Vitæ humanæ terminus à Deo decretus duplex. 15.1.e
Vitam hominis prorogandi varii modi traduntur. ibid.2.b.& ſeqq.
Vitæ terminum naturalem poteſt Medicus prolongare, interitum tamen nequit impedire. 16.1.d.e
Vitam humanam in ſenectute conſtitutam poſſe ad præteritas ætates retrotrahi, aliquorum impoſturis tantùm, & præſertim Paracelſi, potuit affirmari. ibid. d.e. & ſeqq.
Vita poteſt diu ſine alimento craſſo in aliquibus conſervari: quod exemplis tum hominum, tum animalium plurium probatur. 29.1.b.c.& ſeqq.
Vita nequit in homine diu permanere ſine cibo, ſaltem vaporoſo. 29. 2. a. b.e
Vitæ læſo principio læſione incompatibili cum vita, nequit ipſa conſervari. 83.1.e
Vita conſopita nunquam ultra trium dierum

rum ſpatium occultè conſervata. 130. 2.d

Unio.

Unionem in oppoſitis patibilibus medio naturali calore principaliter efficit in maturatione naturalis facultas confor- matrix. 159.1.b.c.d
ad Unienda oppoſita patibilia concurrit facultas concoctrix tanquam agens principale in elixatione, medio calore proprio. ibid.c.d
Unio miſcibilium duplex admittenda in viventibus, & quænam ſint. 160.2.b.c
Unio in oppoſitis patibilibus ad quid ſit neceſſaria in omnibus mixtis. ibid. c. & ſeq.

Vox.

Voces animalium plurimorum propriæ recenſentur. 212.1.c.d.& ſeqq.
Vox quid ſit, & in quo differat à loquutione. 213.1.c
Vide *Bruta.*

Urgentia.

Urgentia humoris morbifici quid ſit, & quando dicatur urgere ad properandum auxilium. 194.2.b.c
Urgere quinque modis dicitur materia morboſa ad ſui exercendam purgationem ſtatim in principio morbi. 195. 1.a
Urgentia, & turgentia idem ſunt. ibid.b
Urgentia multiplex. ibid.c
Vide *Humor, Purgatio.*

Uterus.

Uterus plures fœminis confert utilitates, varioſque parit morbos valde lethales, multumque differentes à morbis virorum, præcipuè in curatione. 124. 1. b.c
Vteri ſuffocatio morbus valde lethalis, unde mors repentina ſubſequi ſolet. ibid.e
Vteri ſuffocationis triplex differentia. ibid. 2.b
ob Uteri conſenſum cum partibus principibus in hyſtericis affectionibus ſæpe accidit mors repentina. ibid.c.d.e
Uteri aſcenſus ſuffocationis cauſa. 12[illegible]1. a.b

F I N I S.